JO. LAURENTII BERTI
FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI
THEOLOGI PRÆCLARISSIMI
LIBRORUM XXXVII.
DE
THEOLOGICIS
DISCIPLINIS
ACCURATA SYNOPSIS,
QUAM
AD USUM SEMINARII AUXIMATIS
CONCINNAVIT,
Notis perpetuis, ac novis quibusdam Dissertationibus auxit, & in lucem nunc primum edit
F. HIERONYMUS MARIA BUZIUS
AUGUSTINIANUS
In eodem Seminario Sacræ Theologiæ Professor.
ACCEDUNT
De Locis Theologicis Libri X.
qui in Auctore desiderantur.
TOMUS I.
CONTINENS
DISSERTATIONES DE DEO UNO AC TRINO ATQUE UNIVERSORUM CONDITORE.

Cum Privilegio S. Cæs. Majest. & Approbat. Superiorum.

BAMBERGÆ ET WIRCEBURGI,
APUD TOBIAM GOEBHARDT, BIBLIOPOLAM
UNIVERSITATIS A CELSISSIMO SPECIALITER
PRIVILEGIATUM. MDCCLXX

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Nos JOSEPHUS Secundus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ et Hierosolymarum Rex, Corregens et Hæres Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ et Lotharingiæ; Magnus Dux Hetruriæ, Magnus Princeps Transsylvaniæ, Dux Mediolani, Barri &c. Comes Habspurgi, Flandriæ et Tyrolis &c. &c. Agnoscimus et notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis noster Sacrique Imperii fidelis dilectus Tobias Gœbhardt, Bibliopola Universitatis Bambergensis humillime exponi curarit, quem in modum Joannis Laurentii Berti accuratam Synopsin de studiis Theologicis a

fratre Hieronymo Buzio Notis perpetuis, ac variis quibusdam Diſſertationibus auctam in Octavo prelo committere reſolverit, vereatur autem, ne æmulorum invidia hanc editionem imitantium, impendii et laboris ſui fructus fruſtretur, ideoque Nobis demiſſe ſupplicarit, quatenus ejus indemnitati Privilegio Noſtro Cæſareo ſuccurrere clementiſſime dignaremur. Nos ſubmiſſæ pariter ac æquæ ejus petitioni annuendum cenſuerimus. Ac proinde Authoritate Noſtra Cæſarea omnibus et ſingulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, et aliis quibuscunque rem librariam ſeu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus et interdicimus, nequis ſupra nominatam Berti accuratam Synopſin de ſtudiis Theologicis ſub hoc aliove titulo, aut hac aliave forma, ſeu, ut ajunt formato, nec in toto, nec in parte per decem annorum ſpatium ab hodierno die computandum intra Sacri Romani Imperii fines recudere, vel aliis recudendum dare, aliorſumve impreſſum apportare, vendere vel diſtrahere, citra præfati impetrantis, ejusdemque hæredum ac ſucceſſorum voluntatem et aſſenſum in ſcriptis obtentum, auſit vel præſumat, ſiquis vero ſecus faciendo Privilegium hoc Noſtrum ſeu interdictum violare contemnereque præſumpſerit, eum non ſolum ejusmodi Exemplaribus, ubicun-

cunque locorum repertis, perperam quippe recusis, seu apportatis (quæ dictus Tobias Gœbhardt sive propria authoritate, sive Magistratus illius loci auxilio sibi vindicare poterit) de facto privandum, sed et quinque Marcarum auri puri pœna ærario, seu Fisco Nostro Cæsareo, et parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fonte libri impressus reperiatur, et consueta quinque exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus et singulis Nostris et Sacri Romani Imperii subditis et fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis aut ordinis fuerint, præsertim vero iis, qui in Magistratu existentes, vel suo, vel superiorum suorum loco aut nomine jus justitiamque administrant, ne quempiam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum impune violare, spernere, aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces compererint, constituta a Nobis mulcta eos puniri, et quibuscunque modis idoneis coerceri curent, quatenus et ipsi gravissimam Nostram indignitatem prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum Manu Nostra subscriptarum, et sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ

 daban-

dabantur Viennæ die decima ſeptima Novembris Anno Milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo octavo Regni Noſtri quinto

JOSEPHUS m. p.

(L. S.)

Vt R. Princeps Colloredo, m. p.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium,

Andreas Nobilis de Stock, m. p.

DIVO

AURELIO AUGUSTINO

HIPPONENSIUM ANTISTITI ECCLESIÆ DOCTORI MAXIMO PERPETUO HÆRETICORUM MALLEO PARENTI SUO ATQUE INSTITUTORI OPTIMO

F. HIERONYMUS MARIA BUZIUS

FILIORUM MINIMUS

D. D. D.

PLURA *ſunt, eaque graviſſima*, PRÆSUL SANCTISSIME, *quæ me intima quadam vi pene adigunt, atque impellunt, ut Synopſim hanc meam, quam in gratiam ſtudioſæ juventutis, quæ ſtadium theologicum, te duce atque auſpice, compendiaria quadam via metiri cupit, nunc primum adornavi, Tibi non tam inſcribere, quam præclariſſimo nomine tuo exornare maluerim. Imprimis vero ipſa Inſtituti ratio atque Ordinis, in quo, vix egreſſus ex ephœbis, Deo movente, atque interius adhortante militiæ tuæ nomen dare conſtitui, id a me jure æquiſſimo videbatur expoſcere, ut ubi ego aliquam grati animi ſignificationem Tibi exhibere ſatagerem, qui majora*

ra non auſim, leve hoc ſaltem, tenuiſſimumque devotionis meæ atque obſervantiæ ſpecimen exhiberem, quo tua in me officia, favorem, gratiam pietatem denique ſummam, atque propemodum ſingularem, qua me hominem miſerum, qui neque ingenio aliquid, neque artibus quidpiam valeo, perbenigne es dignatus excipere, ita omnibus teſtatam facerem, ut eam nulla unquam deleret oblivio. Deinde ipſa etiam, quæ in hac Synopſi continentur, doctrinæ per Te olim traditæ inconcuſſa dogmata, quæ pro virili tueri cum alii permulti, tum præcipue Noſtrates ſolemne habent, id a me impetrare debuerunt omnino, ut talem iiſdem Virum præficerem, qui & hilari animo complecteretur, & iis maximum afferre poſſet ſua auctoritate præſidium, munimen, decus. Ecquem vero aut te ampliorem poſſet, aut amantiorem ſui Synopſis hæc noſtra ſibi patronum aſciſcere? Quem conſtat a Maximis Romanis Pontificibus, a ſacroſanctis œcumeniciſque Conciliis, a Patribus, Præſulibuſque ſanctiſſimis, a Theologis præclariſſimis ſummo ſemper in pretio fuiſſe habitum, & ſummis, exquiſitiſque laudibus cohoneſtatum. Te namque adhuc in ea, in qua nos quoque verſamur miſerrima ſolitudine commorantem, veluti oraculum conſulere conſueverant Bonifacius, Zoſimus, atque Innocentius Romani Pontifices: & viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi præſules, Ambroſius, Hieronymus, Paulinus, Proſper, Hilarius, nec non

Alipius, *Nebridius*, *Possidonius*, *aliique*, *tibi vel societate*, *vel suavissima necessitudine conjuncti*, *tot de Te*, *tantaque cum laude locuti sunt*, *ut in Te unum veluti in speculum omnes subinde suspicerent*, *atque ex Te uno sumerent exemplum sibi Postquam autem dissoluta terrenæ hujus habitationis domo ad altissimas illas non manufactas æthereas ædes*, *quas manu*, *lingua*, *operante Dei gratia*, *tot tantisque laboribus exantlatis Tibi fabrefeceras in cœlis*, *evolasti*, *quam honorifice*, *aut splendide de te ipso locutus est Hormisdas Romanus Pontifex*, *qui quidem ex libris tuis veluti ex lydio lapide* perspicue dignosci, *ait*, quidquid Romana, hoc est catholica sequatur, & asseveret ecclesia! *Idipsum tradidere Bonifacius II.* (a), *Vigilius* (b), *Gregorius Magnus* (c), *Gelasius Papa*, *Felix IV.*, *Paschalis II.*, *Joannes XXII.*, *Leo X.*, *Clemens VIII.*, *Innocentius XI.*, *Clemens XI.*, *& XII.*, *Benedictus XIII.*, *& XIV.*, *qui quidem te* ecclesiæ ducem, auctoritatem, quietem, irrefragabile jubar, lumenque fulgidissimum *uno veluti ore identidem communiter proclamarunt. Nec minorem tibi laudem*, *aut honorem ex sacrosanctis œcumenicisque Conciliis accessisse putandum est. Nam Arausicana Synodus tuam de gratia Christi sententiam in canones*, *aut fidei regulas consecravit*, *id postu-*

(a) Ad Cæsar. Arelat. (b) Ad Eutychium.
(c) Ad Innoc. Afr. præf.

postulante Felice IV. Romano Pontifice. Concilium V. œcumenicum doctrinam tuam per omnia sequi constituit. *Quod etiam statuere Toletana X., Florentina, ac Tridentina Synodus: cujus canones de gratia, justificatione, ac de originali peccato iisdem verbis tuis fuisse conflatos nemo non videt. Longum esset singulos Patres percensere, qui de te tamquam de viro summo, ac prope divino verba faciunt. Verum prætereundi non sunt Fulgentius, Rhemigius, Arnobius, Eugippus, Cassiodorus, Beda, Prudentius, atque ipse pauperum pater, tuique simillimus filius tuus D. Thomas Episcopus Valentinus, qui Te ipsum hæreticorum debellatorem, latinorum Doctorum omnium præeminentissimum ac disertissimum, sanctæ Dei Ecclesiæ propugnatorem, ejusque munitiorem partem, lumen, solem, thalamum Trinitatis, linguam Spiritus sancti, & si quid potest splendidius, aut gloriosius efferri, ubique passim in suis operibus declarare non dubitarunt. Quod vero est adeo sublime elogium, aut ita magnificum, quod a Romanæ communionis Theologis præclarissimis, imo a pluribus etiam heterodoxis, veritate ipsa cogente, de Te non fuerit enunciatum? Quos si ego velim omnes oratione complecti, nihilo sane plus faciam, quam si dem operam, ut arenas, quæ sunt in littore maris, inito calculo enumerare contendam. Aliquos tamen recensere non piget ex ipsa inclyta Societate Jesu, præsertim vero Suaresium,*

Vas-

Vasquez, Aquavivam, &, qui omnium primus commemorandus erat, Ven. Bellarminum, qui de Te quidem nonnisi cum laude locuti sunt. Ut pateat ex eadem Societate nonnullos in carpenda doctrina tua plus æquo liberiores a viris summis, atque clarissimis sui instituti, atque Ordinis præclarissimi penitus descivisse. Neque vero putandum est, sanctos Patres, & Theologos præclarissimos in Te uno tam impense laudando inconsulto, vel temere, quod vulgus hominum solet, non maturo consilio, aut re diligentissime perpensa, atque ad trutinam revocata descendisse. Norant etenim ex Cœlestino Romano Pontifice Te quidem sinistræ suspicionis rumore nusquam fuisse conspersum. Norant ex Hieronymo Te unum antiquæ rursus fidei conditorem extitisse. Norant denique ex S. Prudentio divinarum scientiarum arcana neminem tam exquisite lustrasse, aut verius invenisse, ubi de Christi gratia disputatur. Merito ergo nostri hujus ævi Theologus præclarissimus Jo. Laurentius Berti (quem nobis nuper ereptum vehementer dolendum esset, nisi satis firma spes esset, eum, ut olim instituto, atque ordine, ita nunc etiam animorum felicitate, pro sua pietate ac religione Tibi esse conjunctum) Te unum semper maxime coluit, atque a doctrinis tuis, totius ecclesiæ calculo, atque auctoritate firmatis, vel hilum discedere, vel transversum unguem, in suis de Theologicis disciplinis eruditissimis libris piaculum duxit: nihil in iis affirmans, aut pronun-

cians,

cians, præsertim in controversiis de gratia Christi, quod aut e libris tuis depromptum non esset, aut doctrinæ tuæ adprime non esset conforme. Quo factum est, ut ejus volumina, quamvis obtrectatorum calumniis semel iterumque impetita, tua præsertim ope, ac præsidio munita, tamquam aurum in fornace per ignem probata, lucidiora semper emerserint. Hæc porro eadem, mole quidem longe imminuta, stylo autem, atque ordine ad captum adolescentium, quorum gratia in epitomen digesta sunt, magis accommodata Tibi sistere audeo, Præsul sanctissime, utque ea, qua polles pietate, atque auctoritate, & hilari animo excipias, & ab malignantium morsibus tuearis, rogo, obtestorque. Sic enim, & animum labori adjeceris, & me quidem Tibi in Deo optimo maximo, cui semper adstas, ita devinxeris, ut nunquam dissolvi queam.

AUCTOR SYNOPSEOS

THEOLOGIÆ CANDIDATIS

S. D. P.

INTER *tam multos, qui de rebus theologicis, recepta Scholarum methodo, hac nostra ætate scripsere, neminem vestrum latere arbitror, quantam ubique laudem sit consecutus noster Joannes Laurentius Berti, quem ingenti literariæ Reipublicæ damno nobis ereptum boni omnes vehementer dolent; nos autem qui ejus suavissima consuetudine diutius aliquando usi fuimus, vix fieri potest, ut a lacry-*

lacrymis temperemus. *Una siquidem hæc semper fuit sapientum vox, atque doctorum hominum commune suffragium, quos de Theologicis disciplinis inscripsit, libros tanta rerum, atque verborum copia, tamque omnigena eruditione refertos esse, ut non tam adolescentibus imbuendis, quorum gratia conscripti sunt, quam provectioribus Theologis exornandis, aptissimi videri possint. Itaque vix editi in lucem, avidissime imprimis, non modo a nostratibus, sed ab iis etiam, quos studia partium in diversa trahunt, apertis, ut ajunt, ulnis excepti sunt, atque eorum fama longe, lateque diffusa, amplissimos Italiæ fines, illustriores Europæ regiones, atque ipsas etiam novi Orbis remotissimas oras* ocior Euro *pervasit. Quo factum est, ut distractis hac illac pene innumeris exemplaribus, non semel, aut bis, sed pluries, repetita vice, publicam lucem aspexerint. Interim Magni Augustini placita, præsertim vero solidissimum, quod a majoribus nostris accepimus, de divina gratia systema, altissima quadam in luce positum, probari imprimis, ac suscipi a doctis viris, laudari, ad astra rapi, quid verbis est opus?* unum esse quod diligunt Dii: *lubet namque in re seria Comici verbis uti. Quamvis enim non defuerint lividi obtrectatores, qui illud tamquam violatæ fidei postulare ausi fuerunt, objectam tamen calumniam ita in adversarios intorsit cl. auctor in suo Systema. vind., ut eorum inscitiam ubique prodat, suamque orthodoxiam graviter atque inconcusse tueatur. Quæ cum ita sint, mirandum plane non est, sapientissimos Augustiniani Ordinis moderatores, quorum auctoritate, atque opera ea volumina prodiere,*

&

& illa summopere commendasse, & quod rei caput est, ad ipsa, veluti ad lydium lapidem, omnes in posterum Theologicas exercitationes esse exigendas, omnino sanxisse: ne ulla subinde dogmata in scholis illis aut exciperent Theologiæ candidati, aut traderent præceptores, quam quæ e purissimis D. Augustini fontibus derivata, Bertius ipse in libris suis, quasi pretiosa quædam libamina, gustanda omnibus propinaret. Quo factum est, ut non ipsæ modo Italicæ, sed plures etiam quam longe dissitæ nostri Ordinis Academiæ nonnisi Theologicas hujus viri doctissimi disciplinas undique personarent. Inde vero quantum aut Ordini emolumentum, aut auctori decus accesserit, non est cur ego fusiori stylo declarare contendam. Nam quod ejus libri vix editi in lucem, velut altera sciendi, aut docendi lex, a plurimis, iisque doctissimis suspiciantur; ipse vero, nedum Florentiæ & Pisis, ubi illum identidem cujusvis Ordinis viri spectatissimi consulere de rebus ecclesiasticis quasi Oraculum solebant, sed ubique terrarum apud suos, extraneosque uti præcipuus institutor, ac magister a compluribus habeatur: planam omnibus, ac tutam pandens, sive demonstrans viam, qua ad sublimiores, penitioresque Augustini doctrinas certissime pervenitur; hæc, inquam, laus & decus est Auctori nostro pene dixerim singulare, quodve, aut nulli antea, aut paucis admodum in vivis contigisse memoriæ proditum est. Nec minor inde Ordini, ejusque alumnis utilitas, præsertim sacræ Theologiæ Candidatis, accessit. Quantum enim ex methodi perspicuitate, ex verborum delectu, ex ipsa denique unitate, ac soliditate doctrinæ,

ctrinæ, quibus proculdubio plurimis hujus aut ſuperioris ævi Theologis hic noſter longe antecellit, emolumenti aut commodi ab unoquoque percipi poſſit, nemo non videt. Ex quo enim in ſcholis aliquibus libri de Theologicis diſciplinis *traditi ſunt, certum eſt ex iis omnem, ſi qua forte ſupererat, procul exulaſſe barbariem, & abjectis plurimis puerilibus tricis, ac* ſophiſmatum fæcibus, *quæ, ut optime Canus ait,* ad riſum viros doctos incitant. & delicatiores ad contemptum (*quibuſve ſcholaſticorum nonnulli, dum vanam ſubtilitatem oſtentant, a gravitate illa ac majeſtate, in theologicis palæſtris omnino ſervanda, quam longe abſunt*) *ſtyli venuſtatem, atque elegantiam, linguarum peritiam, ſacræ eruditionis ſtudium, divinorum librorum, ſanctorum Patrum, atque eccleſiaſticæ hiſtoriæ aſſiduam lectionem, ſanam denique, ſolidamque doctrinam theologicam, ſuam in iis veluti ſedem, ac domicilium hæreditario jure fixiſſe. Verum, etſi meſſis hæc multa eſt, & quæſtus uberrimus, longe tamen plures, & ſuaviores ex libris illis capere fructus poſſet ſtudioſa juventus, ſi ſtato Scholarum curriculo aut tempore illos ex integro excurrere poſſet, aut memoriæ mandare. Hæc ſane mens, hic ſcopus Auctoris fuit, ut ipſe ſcribit Proleg. c. 6. Sed, ut in longo quodam itinere, quod plures una ſuſcipiunt, partim ob plurimas, quas aut mos, aut neceſſitas exigit moras, ſive ſtationes, partim quod ex ipſis viatoribus non omnes eadem vi, aut virtute præpollent, ſæpè contingit, ut, dum infirmiorum tarditati conſulitur, robuſtiorum alacritati obſecundari non poſſit, neque itineris meta certo tempore attingi; ita plane in ipſo theologico*

ſtadio

ſtadio frequenter uſuvenit. Nam & plurimas ceſſationes ſæpe neceſſitas, ſæpe lex altera, mos ipſe, ſive uſus invexit, quibus ſtudiorum curriculum non parum intermittitur: & ipſi quoque Theologiæ candidati non eodem omnes ingenii acumine, aut viribus pollent, ut pari gradu eandem poſſint metiri viam; quapropter ex iis non pauci exacto theologicorum ſtudiorum curriculo vix medium conficiunt theologicum ſtadium, plurima præterire coacti, quæ iis imbuendis, atque formandis ſummopere contuliſſent. Cui ſane graviſſimo incommodo cum non alia via occurri poſſe proſpicerem, niſi accurata librorum illorum ſynopſi, quæ ab iis etiam, qui non tam acre a natura ingenium ſortiti ſunt, facile excurri poſſet, manum operi admovere tentavimus. Qua in re, ſicuti provinciam ſenſimus cepiſſe duram, quod pares non ſuppetant tanto oneri vires, ita mirifice recreati ſumus ob eam præcipue, quæ vobis exinde accedere poſſet, utilitatem, ſi res contingeret ex ſententia. Hac itaque ſpe exectus animus, ſubinde auctus, & confirmatus poſtremo eſt. Cum enim anno elapſo primum quaſi ſpecimen noſtri hujus conatus, non tam legendum, quam corrigendum doctiſſimis viris Romæ eſſet oblatum, & ab iis perbenigne fuit exceptum, & nobis ea de re epiſtolæ redditæ ſunt humanitatis plenæ, & officii, atque amoris erga nos ſui: quibus & labori ſtimulus eſt ſuperadditus, & fractæ antea vires adeo viſæ ſunt reſtitutæ, ut quod iis maxime in votis erat, a nobis, quaſi periculum facturis, ad exitum, Deo juvante, magna ex parte perductum ſit. En itaque ſtudioſiſſimi juvenes a pluribus expetita, vobis autem, ut ſpero, apprime utilis & neceſſaria libro-

rum XXXVII. *de Theologicis disciplinis, quoad licuit per vires, accurata Synopsis. Quam tamen non quasi rem nostram, sed ut germanum clarissimi Auctoris fœtum spectare debetis. Si enim pauca admodum excipiantur, quæ aut e nostro adjecimus penu, aut aliunde fuimus mutuati; cetera vero omnia, doctrinas nempe, atque sententias, sæpe etiam verba ipsa, ab eo in hanc nostram epitomen fuisse translata, sola utriusque lectione poterit unicuique esse compertum; hoc uno discrimine, quod inter fontem, rivulumque intercedit. Nam ille & vividiores præbet latices, & multo copiosiores; iste vero easdem aquas, sed dispartitas suppeditat, atque imminutas, adeoque teneris plantis atque fruticibus irrigandis fortasse aptiores. Hinc facile intelligetis, non eo sane consilio hanc epitomen prodiisse, ut redundantia, aut superflua ab iis libris subtraherentur: quis enim fluminis, aut fontis aquas superfluas dixerit, quod ex iis, nedum flores, aut plantæ irrigari, sed agri etiam, & prata bibere possint, & copiose inundari? Nihil ergo in libris illis occurrit, quod æqua lance, aut librato judicio non fuerit expressum:* nihil aut spongia dignum, aut crisi. *Verum, cum inter tam multa, quæ ibi expenduntur, nonnulla etiam occurrant vel minus præcipua, vel non ita necessaria, ut sine iis controversiæ status percipi, aut lis dirimi omnino non possit; horum plura brevitatis studio aut prorsus omisimus, aut extremis, ut ajunt, labiis solummodo delibavimus; ut tyrones nostri Auctorem consulant quam sæpissime, atque ex fonte ipso copiosiores aquas ebibant, quarum nos pocula, & haustus ad mensuram exhibuimus. Si quæ ergo*

ergo aut subobscure, aut implicite a nobis reddita alicubi esse forte contigerit, ea ab Auctore ipso lucem poterunt, seu claritatem identidem mutuari. Quamvis enim is nobis animus, is etiam noster conatus fuerit, ut Synopsis hæc nostra perspicuitati æque, ac brevitati consuleret, non tamen mente excidit vulgatum illud Venusini proloquium: brevis esse labore, obscurus fio. *Jamdudum, opinor, nostis, juvenes ornatissimi, quonam consilio, aut animo, manum huic operi admoverimus, nunc qua ratione, ac via nobis sit incedendum, paucis aperiemus. Tomis quinque universum opus complectimur, quorum singuli singulis annis a quovis vel mediocri ingenio commode excurri poterunt. Tot enim continebit tomus quilibet tractationes, aut libros, quot perfici possunt in iis omnibus anni feriis, in quibus de more liberalibus disciplinis dare operam, statutis legibus, præscriptum est.* Erit itaque tomus primus: *De Deo uno ac trino, atque universorum conditore. II. De originali peccato, de gratia & arbitrio, de legibus, atque humanis officiis. III. De Incarnatione, de Sacramentis in genere, ac de Baptismo. IV. De Confirmatione, Eucharistia, ac de reliquis sacramentis. V., sive postremus tempore, sed ordine primus erit de locis Theologicis, quos cl. Auctor jamdiu spoponderat, sed variis distentus curis, aliisque edendis opusculis assidue occupatus, at ipse scribit in Scholio ultimo Proleg. Venet. ed., nunquam perfecit. Reliquum est, ut de methodo ac stylo, quo in hac nostra Synopsi adornanda usi sumus, pauca dicamus. Auctoris partitionem in libros* XXXVII. *retinuimus, sed libros ipsos in certas dis-*

sertationes, atque has in capita claritatis gratia secuimus. Adnotationes brevissimas aut aliunde, aut e nostro adjecimus penu, quibus aut quæstionis status, aut historica series personarum, locorum, temporum, quorum occasione, aut contra quos instituta est disputatio, perspicue declaratur. Novas quasdam dissertationes neque omnino inutiles, aut injucundas adjecimus. Auctoris sententias pro virili defendimus: scripturarum, atque SS. PP. loca, prout in auctore jacent, fideliter recitavimus, paucis quandoque brevitatis gratia subtractis, quæ illorum sensum, nec minimum immutarent. Scholasticam methodum, quoad fieri potuit, ubique servavimus, resectis tamen sinuosis anfractibus, atque inutili verborum ambitu, uno vel altero enthimemate, aut syllogismo, in quo totus dubitationis, aut solutionis cardo versari visus est, propositiones nostras firmavimus: objecta vero eadem simplicitate proposita, pari brevitate diluimus. Stylum adhibuimus simpliciorem, nec tamen omnino incomptum aut barbarum, tametsi perspicuitati magis, quam elegantiæ studuimus. Augustiniana dogmata, quorum nonnullæ œconomiæ caussa hinc inde agitavit cl. Auctor, tamquam per ignem sæpe probata, pro virili tueri conati sumus. Scholia demum, quæ postremæ Venet. edit. adjecta sunt, ex proposito brevitatis studio, aut provectioribus reliquimus, aut nonnisi obiter delibavimus. Jam vero si quid utilitatis, aut commodi labore hoc nostro vobis accesserit, Deo gratias agite, ac Patri luminum, a quo omne datum optimum, & donum perfectum unice derivatur.

FR.

FR. FRANCISCUS XAVERIUS VASQUEZ PERUANUS SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER TOTIUS ORDINIS FRATRUM EREM. S. P. N. AUGUSTINI PRIOR GENERALIS.

CUM Opus inſcriptum = Joannis Laurentii Berti Florentini Fratris Eremitæ Auguſtiniani Theologi præclariſſimi librorum XXXVII. de Theologicis diſciplinis accurata ſynopſis &c. = a Rev. Patre Magiſtro Fratre Hieronymo Buzi Provinciæ Picenæ noſtri ejuſdem Ordinis exaratum, & a duobus noſtri Sacri Ordinis Theologis a Nobis deputatis recognitum, & approbatum fuerit; Nos tenore præſentium, noſtrique muneris auctoritate facultatem facimus præmemorato Patri Magiſtro, ut Typis mandari poſſit, ſervatis tamen ſervandis, juxta Decretum Sacroſancti Concilii Tridentini de libris edendis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Datum in Conventu noſtro S. P. Auguſtini de Urbe die 23. Martii an. 1766.

FR. FRANC. XAV. VASQUEZ GEN.

Noſtri mun. aff. Sig.

Mag. Reg. F. Emmanuel M. Pignone Ord. Secr.

Reg. lib. 13.

QUA par erat fide & integritate, jubente Reverendiſſimo P. FRANCISCO XAVERIO VASQUEZ Magiſtro Generali Ordinis, vidimus & obſer-

observavimus *Tomum I. accuratæ synopseos librorum* XXXVII. *Joannis Laurentii Berti .... de Theologicis disciplinis ... opera ac studio alterius Augustiniani Theologi* diligenter instructæ, & elaboratæ: quumque nihil in eo deprehenderimus, quod non antea in Romana eorundem librorum editione tanquam Catholicæ Fidei, & Ethicæ Christianæ consonum adprobatum fuerit, publicis imprimi posse censemus.

Romæ ex cœnobio Augustiniano VI. *Kal- Aprilis an. 1766.*

Fr. Augustinus Antonius Georgi Procurator generalis Ordinis Erem. S. P. Augustini, Angelicæ bibliothecæ Præfectus, & publicus in Romanæ Sapientiæ archigymnasio scripturæ S. Professor.

Fr. Augustinus Selmi Assistens Italiæ, Ord. Erem. S. P. Augustini, & promovendorum ad episcopatum examinator.

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del *P. F. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor General del Santo Officio di *Venezia* nel libro intitolato: *Jo. Laurentii Berti librorum 37. de Theologicis diſciplinis accurata Synopſis &c. Stamp.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Gio. Battiſta Remondini* Stampator *di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Libreire di Venezia, e di Padova.

Dat. li 27. Marzo 1767.

(Sebaſtian Zuſtinian Rif.

(Andrea Tron Cav. Rif.

(Girolamo Grimani Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 311. al Num. 2078.
Davidde Marcheſini Segr.

Addì 30. Marzo 1767.
Preſentata nel Magiſt. Excell. contro la Beſtemmia
Gio. Pietro Dolfin Segr.

APPROBATIO ET FACULTAS REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI D. ORDINARII.

Cum Bibliopola Universitatis hujatis Bambergensis *Tobias Göbhardt* humillime exposuerit, quatenus Librum, cui Titulus est: *JOANNIS LAURENTII BERTI, fratris Eremitæ Augustiniani Theologi Præclarissimi Librorum* XXXVII. de Theologicis Disciplinis accurata Synopsis, juxta Exemplar Romæ anno 1767. impressum propriis suis sumptibus imprimi curare velit, ac desuper facultatem imprimendi, & approbationem à Reverendissimo Ordinatu Bambergensi expetierit, idemque Liber tum Romæ tum Venetiis utpote nihil contra orthodoxam fidem & doctrinam continens jam approbatus fuerit, hinc eidem memorata facultas & approbatio per præsentes Sigillo Regiminis Ecclesiastici Majori roboratas, conceditur Bambergæ die 22. Septembris 1768.

(L. S.) HENRICUS JOSEPHUS
Episcopus Antipatrensis
Suffragenus & Provicarius Generalis.

DIS-

DISSERTATIONES THEOLOGICÆ DE DEO UNO AC TRINO,

atque Universorum Opifice.

Præcipua catholicæ religionis arcana, unum ſcilicet in trinitate Deum, rerum omnium opificem & conditorem, hoc primo volumine complexuris, lubet diſputationem omnem dividere in partes tres. Quas omnes libris duodecim comprehenſas, unius anni intervallo a tironibus noſtris percommode abſolvi poſſe cenſemus. Prior naturæ divinæ unitatem, altera trinitatem reſpiciet perſonarum. Poſtrema vero Deum ipſum, veluti extra ſe, in ipſa rerum molitione ſpectabit. Ac de prima quidem agemus libris ſex, de altera autem ac tertia ſex libris reliquis pertractabimus.

PARS PRIMA
DE DEO UNO.

Deum unum dicimus rem, ſive ſubſtantiam perfectiſſimam, quæ a nullo pendet, ut ſit, quæve

rerum omnium caussa & origo est. Hujus itaque rei præstantissimæ existentiam, unitatem, essentiam primo loco investigabimus. II. Proprietates, ac dotes. III. De visione Dei sermo erit. IV. De scientia ac sapientia ejus. V. De voluntate ac providentia. VI. Denique de electione ac prædestinatione sanctorum.

LIBER I.

De existentia, unitate, atque essentia Dei.

Binas dissertationes hoc libro complectimur. Quarum prior Dei existentiam contra Atheos; altera ejus unitatem contra Polytheos demonstrabit. Ubi etiam scholarum placita proferentur circa gradum, ut vocant, divinæ essentiæ constitutivum.

DISSERTATIO I.

De existentia Dei.

Dei existentiam negarunt ex veteribus Theodorus Cyrenaicus, Protagoras, Epicurus, atque Diagoras, Tullio teste, Suida, aliisque. Ex recentioribus vero Lucilius quidam Tolosæ combustus, aliique Romæ perpetuis addicti carceribus (1). Hi nimi-

(1) Confidentiam Petri Baylæi hoc loco spectare lubet, qui in suo dictionario hist. crit. in vocabulis *Abelard*, & *Cesalpin*, universam Scotistarum scholam Spinozistis, adeoque Atheis per summam injuriam accenset, atque eorum *universale formale a parte rei*, sive *unitatem formalem, & realem*, nil aliud esse opinatur præter Spinozæ naturam, qui illam tamen elegantioribus formis & coloribus pingere, aut exornare curavit. Et quidem Scoti hypothesim recta via ad Spinocismum perducere affirmat etiam Jo. Franciscus Budæus, sed ingenue fatetur a Scoti discipulis pernegari, ex ejus hypothesi impium Spinozæ dogma educi posse, aut hoc a Scotistis probatum iri, si ad consequen-

nimirum *dum nimium amant hoc sæculum* adeo a suis affectionibus excæcantur, *ut dicant in corde suo non est Deus*, ait S. P. A. in Ps. 13. Hinc Epicurus Atheorum coriphæus sublata opinione de providentia, ac de pœnis impiorum post mortem, omnem tolli molestiam censuit atque formidinem. Constat itaque Atheorum insaniam e morum turpitudine, veluti ab impuro fonte, manasse: boni siquidem suppliciorum terrore, quæ apud inferos esse constat, quod videlicet ad se non pertineant, minime percelli solent. Iis itaque revincendis prior hæc nostra dissertatio tota occupabitur. Productis ea de re primo, ac secundo capite argumentis, atque demonstrationibus invictissimis, tertio Atheorum cavillationes diluet, atque sophismata, quarto Dei existentiam & per se notam esse, & a nemine invincibiliter ignorari posse, perspicue monstrabit.

---

sequentias, quæ ex eorum hypothesi necessario eruuntur, animum advertissent. Verum utrumque hoc falsum est. Siquidem Scotistarum hypothesis toto cælo distat a Spinozæ systemate, & a Spinozismo homines abstrahit, non perducit. Scotus enim non secus ac alii theologi D. O. M. ita mentem esse puram ac simplicem opinatur, ut nihil in ea sive concretum, sive corporeum, aut ad instar corporis sit preformatum, cum aliunde Deus Spinoze animo & corpore constare debeat. II. Corpus sive materiam per se esse, aut ab æterno extitisse, nunquam docuerunt Scotistæ, sed cuncta a Deo ex nihilo educta esse. Spinoza vero omnia per se esse, æternæque menti coæva opinatur. Tandem Scotistæ ita Deum ubique sua immensitate diffundi putant, ut nulla cum re jungi arbitrentur, aut permisceri. Quæ quidem Pantheistarum exploratæ sententiæ omnino adversantur.

CAPUT I.

Dei existentia ex omnibus ingenita ejus idea comprobatur.

Not. I. Quamvis existentia Dei demonstrari non possit *a priori*, sive per caussam, cum rei perfectissimæ nulla sit caussa; eam tamen *a posteriori*, nempe ab effectibus, ostendi posse metaphysicis, physicis, ac moralibus argumentis, neminem latet. Metaphysica argumenta a nonnullis petuntur ex ingenita Dei idea (1). Ab aliis autem ex ente necessario,

(1) Quamvis ingenitam Dei ideam a paucissimis monachorum propugnari, semidocti nonnulli nostri hujus ævi contendant, pro ea tamen tanquam pro aris ac focis decertat, præter Denesliuum in suo *Examine materialismi* Parisiis edito ann. 1754., Jaquelotius, qui licet omnes Cartesii sententias adoptarit, censet tamen hujus philosophi de divina existentia demonstrationem ex ingenita Dei idea petitam, irrefragabilem esse atque firmissimam. Qua de re Mezereus, tametsi Jaquelotio in pluribus adversetur, fatetur tamen plures ex veteribus ecclesiæ PP. hanc ideam agnovisse.

Quid? quod ipse etiam Franciscus Buddæus in tract. *de Atheismo* cap. 5. licet non consentiat Cartesio in Dei existentia per ideam ingenitam comprobanda, statuit tamen veluti principium, quod a nomine cordato viro negari possit, divinæ existentiæ notitiam esse alte mentibus nostris impressam. Et in notis cognitio ista accipitur pro illa animi inclinatione, quæ nos cogit, ut ei propositioni assensum præbeamus, quæ statuit Deum esse, quem adorare opus est. Nusquam autem huic propositioni, *Deus est*, assensum præbere poterimus, nisi ideam hujus vocabuli *Deus* habeamus. Jam vero si hæc idea esset acquisita per congeriem perfectionum creaturarum, & detrahendo ab imperfectionibus, quæ extant in perfectionibus creatis,

rio, & contingenti. Physica ex prima caussa, atque ex motu, ac serie caussarum. Moralia denique ex ordine universi, atque ex communi hominum consensione.

Not. II. Censuit Cartesius (1) med. 3. & 5. ex in-

genita

creatis, antequam huic propositioni, *Deus existit*, præberemus assensum, deberet quis creatas perfectiones conjungere, & imperfectiones detrahere, ut postea Dei ideam sibi posset effingere. Ita naturalis hominis inclinatio in ancipiti statione maneret, neque in actum erumperet. Hinc facile conjici posse videtur, futurum aliquando, ut rejectis Lokianis placitis, quæ tanto nunc plausu a recentioribus excipiuntur, sanioribus Augustini principiis de ingenita Dei idea rursus philosophari contingat. Ita *multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque, quæ nunc sunt in honore.*

(1) Quidam recentiores, atque effrænes philosophi existimant Cartesium per demonstrationem subnixam ingenitæ Dei ideæ, ipsius existentiam tenebris offundere voluisse, idque pravo animo, aut consilio effecisse. Sed iis par pari referre facile possent Cartesiani, atque eandem conflare possent illis invidiam, qui sola idea acquisita innituntur, ut Dei existentiam demonstrent. Siquidem ex creatarum perfectionum congerie, atque ex detractione imperfectionum exsurgere nequit cumulus infinitus perfectionum increatarum: unde rediret argumentum. Cum enim perfectiones creatæ sint objecta finita, finitæ erunt perceptiones, quæ iisdem objectis respondent: finita etiam & creata harum perceptionum, atque objectorum congeries. Atqui ex finitarum rerum congerie fingi nequit idea entis infiniti: ergo idea Dei acquisita erit phantastica mentis illusio, dolo malo a recentioribus superinducta, ut congenitam Dei ideam everterent, atque solidiora divinæ existen-

tiæ

genita idea Dei, hoc eſt rei perfectiſſimæ, Dei ipſius exiſtentiam invicte probari. In ea enim idea actualis exiſtentia, quæ maxima perfectio eſt, perſpicue relucet. Cum autem hæc idea a creaturis, utpote imperfectis, proficiſci non poſſit; ab uno Deo repetenda eſt: qui ſolus omnes in ſe continens perfectiones, ſolus etiam rei perfectiſſimæ cauſſa, & origo eſſe poteſt. Idem ſentiunt Tournelyus (*a*), Juenin (*b*), & Carteſiani omnes. Adverſantur præter vetuſtiores Huetius (*c*), l'Herminier (*d*) &c. ut omittam

tiæ argumenta infirmarent. Denique ſi quis proprio marte hanc ideam ſibi cudit ex creatarum perfectionum, detractis imperfectionibus, combinatione, ubi poſtremum hujus cumuli gradum attigerit, neceſſe eſt, ut ſaltum adeo enormem eliciat, quanta eſt inter finitum, infinitumque diſtantia. Ego vero ſententiæ viri noſtri hujus ævi doctiſſimi pollice utroque ſubſcribo, qui opinatur D. O. M. ideam ſui ipſius omnium hominum mentibus indidiſſe, quantum ſat eſt, ut ſeſe cognoſcendum exhibeat veluti ens perfectiſſimum, independens, ſummum, atque infinitis perfectionibus cumulatum, adeoque omni honore digniſſimum. Hanc tamen ideam poſt Adæ lapſum innumeris diſtractionibus errantis animi impeditam, ac tenebris involutam, creatarum perfectionum occaſione plus minuſve in hominibus excuti, ſive excitari. Hinc colligi poteſt quam immerito recentiores Lokiana dogmata Auguſtini principiis, atque ipſi, in hac parte, Carteſianæ philoſophiæ anteferre maluerint, cum ſint bonorum omnium judicio perniciosiſſima. Atque ex errorum portentis, quæ *ſpiritus*, ut vocant, *fortiores* identidem invexere ex Lokiana philoſophia, germana ſe ſe iſthæc prodit impii materialiſmi altricem eſſe atque parentem.

(a) *Q.* 1. *art.* 1. *&* 3. (b) *T.* 2. *q.* 2.
(c) *Cenſ. Cart. c.* 4. (d) *De exiſt. Dei q.* 1.

omittam Socinum (*a*), ac Wolzogenium (*b*) heterodoxos. Quid vero ſit nobis ea de re ſentiendum, ſequentibus aperiemus.

Propositio I. Argumenta, quibus idea Dei unicuique congenita probatur, graviſſima ſunt, & ad æquos homines convincendos aptiſſima.

Prob. I. ex ſacris literis. Nam Pſ. 4. habetur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Joan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Apoſtolus Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Atqui lumen illud, ea lux, illa denique lex, eſt ipſa omnibus ingenita idea Dei: ergo idea Dei eſt cuique congenita.

℟. L'Herminier, producta loca eſſe exponenda, vel de naturali intellectione, vel de rebus a Deo productis, quibus in creatoris notitiam aſſurgimus, ſive de gratiæ beneficiis. Reapſe nullus PP., ait Henno, de ingenita Dei idea exponit hæc loca; ſed aut de providentia, de ejus imagine, aut de lege naturæ.

Verum admiſſis etiam iis interpretationibus, ingenita Dei idea non excluditur, ſed confirmatur. Siquidem intelligendi facultas, atque externa Dei opera, cum ſint finitæ virtutis, non poſſunt ideam ingerere rei perfectiſſimæ, niſi firmiſſima veritatis regula accedat. Fides autem, atque alia gratiarum dona, non omnibus conferuntur. Providentia Dei etiam cum nobis rationem indidit, veritatis normam adjecit, certumque criterium. Tandem naturæ lex, quæ ab æterna non deviat, ingenitam Dei ideam non evertit, ſed conſtituit.

Ad Patres vero quod attinet, fallitur Henno, dum ait, producta loca de ingenita idea ab iis non exponi. Nam S. P. in Pſ. 4. ait: *Hoc lumen eſt totum hominis, & verum bonum. Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius regis imagine.* Atqui imago denario inſculpta eſt, atque impreſſa: ergo Dei lu-

 men,

(a) *Prælect. Th.* 36. 2. (b) *In med. metaph.*

men, & idea nobis inſeritur. Hieronymus vero in ep. ad Gal. ad illud Jo. 1. *Erat lux vera* &c. ait: *Ex quo perſpicuum fit natura omnibus Dei ineſſe notitiam.* Atqui notitia, quæ omnibus ineſt natura, eſt idea Dei ingenita: ergo &c. Tandem Origenes c. Celſ. c. 1. ad locum Ap. Rom. 2. ait, *Deum eorum, quæ per prophetas docuit, ſemina indidiſſe omnium animis, ut homo ſit inexcuſabilis, habens legem mentis ſcriptam in corde ſuo*: atqui lex mentis in corde ſcripta, eſt ipſamet idea Dei ingenita: ergo &c.

Prob. II. ex SS. PP. Juſtinus m. apol. I. hæc habet: *Dei appellatio nomen non eſt, ſed rei inenarrabilis naturæ hominum inſita opinio.* Euſebius l. 2. Præp. ev. c. 9. ait: *Dei nomen ipſius naturæ ductu, impreſſiſque animo per ſe notionibus, nemo non intelligit.* Tertullianus de Teſt. animæ c. 5. ſcribit: *Magiſtra natura, anima diſcipula: circumventa ab adverſario, meminit ſui auctoris: ſed quis ejuſmodi eruptiones non putaverit doctrinam eſſe naturæ congenitæ, & ingenitæ conſcientiæ?* Arnobius c. Gent. c. 1. *Quiſpiam ne eſt hominum, cui non ſit ingenitum, eſſe regem, ac dominum cunctorum moderatorem?* Atqui hæc loca non poſſunt intelligi de cognitione a ſenſibus hauſta, ut contendit l'Herminier: ergo de idea ingenita. Prob. min. Idea enim & cognitio ex laud. PP. eſt naturæ hominum inſita, per ſe impreſſa animo humano, & conſcientiæ congenita: ergo non eſt a ſenſibus, ſed innata.

Prob. III. rationibus S. P. Aug. I. In idea Dei relucet infinitas, independentia, atque omnimoda perfectio. Atqui hæc idea eſt ingenita: ergo &c. Major eſt Aug. l. 1. doctr. 7. ubi ait, neminem inveniri, *Qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt.* Min. vero prob. Si enim idea Dei eſſet a ſenſibus, non poſſet in nobis firmiſſimum judicium parere; ſenſus enim, utpote finiti & mutabiles, rem infinitam atque immutabilem, ut Deum, exhibere non poſſunt. Lex ergo & regula firmiſſimi judicii extra ordinem rerum corporearum, ac finitarum ſtatuenda

eſt.

eſt. *Hæc autem lex*, ait S. P. de ver. Rel. c. 30. *cum ſit incommutabilis, mens vero mutabilitatem pati poſſit erroris, ſatis apparet ſupra mentem noſtram eſſe legem, quæ veritas dicitur.*

II. Senſuum organa mentem obnubilant, & impediunt veritatis aſſecutionem: ergo ex iis erui nequit immutabilis regula veritatis. Prob. ant. ex Aug. qui l. 8. Trin. 3. ait: *Noli quærere quid ſit veritas; ſtatim enim nubila phantaſmatum perturbabunt ſerenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem veritas.*

III. Idea a ſenſibus hauſta pro varietate educationis, ætatis, loci ac temporis variatur: atqui idea Dei apud omnes eſt ſemper eadem: ergo non eſt a ſenſibus hauſta, ſed ingenita. Ita S. Pater l. 2. de lib. arb. c. 20.

Dices, Auguſtinum fuiſſe aliquando platonicum, ſed poſtea platonica dogmata retractaſſe: ergo perperam ejus profertur auctoritas.

℞. Neg. ant. Quamvis enim S. P. Aug. arriſerit platonica philoſophia, non tamen ejus præjudicia adoptavit. Quapropter non tam diſcipulus, quam caſtigator Platonis dicendus eſt Auguſtinus; nam ex innumeris ideis, quas Plato commentus eſt, unam ſtatuit æternam, a Deo indiſtinctam, immutabile judicii criterium, invictumque ſupremi numinis teſtimonium: a qua ſententia nunquam receſſit S. P. imo eam firmavit l. 1. retr. 4. ubi exploſa Platonis reminiſcentia, ait, *Vera reſpondere de quibuſdam diſciplinis etiam imperitos, quia præſens eſt eis lumen rationis æternæ:* ergo in ipſis retract. libris admiſit S. P. ideam ingenitam.

Prob. 4. ex ethnicorum ſcriptorum conſenſione. Jamblicus enim de myſt. c. 3. *Cohæret*, inquit, *noſtræ ipſi ſubſtantiæ de Diis innata cognitio.* Cicero l. 1. de nat. D. *Quæ gens fuit, vel eſt, quod genus hominum, quod non habeat anticipationem quandam Deorum?* Seneca ep. 117. *Omnibus de Diis inſita opinio eſt:* ergo &c.

Ob. I. Idea Dei ingenita repugnat scholarum axiomati, *Nihil est in intellectu* &c. nec non Apostolo Rom. 1. dicenti: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* ergo rejicienda est.

℟. Neg. ant. Illud enim axioma de rebus corporeis, & sensibilibus accipi debet, non de incorporeis, & invisibilibus, sive de ideis acquisitis, non vero de ingenitis, & innatis: nisi eo sensu, quod anima a rebus sensibilibus excitatur, ut ad ingenitam ideam attendat. Quo etiam sensu ait Apost. per visibiles creaturas nos excitari, atque assurgere in Dei cognitionem, qui illam produxit ex nihilo: hinc S. P. Aug. in Ps. 41. ait: *Video quæ fecerit Deus, non tamen video ipsum Deum; sed quoniam invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur, considerabo terram, sed habet artificem, magnitudinem maris, pulchritudinem siderum. Deus meus, qui fecit hæc, non istis oculis est inquirendus. Dicatur mihi, quem colorem habeat sapientia? Quid sonat ad aures? Quid manu tractatur? Et intus est, & pulchra est, & laudatur: est ergo aliquid, quod animus videt, quod non per oculos corporis sentit, non per aures, sed per se ipsum.* Res ergo corporeæ ad percipienda invisibilia manuducunt animum ad se ipsum revocando, in quo summa veritas, non per sensus, sed per ideam ingenitam, aperte dignoscitur.

Inst. I. Idea summi boni fit negando imperfectiones, quæ sunt in creaturis: ergo idea Dei est acquisita, non innata.

℟. Neg. ant. Non enim summum bonum concipimus, quod res creatæ sint imperfectæ, sed e contra creaturas imperfectas agnoscimus, quia ab ente perfectissimo quam longe absunt; ut enim ait Boethius l. 3. cons. Pr. 10. *In diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur.*

Inst. II. Idea Dei finita est & creata: ergo Deum infinitum & increatum exhibere non potest.

R. Dist. ant. Creata est, & finita, prout est mentis perceptio, conc. prout est indefectibile lumen per-

perceptionem producens, nego. Lex enim veritatis, five idea ingenita, qua per Aug. mens noſtra de rebus certa judicia profert, non eſt mera perceptio, ſe tenens ex parte potentiæ, ſed ipſum lumen indefectibile veritatis, menti affulgens, & perceptionem in intellectu producens. Itaque idea Dei dupliciter ſpectari poteſt, nempe ex parte principii, atque ita increata eſt, & infinita, & ex parte potentiæ, ſeu ſubjecti, in quo recipitur, ſicque finita eſt, & creata. Hoc ſenſu lumen gloriæ infinitum eſt, & increatum ex parte principii, finitum vero, & creatum ex parte potentiæ aut ſubjecti, in quo recipitur. Gratia item ratione principii increata eſt, infinita, & indeliberata, cum ſit Deus ipſe operans, movens, delectans, illuminans &c. Ratione autem ſubjecti, nempe intellectus, ac voluntatis, creata eſt, finita, deliberata &c. Quæ ſane adeo ſunt explorata, ut ab iis etiam, qui non alias ideas, præter acquiſitas agnoſcunt, neceſſario debeant admitti.

Inſt. III. Si lumen hoc nobis perpetuo affulgeret, naturaliter Deum intuitive videremus: ſed hoc eſt damnatum in concilio Viennenſi: ergo &c.

℞. Diſt. maj. Videremus intuitive, ſi lumen illud menti affulgeret per modum ſpecialis objecti, omnes perfectiones exhibens, viſione clara, & *facie ad faciem*, con. Si affulgeret per modum naturalis legis, ſolam Dei exhibens exiſtentiam, aliaſque perfectiones confuſe, atque ænigmatice, neg. Hoc autem ſecundo modo, non primo, Deum in hac vita videmus. *Per ſpeculum* nempe *in ænigmate*, quod ſane *beatiſſimos nondum facit*, ait S. P. 1. Retr. 14. *Illud autem beatiſſimos facit, quod ait, tunc autem facie ad faciem.* Merito ergo in conc. Vienn. Beguardi damnati ſunt, qui Deum in hac vita abſque lumine gloriæ, *facie ad faciem*, ac pleniſſima perceptione videri poſſe affirmabant.

Inſt. IV. Ex hac ſententia ſequitur, quod naturaliter quiſque in Deum tendit, & naturaliter habet

bet fidei ſemina &c.: ſed hoc dicere eſt ſemipelagianum: ergo falſa eſt hæc ſententia.

℞. Diſt. min. Semipelagianum eſt dicere, eſſe in viribus naturæ initialem gratiam, & fidei primordia, conc.; eſſe in nobis naturalem perceptionem Dei, ut auctoris naturæ, & in eum nos naturaliter tendere, nego. Fides ergo ſupernaturalia ſpectat, e. g. Trinitatis, aut Incarnationis myſteria, quæ naturaliter cognoſci poſſe, ſolus hæreticus dixerit. At Dei exiſtentia non eſt fidei objectum, niſi prout creditur Deo revelanti. Si vero fides latiori modo ſumatur pro qualibet Dei notitia; quis vetat *animam* dicere cum Tertull. *naturaliter chriſtianum?*

Ob. II. Idea Dei innata, neque actus eſt, quia non elicitur, neque habitus, ſola namque naturalis intellectio eſt habitus: ergo eſt commentitia.

℞. Neg. ant. Nam idea Dei, prout eſt mentis perceptio, eſt actus, qui a ſola humana mente non elicitur, ut dictum eſt. Prout vero lumen eſt, & lex veritatis, datur per modum habitus, nec eſt ſola naturalis intellectio, ſed Deus ipſe nobis intime præſens, ut norma judiciorum noſtrorum.

Ob. III. Si quæ foret ingenita Dei idea, eſſet ſane idea ſummi boni, ſive idea entis perfectiſſimi: atqui neutra eſt innata: ergo nulla. Prob. min. Non I. alias gentes nunquam peccarent, cum ſemper agant propter bonum, adeoque propter Deum. Non II., nam Athei fatentur quidem ideam entis perfectiſſimi, quam ſtatuunt in univerſo, & tamen Deum perfracte negant: ergo neutra ex iis ideis eſt ingenita.

℞. Neg. min. ad I. prob. neg. ant. Ut enim quis agat propter Deum, non ſufficit, ut agat univerſe propter bonum, ſed opus eſt, ut agat propter ſummum bonum, quale eſt Deus. Peccant ergo qui ſummum bonum conſtituunt in bonis apparentibus, *in quibus non eſt ſalus.* Ad II prob. neg. conſ. Cum enim Spinoza, aliique Athei ideam entis perfectiſſimi in univerſo, atque in imperfectis creaturis conſti-

ſtituant; quis non videat, eam eſſe perverſe confictam, non a natura congenitam?

Ob. IV. Henno. Ad judicii firmitatem ſat eſt habitus primorum principiorum: ſed iſte acquiſitus eſt, non ingenitus: ergo ſuperflua eſt idea innata.

℞. Nego min. Habitus enim primorum principiorum, qui ſit irrefragabilis veritas, eſt ipſa idea ingenita, ac indefectibile lumen, ut dictum eſt.

Propositio II. Suppoſita idea Dei ingenita, facile exiſtentia Dei demonſtratur.

Prob. Quilibet effectus debet in ſua cauſſa, vel eminenter, vel formaliter contineri: atqui in creaturis, utpote imperfectis, idea rei perfectiſſimæ neutro modo continetur: ergo hæc idea eſt a Deo, adeoque exiſtit Deus. Confirmatur; nam in idea Dei, ſive rei perfectiſſimæ, relucet exiſtentia, quæ eſt perfectio: ergo poteſt de ea certiſſime affirmari. Ita S. P. l. 8. Civ. D. 6., aliique.

Ob. I. Licet in idea ſubſtantiæ cogitantis actualis exiſtentia reluceat, non tamen certus ſum illam actu exiſtere, niſi divina veracitate ſuppoſita, quæ me decipi non patiatur: ergo a pari licet in idea rei perfectiſſimæ actualis exiſtentia reluceat, de ea tamen certus non ero, niſi ex divina veracitate, quod eſt petitio principii.

℞. Neg. ant. Idea enim ingenita, per Aug., non eſt ſola mentis perceptio, ſed lex æterna & indefectibile lumen, adeoque non eſt certa divina veracitate ſuppoſita, ſed contra certi ſumus Deum eſſe veracem, quia veracitas relucet in idea rei perfectiſſimæ. Hæc autem idea non eſt divinum lumen, prout eſt in ſe, ſed prout eſt nobis intime præſens. Non probamus ergo Dei exiſtentiam per eandem exiſtentiam, ut Carteſius: ſed per exiſtentiam divini luminis in mente noſtra Dei exiſtentiam comprobamus, quod non eſt petitio principii.

Ob. II. Licet in idea circuli reluceat rotunditas, non ſequitur acta circulum extare: ergo licet in idea Dei exiſtentia reluceat, actu non exiſtit.

℞. Neg.

℟. Neg. conf. & par. In idea enim circuli, non actualis existentia relucet, sed possibilis. In Deo autem existentia actualis, quæ perfectio est, perspicue relucet: adeoque non potest ab eo separari.

Proposotio III. Etiamsi idea Dei non esset ingenita, sed a sensibus hausta; ex ea tamen Dei existentia invicte demonstraretur.

Not. Ingenue fatendum est, non omnibus probari ingenitas ideas, easque aperte rejicit cl. auctor in schol. postremæ editionis Venetæ operum suorum. Non inde tamen putandum est veritatem prioris propositionis everti, ubi pro idea Dei innata cum Aug. pugnavimus. Hæc enim non in sola perceptione, sed in lege æterna, atque indefectibile lumine a nobis constituitur, ut sæpe dictum est. Sed etiamsi id ultro daremus adversariis, nullam inesse nobis congenitam Dei ideam, sed eam esse a sensibus haustam, tamen Dei existentia ex ipsa posset ostendi.

Prob. Datur enim idea rei perfectissimæ, vel ingenita, vel acquisita: ergo existit Deus. Prob. conf. Si enim idea Dei est ingenita, a Deo est, & proinde existit Deus, ut prop. I. & II. probatum est. Si vero est acquisita, sic arguitur. Idea rei perfectissimæ, ideo ex creaturis efficitur, quia inter eas unam conspicimus altera perfectiorem: ideoque creaturæ magis, minusve approximantur perfectioni, quæ sic ceteris supereminet, ut superiorem habere non possit: sed perfectio, quæ superiorem non habet, est Deus: ergo si datur idea entis summe perfecti etiam a sensibus, existit Deus. Utuntur hoc argumento S. P. Aug. in Ps. 26., l. 8. Civ. D. 6., Anselmus Monol. c. 4., Richardus, D. Thomas, Ægidius aliique complures.

Ob. I. Ex quo in creaturis alia sit altera pejor, non infertur summi mali existentia: ergo ex quo alia sit altera melior, non eruitur existentia summi boni.

℟. Neg. conf. Repugnat enim idea summi mali, cum nequeat existentiæ bono carere. Summum bonum contra nequit intelligi sine existentia, quæ magna perfectio est.

Ob.

Ob. II. Color lucidior altero, vel animal alio perfectius non arguit colorem lucidissimum, aut perfectissimum animal: ergo creatura alia perfectior non arguit rem optimam, aut ens perfectissimum.

℞. Neg. conf. Color enim, & animal, cum sint res finitæ, nec necessario existant, ab idea rei perfectissimæ, atque infinitæ quam longe absunt. Ast idea infinitatis in idea summi boni perspicue relucet, adeoque potest de eo certissime affirmari.

CAPUT II.

De aliis contra Atheos invictissimis argumentis.

Quamvis pervulgato argumento, quod petitur ex idea Dei, sive ingenita, sive acquisita, Dei existentia invictissime ostendi possit, ut supra probatum est: quia tamen Athei eadem facilitate acquisitam Dei ideam negare possunt, qua negant innatam, iis omnino revincendis sequentia argumenta subjicimus.

I. Argumentum metaphysicum ex rerum contingentia.

Quidquid in orbe conspicitur, contingenter existit. Germinant plantæ, & arescunt, fontes fluunt, & exsiccantur, animalia gignuntur, & pereunt: homo ipse *fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Atqui hæc contingentia supponit ens necessarium, nempe Deum: ergo existit Deus. Prob. min. Si omnia essent contingentia, posset fieri hypothesis, quod nihil existeret: sed in ea hypothesi omnia impossibilia forent, cum nihil nullius rei caussa esse possit: existit ergo ens necessarium, per quod facta sunt omnia.

℞. I. Epicurei, neg. min. Ens enim necessarium sunt, per ipsos, insectiles atomi, quorum fortuito concursu coaluit universi compago, cum ex nihilo nihil fieri possit, ut ostendit Lucretius l. 1. de rer. nat. Verum nihil fingi potest absurdius epicurea hypothesi. Si enim atomi diversæ figuræ sunt, atque aliæ aliis solidiores, omnes subinde perpetua collisione

ſione frangentur: ergo non erunt inſectiles. Deinde, cum ex nihilo nihil fiat, falſo ſupponit Lucretius eas non fuiſſe productas: ergo nec erunt æternæ: recte igitur credimus Deum omnia feciſſe ex nihilo, quia, ut ait S. P., licet *omnia de materia facta ſint, ipſa de nihilo facta eſt.*

℞. II. Spinoza, neg. maj. Nullum enim datur ens contingens. Siquidem omnis ſubſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens: ergo non eſt ab alio producta. Sed gerræ iſtæ ſunt. Subſtantia enim dicitur *ens per ſe* ad differentiam modi entis, qui alio inhæret, ut albedo &c., quæ indiget ſubjecto, ut exiſtat; ſubſtantia vero, ut homo, exiſtit per ſe, licet eſſe habeat a Deo.

℞. III. alii Athei. A ſenſu diſtributivo ad collectivum, a parte ad totum non valet conſecutio: ergo licet res aſpectabiles ſint contingentes, talis non eſt tota rerum complexio. Sed plane falluntur. In iis enim, quæ ad rei eſſentiam ſpectant, valet ea conſecutio: & recte arguitur ſi dicatur, e. g., ſinguli homines ſunt rationales: ergo tota hominum collectio eſt rationalis. Atqui contingentia rebus aſpectabilibus eſſentialiter convenit, alias neceſſariæ forent, non contingentes: ergo &c.

Oppones. Ex quo ſingula poſſibilia eſſe poſſint, non ſequitur omnia poſſibilia collective actu exiſtere poſſe: ergo ex quo contingentia poſſint non eſſe, non infertur omnia contingentia collective poſſe actu non exiſtere.

R. Neg. conſ. In idea enim poſſibilium relucet exiſtentia poſſibilis, non actualis; repugnat ergo omnia collective poſſibilia actu exiſtere, alias nil remaneret in potentia, & omnis poſſibilitas tolleretur: quod abſurdum in idea contingentium non ſequitur; in iis enim poteſtas exiſtendi, & non exiſtendi, ex æquo percipitur, unde ſemper ſunt mutabilia.

II. Argumentum phyſicum ex motu, ac ſerie cauſſarum ſecundarum.

Vivi-

Vivido ſenſu omnia moveri conſpicimus: ſed ea nonniſi a ſuprema cauſſa immobili moveri poſſunt: exiſtit ergo prima cauſſa immobilis, quæ Deus eſt. Prob. min. Nam quæ moventur, vel a ſe, vel ab alio moventur: atqui non a ſe, eſſent enim primum movens immotum, nempe Deus: neque ab alio in infinitum; repugnat enim hic proceſſus in infinitum, ut docent philoſophi omnes: ergo a Deo prima cauſſa moventur: alias nullus effectus produceretur in tempore; ad hoc enim debet exhauriri infinitum, quod repugnat. Cauſſæ enim ſecundæ inſtar numerorum cenſendæ ſunt; ſicut ergo ſublata unitate, neque binarius, qui ex duplici unitate coaleſcit, neque ullus numerus ſupputari poteſt: ita prima cauſſa ſublata, nulla alia poteſt excogitari. Sic ante Merſennium ratiocinatur Ægid. aliique ſcholaſtici, a quibus omnia argumenta ſumpſerunt Grotius, Clarkius, Abadiæ, Nieventhith, de Rham, Jaquelotius, aliique recentiores, qui adverſus Atheos argumenta ex humana ratione petita fuſius proſecuti ſunt

R. I. Epicurei primam cauſſam eſſe atomos, quæ rerum omnium formas efficiunt. Sed *nemo iſta, præter Leucippum ſomniavit*, ait Lactantius 3. inſt., *a quo Democritus eruditus hæreditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro.* Vel enim atomi recta moventur lineis parallelis, vel incurvantur. Si hoc, ergo motus atomorum non eſt eſſentialiter rectus: ſi illud, nunquam cohærebunt, niſi ab alia cauſſa inclinentur. Parallelæ enim nunquam ſe intercidunt. Dato ergo unicuique corpori motu recto; *quæ nova cauſſa in natura eſt, quæ declinet atomum?* Ait Tullius lib. de fato.

R. II. quidam Sinenſes, rerum omnium cauſſam eſſe bonitatem eſſentialem, undique diffuſam, quæ eſt materia ſubtilior, aut quinta eſſentia pythagorica. Fabulæ; vel enim hæc bonitas eſt a ſe, & eſt Deus; vel ab alio, & eſt bonitas participata, non eſſentialis. Deinde hæc ſumma bonitas eſt ma-

teria cujusque corporis: ergo non est una, neque universalis, & ubique diffusa. Tertio, hæc opinio non differt ab Epicuri deliramentis: ergo &c.

Ob. I. Si creaturæ moveantur invicem, ad instar catenularum in circulo, servatur caussarum series absque prima, & tollitur processus in infinitum: ergo &c.

R. Neg. ant. Cum enim res creatæ a suis caussis fiant, debet caussa vel natura, vel tempore effectus præcedere. Sicut ergo nusquam consurgeret circulus absque primo puncto, nec catena sine primo annulo, ita nec creatura sine Deo produci posset.

Ob. II. Voluntas sese movet ad malum, & bonum: ergo non movetur ab alio.

R. Dist. ant. Se movet ad bonum virtute Dei, conc.; propria, nego. Voluntas enim ad bonum movetur a Deo per gratiam, sive efficacem, sive indifferentem: ad malum autem se movet voluntas deficiendo, non efficiendo; malum enim non est effectus, sed defectus rei, adeoque nihil omnino est, ut ait S. P. l. 2. lib. arb. 20.

III. Argumentum ex rerum aspectabilium compagine.

Nemo est adeo stupidus, qui miram universi fabricam ejusque ordinem attendens, a sapientissimo artifice productam esse non sentiat: ergo nullus est nisi mentis inops, qui Dei existentiam negare possit. Ant. prob. ex Aug. (a), & Tullio (b). Etenim ex ordine & disciplina, quæ in civitate, aut exercitu, sive in gymnasio, vel domo observatur, statim intelligimus *esse aliquem, qui præsit, & cui pareatur*, nec dubitamus quin civitas a principe, aut exercitus ab imperatore regatur: ergo ex ordine universi ejus creator, & opifex debet agnosci. *Non est architectus* (sic Atheum perstringit Chrysostomus in Ps. 13.) *& quis urbem condidit? Non est qui provideat, & quomodo omnia pervadit providentia?* Dein-

(a) *L.* 1. *c. D.* 4. (b) *L.* 2. *nat. D.*

Deinde si mundum efficere potest concursus atomorum, ait Tullius, possset etiam templum, aut urbem condere, quæ sunt minus operosa, & faciliora: atqui hoc non potest: ergo nec illud. III. Ex fortuito omnium apicum concursu fieri non potuere aut Homeri, aut Virgilii carmina: atqui longe mirabilior est ordo universi: ergo non fortuito, sed a Deo sapientissimo artifice conditus est. Vide auctorem.

IV. Argumentum ex naturali hominum instinctu.

Primo enim omnibus inest æternum vivendi, nec vana cupiditas: sed æternam vitam solus Deus præstare potest: ergo existit Deus. II. Cum homines jurant, aut orant, *non Jovem aut Deos multos nominant*, ait Lact. l. 2. inst. 1., *sed Deum* unum: ergo unus est Deus. Hinc Arianus scribit gentes olim Ecclesiæ formula Κύριε ελέισον Deo supplicasse. III. Impii patrato occulto etiam crimine pavent, *conscientia, & cogitationibus accusantibus*, ait Apostolus Rom. 2.: atqui non paverent, nisi Deus esset justus judex: ergo existit Deus. Hinc Athei, ut hunc timorem tollerent, dixere, superos nulla angi mortalium cura, & animam interire. IV. Idem evincitur ex aris *ignoto Deo* excitatis, de quibus consulendus est auctor.

V. Argumentum ex communi sapientum confessione.

Ex Jonica secta mentem rerum omnium procreatricem agnovit Anaxagoras post Thaletem, & Xenophanem. Ex Italica Pythagoras Deum dixit in se totum, & mundi opificem. Plato de Deo egregie disseruit in Timæo, & alibi, eumque secuti sunt Speusippus, Plotinus, Jamblicus, Apulejus, aliique Platonici. Primam caussam agnovit Aristoteles, Theophrastus, atque Simplicius. Socrates pro ea occubuit. Adde Antisthenem, Zenonem, Senecam, Tullium, atque Epictetum. Accedunt poetæ clarissimi Homerus, Phocilides Orphæus, Aratus, Hesiodus, & Sophocles, apud Athenago-

ram & Justinum. Virgilius quoque, Horatius, Ovidius, atque Lucanus. Adstipulantur gentes ipsæ, quæ doctrinæ laude claruere, Romani, Græci, Ægyptii, Assyrii, Chaldæi, Persæ, Indi, Sinenses: ut pateat quam sint vecordes, qui dicunt *in corde suo non est Deus*.

VI. Argumentum ex numero, vita, & ignorantia Atheorum.

Atheorum numerus adeo exiguus aliquibus visus est, ut nullos speculative extitisse unquam sint opinati, quamvis plures sint practice, qui nimirum confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Qui ergo Athei appellati sunt, non continuo ut tales haberi debent. Nam a gentilibus Athei Christiani, Justino teste (*a*) appellati sunt, quia eorum Deos execrabantur.

Si qui tamen vere extiterunt Athei, fuerunt moribus perditissimis. Nam de Theodoro Cyrenaico refert Laertius, postquam Deum negavit, suasisse adulteria, sacrilegia, aliaque nefanda facinora. Epicurus in Democritum præceptorem suum fuit ingratissimus. Qui vero divinitatis sunt prorsus ignari, ut Tartari, Caribæ, & Canadensium plurimi, tanta est eorum ignorantia ac feritas, ut belluis potius, quam hominibus sint comparandi. Ex quibus sic arguitur. Stultum est assentiri insipientibus, & scelestissimis: sed tales, ex dictis, sunt Athei: ergo &c.

CAPUT III.

Epicuri, Lucretii, Spinozæ, aliorumque Atheorum sophismata diluuntur.

Atheis profligandis hucusque validiora argumenta suppeditavimus: reliquum est, ut eorum cavillationes dispellamus. Itaque

Ob. I. Deum nemo vidit unquam: ergo Deum credimus existere ex parentum, aut magistrorum institutione, cum præjudicio rationis.

R.

(a) *Apol. 2.*

R. Dist. ant. Nemo vidit in se, conc.; in ejus operibus, nego. Quis enim animam vidit unquam? Eam tamen ex ejus operibus agnosco, quia operor, loquor &c. *Stulte*, ait S. P. in Ps. 73., *ex operibus agnoscis viventem, non potes agnoscere creatorem.*

Ob. II. Mundum a Deo conditum non fuisse pluribus argumentis ostenditur: ergo ex ejus opificio Dei existentia non probatur. Ant. prob. I. enim percipi nequit Deum æternum mundum fecisse mortalem, idque repente, cum tot sæculis ante cessaverit. Quam inde cœperit gloriam, aut gaudium, qui nunquam potuit gloria, ac felicitate carere? Quibus instrumentis, aut ministris sit usus? Si lucem postea creavit, quomodo non antea jacuerit in tenebris? ergo Deus mundum non condidit. II. Vel sapientibus mundum Deus condidit, vel insipientibus: atqui neutris condidit; nam illi sunt pauci, isti prorsus indigni: ergo nulli condidit. III. Nullus est ordo in ejus partibus, quarum aliæ desertæ, aliæ belluis tantum, aut volucribus aptæ, ut aer, montes, mare, paludes. Agri vero nonnisi labore improbo fruges emittunt, quæ sæpe grandine, aut illuvione pessumdantur: ergo a Deo sapientissimo creatus non est. IV. Feræ pessimæ, pestilentiæ, fames, morbi Dei providentiam evertunt: ergo &c. V. Vagitus infantium, corporis nuditas, & calamitates innumeræ, quibus homo quovis animalculo est miserior, satis probant mundum a Deo in ejus gratiam non fuisse constructum: ergo mundus a Deo non est conditus.

℟. Neg. ant. Ad I. prob. neg. ant. (1), cui etiam

 Epi-

(1) Rodulphus Cudvorthus in suo *Systemate intellectuali* animadvertit, majoribus difficultatibus implicari, qui mundum æternum admittunt, eumque aut ex nihilo, aut ex fortuito atomorum concursu prodiisse opinantur, quam qui nobiscum tenent oppositum. Quippe *mundi æternitas* (ait Jaque-

Epicurei reſpondere debent, qui materiam æternam ſtatuunt, licet mundo initium, atque interitum tribuant. Porro in æternitate, *Ubi*, ut ait S. P. lib. 12. C. D. 15. *nulla creatura eſt, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino eſſe non poſſunt*: & l. 11. confeſſ. c. 13. *Si ante cælum, & terram nullum erat tempus, cur quæritur quid tunc faciebas?* Neque Deus miniſtris, aut inſtrumentis indiguit, quæ infirmitatem declarant artificis. Neque in tenebris jacuit aliquando, qui ſemper fuit *lux vera, quæ illuminat omnem hominem.*

Ad II. neg. min. Deus enim primo propter ſe, deinde propter ſapientes condidit univerſum. Quod vero alii ſint mali, id non a Deo eſt, ſed ab homine, quem Deus poſuit in manu conſilii ſui, melius eſſe ratus de malis benefacere, quam mala nulla eſſe permittere.

Ad III. neg. ant. Nulla enim eſt orbis pars, unde homini commodum non accedat. Montes puriorem aerem, ſaltus paſcua, rupes metalla, & marmora ſuppeditant. Flumina piſces alunt, hortos irrigant, urbes ornant, & muniunt. Mare nubes, & imbres agrorum feracitati confert, merceſque e remotiſſimis oris tranſvehit. Calor, & frigus etiam proſunt, is enim tellurem gravidat, ille fruges maturat: ergo &c.

Ad IV. & V. neg. ant. Ærumnæ etenim, & mors ipſa

---

quelotius in l. quem inſcripſit: *La conformité de la foy avec la raiſon*) nullo innititur momento, nullam habet veriſimilitudinem, atque ex ipſa mundi hiſtoria rejicitur. Philoſophi enim, qui eam admiſere, cum veram creationis ideam non haberent, in quæſtionibus futiliſſimis occupabantur. Quid ante orbis fabricam Deus moliretur? Quibus inſtrumentis uſus fuerit? &c. Quas ſi adhuc pergant Athei quæſtiones excitare, nedum ridiculi fient, ſed & tenebras luci præferent, & temporis animæque jacturam miſerrime facient.

ipsa sunt originalis peccati stipendia. Sed quia hæc Atheus irridet, R. II. ex iis induci homines ad terrenarum rerum contemptum, industriamque laudabilem, moneri ut parce vivant, neu nimia Venere, ac vino sibi mortem accelerent. Ferarum vero nulla est, quæ aut opem nobis, aut victum, voluptatem, aut medelam non præbeat.

Ad ultimum neg. ant. Melior est enim cum imbecillitate sapientia, quam sine ratione vel maxima fortitudo.

Ob. III. Plura sunt monstra hominum, & jumentorum apud Aug. 16. C. D. 7.: sed hæc ostendunt omnia evenire fortuito (1): ergo non est Deus rector universi.

R. neg. min. Hæc enim ostenta, vel sunt supra naturam, & sunt vera miracula, ac Deum esse demonstrant, *qui facit mirabilia magna solus*; vel præter naturam, ut monstra, & sunt ex defectu caussæ secun-

(1) Aheorum insaniam, seu pervicaciam attende, qui ex monstris, aut naturæ vitiis, quæ raro admodum evenire compertum est, omnia arbitrantur evenire fortuito; contra vero ex constantissimis naturæ legibus, quibus plantæ, segetes, bruta, atque homines, iidem perpetuo & similes prodeunt, supremam rerum omnium caussam atque unicam non agnoscunt. Ut enim optime ratiocinatur v. cl. Nicolaus Chignolius *Prælect. I. de Deo uno* n. 6. „Ut „ut locorum varia sit in„doles, natura, situs, qui „plagas mundi quatuor „incolunt, hominum (*& „jumentorum*) nonne ea„dem ubique figura, non„ne partium corporis nu„merus ubique idem, ea„dem compositio tam „constanter, ut si quidpi„am interdum ab hac for„ma discedit, in monstris, „& in naturæ vitiis habe„atur? Nonne hinc evi„denter efficitur non fuis„se homines cæca moliti„one coagmentatos, sed „unam esse omnium ori„ginem, Deum nempe, „qui *fecit ex uno inhabitare „omne genus hominum su„per terram?* Act. 27.

secundæ, non primæ, quæ effectus ita constituit, ut possint mutari: ergo &c.

Ob. IV. Creaturæ sunt contingentes: ergo nullam habent ad Deum relationem.

R. Dist. ant. Sunt contingentes, hoc est mutabiles, conc.; a prima caussa independentes, nego. Licet enim creaturæ possint a Deo non produci; si tamen sint, necessario a Deo sunt. Sic domus fieri potest, & non fieri ab artifice; si tamen facta est, recte dicimus, est domus, ergo est artifex: ita a pari: est creatura, ergo & Deus.

Ob. V. Deus est simplicissimus: ergo aut totus cognoscitur, aut totus ignoratur: atqui a nemine totus cognoscitur: ergo totus ignoratur.

R. Dist. conf. Aut totus cognoscitur &c., si exprimi nequeat voce & conceptu connotativo, conc.; secus, nego. Ut enim notat Ariminensis, plures sunt voces, & conceptus simplices in se, qui tamen plura connotant, ut *creatio*, quæ connotat res omnes ex nihilo productas.

Ob. VI. Nil obstat in materia sapientiam agnoscere, ut patet in avibus, apibus, atque formica: ergo non indiget Deo, ut gubernetur.

R. Neg. ant. Hæc enim omnia ab auctore naturæ diriguntur. Hinc patet Atheorum summa dementia, qui cum norint hæc animalcula a nullo etiam sapientissimo humano artifice fieri posse, velint tamen singula absque Dei ope fuisse creata.

CAPUT IV.

An Dei existentia sit per se nota, aut possit invincibiliter ignorari.

Duo sunt, quæ veluti divinæ existentiæ consectaria spectari solent, atque in scholis hinc inde agitari. Primum an hæc propositio, *Deus est*, sit per se nota. Secundum an Dei existentia possit invincibiliter ignorari. Propositio per se nota ea est, quæ sola terminorum clara perceptione redditur manifesta, neque ut illi assentiamur, indiget ratiocina-

cinatione & diſcurſu, qua de re differt a propoſitione eſſentiali, cujus attributum eſt quidem de eſſentia ſubjecti, ut homo eſt animal, ſed ejus connexio indiget ratiocinatione, ut innoteſcat. Quæritur ergo an ſit nobis per ſe notum, Deum exiſtere. Affirmant Scotus, Aureolus, D. Bonaventura &c. Item qui innatam Dei ideam admittunt. Negant Thomiſtæ, atque ex noſtris Gibbon, Puteanus, Florez. Quidam, ut Ægidius, Gavardi, aliique docent eam notam eſſe ſapientibus tantum. Sit itaque

Propositio I. Hæc propoſitio, *Deus exiſtit*, eſt nobis per ſe nota.

Prob. Propoſitio per ſe nota ea eſt, cui, perceptis terminis, ſtatim aſſentimur: atqui talis eſt laudata propoſitio: ergo eſt per ſe nota.

Prob. min. Illi enim propoſitioni ſtatim aſſentimur, in qua attributum immediate cum ſubjecto connectitur, ſive cum in idea clara ſubjecti attributum includitur: atqui in idea Dei includitur exiſtentia, cum ſit perfectio, qua carere non poteſt ens perfectiſſimum: ergo huic propoſitioni, *Deus eſt*, ſtatim aſſentimur.

Ob. I. Hæc propoſitio a quibuſdam, Auguſtino teſte, negatur: ergo &c.

R. Diſt. ant. Negatur perceptis terminis, nego; non intellectis, conc. *Omne totum eſt majus ſua parte*, eſt propoſitio per ſe nota, & tamen ab aliquibus negatur, ut ſcribit Florez, quia nondum verborum ſignificationem perceperant: ergo ſi qui rudiores negarunt hanc propoſitionem, *Deus eſt*, id factum eſt, quia terminos non perceperunt.

Dices. Si requiritur terminorum perceptio, erit ergo nota ſapientibus tantum, ut docet Ægidius. Hinc. Pſal. 13. habetur, *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.*

R. Neg. ſequelam. Nam ſolo naturali lumine abſque ſcientia hæc propoſitio intelligitur, ut dictum eſt. Pſalmiſta vero, & Plato ipſe non indoctos, & rudes, ſed impios, quantumvis doctos, *inſipientes* appellat.

 Ob.

Ob. II. cum Thomiſtis. Propoſitio per ſe nota importat cognitionem terminorum immediatam, & *quidditativam* : atqui terminus hujus propoſitionis, *Deus eſt*, non cognoſcitur immediate, ſed mediate ex effectibus; in ſe enim videri nequit Deus niſi in patria: ergo non eſt per ſe nota.

R. Diſt. min. Deus cognoſcitur per creaturas tantum, neg.; per eas, & indefectibile lumen intime præſens, conc. Solutio patet ex R. ad 2. ob. prop. 1. c. 1. Quod ajunt, propoſitionem per ſe notam per effectus demonſtrari non poſſe, verum eſt, ubi ſubjectum propoſitionis nullos effectus habet, ſecus ſi habeat effectus, ut Deus qui fecit omnia.

Ob. Quamvis in idea Dei reluceat providentia, & ſimplicitas, hæc tamen propoſitio, *Deus eſt ſimplex, eſt providus* &c. non eſt per ſe nota: ergo a pari.

R. Neg. ant. Illæ enim propoſitiones ſunt per ſe notæ, non ſecus ac iſta, *Deus eſt.* Nec obſtat quoſdam eas negaſſe: id enim factum eſt, quod ad corporis ſenſum, non ad mentis rationem, ſummi boni notionem figere maluerunt, ut docet S. P. l. 1. doct. c. 7.

Propositio II. Nemo eſt ita agreſtis, ac barbarus, qui Deum poſſit invincibiliter ignorare.

Not. Ignorantia duplex eſt, invincibilis nempe, & vincibilis. Prima ea eſt, quæ humanis quibuſvis mediis adhibitis nullo modo diſpelli poteſt. Secunda vero eſt, quæ naturæ viribus vinci poteſt. Illa a peccato excuſat, non iſta. Cum autem quærimus, an Dei exiſtentia poſſit invincibiliter ignorari, ſtatus quæſtionis non eſt, an quis poſſit invincibiliter demonſtrativa Dei cognitione carere: ſed an carere poſſit cognitione Dei ita probabili, ut oppoſitum, prudentis viri judicio, non ſit probabile. Nam ad operandum non requiritur metaphyſica certitudo, ſed ſufficit moralis, ut notum eſt. Cenſet Molina poſſe homines hac poſtrema Dei cognitione carere toto ſuæ vitæ decurſu. Oppoſitum docent noſtra-

noſtrates, & prob. I. ſcripturis. Nam Pſ. 78. habetur: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Rom. 1., *Revelatur ira Dei ſuper impietatem eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Ex quibus ſic arguitur. Supplicii rei ſunt quicumque ad idola converſi, Deum ignorant: atqui rei non eſſent, ſi ignorantia invincibili laborarent; hæc enim a peccato excuſat, ut ſupra notavimus: ergo exiſtentia Dei nequit invincibiliter ignorari.

Prob. II. ex PP. Greg. 17. mor. c. 3.: *Eo ipſo, quod homo rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui ſe condidit, Deum eſſe.* Tertullianus de ſpectaculis c. 2., *Nemo ignorat, quod ultro natura ſuggerit, Deum eſſe univerſalitatis conditorem:* & apol. 17., *Hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt.* Hilarius II. Trin. *Deus mundo ignorabilis fieri non poteſt.* S. P. q. 46., *Apud Deum etiam illi ſunt inexcuſabiles, quibus lex data non eſt, quia per creaturam poterant cognoſcere creatorem.* Lact. 1. Inſt. *Quam ſibi veniam ſperare poſſunt, qui non agnoſcunt cultum ejus, quem ignorari ab homine fas non eſt?* Sed quod ratione colligitur, quod ultro natura ſuggerit, quod nefas eſt ignorare, invincibiliter non ignoratur: ergo &c.

Prob. III. ratione. Suppoſita hac ignorantia nemo vel ſceleſtiſſimus peccaret contra Deum, quem ignorat, ſed tantum contra rationem, adeoque peccatum philoſophicum admitteret, non theologicum: ſed hoc ab Alexandro VIII. an. 1690. proſcriptum eſt: ergo &c. II. De primo Decalogi præcepto non datur ignorantia invincibilis: ergo neque de exiſtentia Dei. III. Quivis etiam rudis rationem habet, qua vel per ideam ingenitam, vel per creaturas poteſt Deum aſſequi: ergo &c.

Ob. I. Exiſtentia Dei ſpectat ad ſolam fidem: ergo poteſt invincibiliter ignorari.

R. Neg. ant. Dei namque exiſtentia ad fidem non ſpectat, niſi credatur ex Dei revelantis auctoritate. Deum enim, ut ait S. P. A., *non ſolum fide*

reti-

retinemus, *sed etiam certa forma cognitionis attingimus.*

Ob. II. Puer educatus in silvis, aut penes Atheos parentes, Deum esse nunquam audivit: ergo hic saltem Deum ignorat invincibiliter.

R. Neg. cons. Is enim puer, si ad seipsum, aut ad creaturas alias attendat, solo naturæ lumine Dei existentiam agnoscet, quidquid parentes obganniant, quibus sane non crederet, si prima principia negarent: ergo nec fidem præstare debet, cum Deum negant.

Inst. I. Fieri potest, ut nulla Dei cogitatio subeat animum hujus pueri: ergo saltem eo tempore laborat ignorantia invincibili.

R. Neg. cons. Non enim prævia cogitatio necessaria est ad vincibilem ignorantiam; alioquin ubi est incogitantia, esset invincibilis ignorantia, quod falsum est. Sufficit ergo si ea cogitatio facile haberi possit, alias de primis principiis daretur ignorantia invincibilis, dum quis aliud cogitat; neque ad operandum requiritur perfecta cognitio, aut metaphysica certitudo, sed sufficit moralis, ut dictum est.

Inst. II. Saltem in primo instanti, quo ad usum rationis accedit, poterit puer a Deo tantisper averti, adeoque ignorantia illa laborabit: ergo &c.

R. Dist. ant. In primo instanti morali, nego; physico, conc. Non diffitemur ergo ante deliberatum voluntatis motum necessariam esse advertentiam, quæ in instanti physico non reperitur; at in instanti morali, in quo puer ille incipit agere deliberate, tenetur puer se se convertere ad Deum (quæ tamen conversio sine caritatis actu haberi non potest) sub ratione boni in communi. At sub ista quoque ratione potest puer ille auctoris sui existentiam percipere, vel ex idea ingenita, vel ex rerum aspectabilium contemplatione.

Ob. III. Quidam sunt adeo rudes, aut excæcati, ut nequeant in Dei notitiam assurgere: ergo illi saltem laborant ignorantia invincibili. Pr.

Pr. ant. ex pluribus historiæ monumentis. Constat enim Brasilianos, & Canadenses populos in America, Cafros in Africa, Sinenses, Siamenses (1), & Tibettanos in Asia, Dei existentiam, aut perfracte negasse, aut penitus ignorasse.

℞. Neg. ant. Ad prob. neg. ant. Nemo enim est adeo bardus, aut plumbeus, ut omni aut naturali, aut supernaturali lumine destituatur. Quippe super omnes homines Dei lumen signatum est. Neque ulla est gens adeo barbara, aut fera, quæ non aliquod extare numen agnoscat, quamvis gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilem damnabili impietate transtulerint. Ex quo enim quisque rationalis est conditus, facile potest ratione assequi, eum, qui se condidit, non alium esse, nisi Deum, ut ex Gregorio supra observatum est. Ceterum literati Sinenses sunt ex cæcis iis, falsisque sapientibus, qui evanuerunt in cogitationibus suis. De his autem, non secus ac de Siamitis, erudite pertractavit vir nostri ævi doctissimus in suo alphabeto Tibettano, ubi originem expendens materialismi, quem Tibettani adoptarunt, istos Manichæorum labe infectos esse demonstrat. Ad excæcatos vero quod attinet, si isti supernaturali lumine penitus destituuntur, id evenit eorum culpa, qua fit ut rebel-

(1) Petrus Bailæus, qui in suo Dict. hist. crit. refert opiniones eruditorum Sinensium, ac Siamensium tanquam Spinozæ placitis non absimiles, falsis relationibus deceptus est, non secus ac Lokius, qui easdem relationes in prima editione *Specim. phil.* adoptaverat: quamvis iste suppositicias eas postea deprehenderit. Scriptores autem catholici, subinde vero & heterodoxi, ut Fabricius in Apol. c. calumn. Atheismi, La Groze (in libro quem inscripsit: *Entretiens sur divers sujets d'histoire*), aliique illarum relationum falsitatem tam perspicue demonstrarunt, ut qui iis fidem præbeat, is plane mentem cum consilio amisisse putandus sit.

rebelles divino lumini, ipso lumine privari mereantur.

Ob. IV. Locum Rom. I. *Manifestum est illis*, exponit Grotius de philosophis, qui Atheos profligarunt: ergo non omnes Deum norunt. Idem est sensus SS. PP. Crimina item ignorantium Deum rationi humanæ, non legi divinæ adversantur: ergo ex iis non probatur nostra assertio.

℟. ad I. neg. cons. Scripturæ enim, & PP. de omnibus loquuntur, omnes enim ratione præditi sunt. Et si soli philosophi Atheos impugnarunt, poterant tamen omnes Atheos detestari. Ad II. nego ant. Nil enim absurdius, quam opus rationi dissonum, nec Dei legi repugnans. Vide *prob. III. prop. II. cap. IV.*

DISSERTATIO II.

De unitate, atque essentia Dei.

Dei existentiam contra Atheos hucusque vindicavimus, superest ut ejus unitatem contra Polytheos demonstremus. Ac I. quidem polytheismi originem & caussam investigabimus. II. Arma suppeditabimus, quibus confoditur. III. Polytheorum sophismata diluemus. IV. De duobus Manichæorum principiis bono, & malo sermo erit. V. Denique, veluti coronidis loco, de essentia, ac natura Dei disputabimus.

CAPUT I.

De polytheismi, sive idololatriæ caussa, & origine.

Vetustissimum esse idolorum cultum in confesso est apud omnes: constat enim Deorum pluralitatem propugnasse I. Ethnicos scriptores, Homerum, Hesiodum, Chrysippum, & Orphæum, qui 262. commentus est Deos; II. Marcionitas, & Manichæos, qui duo agnovere principia, bonum, & malum; III. Tritheitas, qui tres Deos in Trinitate asserebant. Mitto Ægyptios, queis etiam in hortis Dii nascebantur. Quænam vero statuenda sint hujus insa-

inſaniæ primordia, quoſve habuerit auctores, non conveniunt ſcriptores. Primum namque polytheiſmi auctorem Enos fuiſſe cenſet Maimonides (1). Alii a Moyſe intruſum, aut inſtauratum comminiſcuntur. Et quidem a Moyſis hiſtoria theologiam gentium promanaſſe opinatur Huetius. Alii ad Chamum Noe filium, ejuſque poſteros acceptum referunt. Sit itaque

Propositio I. Enos non fuit auctor polytheiſmi.

Prob. Maimonidis opinio nititur ſolo Geneſ. c. 4., quod de Enos habet, *Iſte cœpit invocare nomen Domini*, ubi legunt: *Tunc cœpit profanari nomen Domini:* atqui hæc lectio Vulgatæ adverſatur, in qua nihil Amama reprehendit, præter pronomen *iſte* pro *tunc*; Chaldaicæ item Complutenſi, quæ legit; *tunc cœperunt homines orare*: ergo Maimonidis opinio falſo innititur fundamento. Hinc Burgenſis, & Caſtalio ex loco cit. evincunt, ab Enos Dei cultum certis ritibus fuiſſe inſtauratum, quod ille *de patre generationem ſupernæ civitatis primus commemoratur exortus*, ait S. P. l. 15. C. D. 13. Reapſe ab Enos cœpit generatio juſtorum, qui ſpecialiter filii Dei nominantur.

Ob. I. Maimonides, & Kimki ex textu hebraico idololatriam ad Enos referunt: ergo Enos eſt auctor polytheiſmi. ℟. Neg.

---

(1) Ante diluvium ſtatui non poſſe polytheiſmi primordia, probat S. Th. 2. 2. q. 94. art. 3. ex ſilentio ſ. ſcripturæ, quæ luxuriam & alia crimina tanquam diluvii cauſſas commemorat, non item idololatriam, omnium graviſſimam, neque ex humana fragilitate excuſandam. Cujus rei hanc rationem profert S. D. art. 4. ad 2. *In prima ætate non fuiſſe idololatriam propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio unius Dei in mente hominum.* Quam rationem ab animadverſionibus Cornelii a Lapide, qui eam carpit ut minus aptam, perſpicue vindicat Nicol. Chignolius *Prælect.* 6. *de Deo uno n.* 6.

℟. Neg. con. Illi enim a voce הוחל (*huchal*) decepti sunt, quæ modo pro *incipere*, modo pro *violari* usurpatur; & quidem primo sensu vocem illam esse accipiendam, evincitur ex contextu, & ex R. Aben-Ezra, qui legit *tunc cœperunt ad orandum*.

Ob. II. Ex Aquilæ versione, a qua non recedit Cyrillus, & Irenæus, evincitur Enos cœpisse Dei nomine appellari: ergo ab eo idololatria orta est.

℟. Neg. cons. Gratis enim admissa Aquilæ versione, quæ est suboscura, eo sensu Dei nomine appellatus est Enos, quo *justi, qui erant ex semine Seth, filii Dei vocabantur,* ait Emissenus. Dictus est ergo Deus, *idest filius Dei*; nam *quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, ait Apostolus Rom. 8. 14.

Propositio II. Neque ab Hebræis, neque a Moyse ortus est polytheismus.

Prob. I. Scripturis. Exod. 20. habetur: *Non habebis Deos alienos: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem; non adorabis ea, neque coles:* ergo idololatria a Judæis, & Moyse non exorta, sed proscripta est. Si quæ tamen erant apud illos imagines, eæ ad ornatum templi, non ad religionis cultum speciali Dei jussu præscriptæ sunt. Deinde Exod. 32. Moyses vitulum contrivit dicens fratri: *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* Atque eo jubente viginti tria millia gladio percussa sunt: ergo &c.

Prob. II. ex testimonio Ethnicorum. Tacitus enim 5. hist. scribit: *Judæi mente sola, unumque numen intelligunt, & nihil quidquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos:* ergo &c. II. ait ab iis immolari arietem *in contumeliam Hammonis*, bovem in Apidis contemptum. III. ait *nulla simulacra urbibus suis, nedum templis esse.* IV. Idipsum de Judæis affirmat Dio l. 37., aliique, qui Judæos *Sabbatarios, recutitos* &c. passim appellant, non idololatras: ergo &c.

Ob. I. Aaron conflato vitulo, ait (Exod. 32.)

Cras

Cras solemnitas Jehova est: ergo Aaron censuit vitulum esse verum Deum.

℟. I. Vossius, Hebræos sub vitulo verum Deum coluisse, ac in eo peccasse, quod sub effigie Deorum Ægypti verum Deum adorarunt; sed hæc responsio adversatur Patribus, & Augustino, qui in Ps. 73. ait, *Vitulus ille, quem adoravit populus apostata, quærens Deos Ægyptiorum, dimittens eum, qui liberavit* &c.

℟. II. & melius, neg. cons. Hic enim est illorum verborum sensus: *Cras solemnitas Jehova est*, nempe vituli, quem vobis pro vero Deo constituistis.

Ob. II. Moyses serpentem æneum erexit in deserto: sed hoc est Æsculapii simulacrum, ab Epidauro Romam advectum: ergo Moyses polytheismum invexit.

℟. dist. maj. Erexit ad cultum, neg.; ad salutem, conc. Ille enim serpens non Æsculapii, sed Christi typus fuit, neque ad cultum, sed ad sanandum ab anguium morsibus erectus est, ut docent Tertullianus (a), & S. P. Aug. (b), sive ad designandum sonitum Christianæ doctrinæ, ut scribit serm. 10. de temp. *Serpens æneus efficitur, ut doctrina Christi clarius prædicetur.*

Ob. III. Tacitus loco cit. scribit, Judæos *animalis effigiem*, idest caput asini, *penetrali sacrasse*; idque omnes veteres tradidisse ,, ait Justus Lipsius: ergo &c. (1).

℟. Neg. cons. Hanc enim fabellam esse, ait Tertullianus apolog. 16. I. enim Tacitus ibidem scribit,

(1) Quamvis ultro daremus, Hebræos in eam insaniam fuisse prolapsos, quam iis exprobrat Tacitus; non inde fieret ab Hebræis ortum fuisse polytheismum. Non enim dissimulamus, Hebræos fuisse ad idololatriam pronos, atque ea de re sæpius a Deo percussos, sed eos *in viam gentium* abiisse, non novam sibi parasse scriptura testatur.

(a) *L.* 3. *c. Marc.* (b) *L.* 10. *C. D. c.* 8.

bit, a Pompejo nullum in templo ſimulacrum repertum eſſe. II. Idem de Antiocho ex Polybio, & Strabone Joſephus refert c. Appionem III. Cum gentes monſtra colerent horribiliora, id Judæis non objeciſſent. IV. Nec Tacitus ſibi conſtat, qui ſupra tradiderat, Judæis *nulla eſſe* ſimulacra. Vide auctorem.

Ob. IV. Narrat Joſephus lib. 7. de bell. Jud. c. 12. ante everſionem templi vocem auditam, dicentem: *Emigremus hinc.* Et Tacitus, *audita major humana vox, excedere Deos:* ergo habebant Judæi numina tutelaria.

℞. Neg. conſ. Hanc enim vocem Cuſtodes Angeli emiſere, ut oſtenderent, urbem, ac templum a ſe deſeri in pœnam patrati Deicidii. Vel Deus ipſe, aut per ſe, aut per Angelos ait: *Emigremus hinc.*

Propositio III. Idololatria a Chami (1) poſteris orta eſt, longe ante Moyſen.

Prob.

(1) Chamidas, ſeu Chami poſteros in vertice Babylonicæ turris erigere tentaſſe, vel ſimulacrum, vel templum, ubi idolum ſtatuerent, vero Deo oppoſitum, quod illos poſſet ab interminata per Noemum diſperſione tueri, ſumma eruditione probavit v. cl. Symmachus Mazochius in ſuo Spicil. Bibl. t. 1. annot. in Gen. c. 11. v. 4. *Faciamus nobis civitatem, ac turrim, & celebremus nomen noſtrum, antequam* &c. Ubi *celebremus nomen*, ex vi hebraici textus *faciamus* שם *Shem*, ideſt *nomen, ne forte diſpergamur ſuper faciem univerſæ terræ.* ſignificat Chamidas ſibi Deum ſtatuere deſignaſſe. *Shem* enim *excelſum* ſignificat, ſynonymum divini nominis *Elion*. Quam ſententiam ipſe confirmat Chaldaica paraphraſi, quæ habet, *faciamus nobis Sigdù adorationem*, hoc eſt idolum: nec non Hieroſolymitana, *faciamus nobis in medio ejus* (turris) *templum Segidù*, ideſt idoli. Totam ergo hanc impietatem filiis Cham refert acceptam cl. auctor. *Iſque* (concludit) *primus ad idololatriam gradus fuit, nimirum turris, huicque impoſiti templi ædificatio.*

Prob. I. Ex auctoritate scriptorum. Ita enim docent Aben-Ezras, Lact. l 2. Inst. 14., Hieronymus 2. in Os. S. P. Aug. 8. C. D. 24., Giraldus (*a*), Boccaccius (*b*), Vossius (*c*), Grotius (*d*), Clericus (*e*), aliique.

Prob. II. ratione. I. enim longe ante Moysen sidera & ignem gentes coluere in Ur Chaldæorum: quem cultum Abrahamum fugisse Hebræorum traditio est, scripturæ subnixa. II. Antiquissimus est cultus regibus, ac reginis exhibitus, ut docet Chrysostomus in 2. Cor. 12., & Diodorus lib. 1. Biblioth. Sic Ægyptii Isidem, & Osiridem reges suos ut Deos coluere, illum in Luna, hunc vero in Sole. Phænices Kronon regem suum in sidere adoravere, quem latini *Saturnum*, Græci Κρόνον vocant. Astarte in Veneris stella, Hammon in ariete sacrati sunt: quos reges fuisse vetustissimos, longe ante Moysen, certum est. Neptunus etiam est Japheth, sicut Vulcanus, & Apollo sunt Tubalcain, & Jubal, consecrantibus Chami posteris patrum suorum memoriam. Idololatriam ergo a Chananæis ad Ægyptios, hinc ad Phænices, tum ad Græcos, inde ad Romanos derivasse, constat historicorum consensu (1).

C 2 CAPUT

(1) De caussa polytheismi, quod argumentum cl. auctor quasi intactum reliquit, in gratiam Tironum sequentia subjecimus. Duplicem assignat S. Thomas, aliam nempe ex parte hominum, aliam ex parte dæmonum. Ex parte hominum idololatriæ caussam præbuit I. amoris intemperantia, qua factum est, ut *acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem, & illum tamquam Deum colere cœpit*, ut habetur Sap. c. 14. II. Ex naturali voluptate, quam ex artificiosa rerum repræsentatione homines capiunt, qua fit, ut *si quis artifex lignum assimilet imagini hominis, de substantia sua, & filiis votum fa-*

(a) *In Syntagm. Deor.* (b) *In Geneal.* (c) *De Idol.* (d) *In Expl. Decal.* (e) *In prol. H. E.*

CAPUT II.

Unitas Dei invictissimis argumentis ostenditur.

Quamvis momenta omnia, quibus Dei existentia probatur, etiam unitatem ejus demonstrent, ut docet Thomassinus l. 2. Theol dogm.; Deus enim *si unus non est, non est*, ut ait Tertull. l. 1. contra Marc.: addam tamen peculiaria quædam argumenta, quibus hoc dogma firmatur.

I. Momentum ex sacris literis.

Deuteron. 32. habetur: *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* IV. Reg. 5. *Scio, quod non sit alius Deus in universa terra.* Ps. 17. *Quis Deus præter Deum nostrum?* Is. 37. *Tu es Dominus solus.* I. Cor. 8. *Nullus est Deus, nisi unus.* Exod. 32. jubente Domino viginti tria millia hominum ob vituli cultum cæsa sunt. Judicum 3. sociati idololatris Israelitæ in servitutem redacti sunt. Periit Achaz, & Ochosias ob idolorum cultum, ut Regum narrat historia. Hoc etiam profana confirmat, Neronis, Diocletiani, Maximini, Licinii, Juliani, aliorumque miserrimum fatum describens, qui idolorum cultum instaurarunt: atqui, si Dii gentium aliquid possent, salvare eos debuissent, qui eorum cultum promovebant, nec sinere unius Dei cultum longe, lateque diffundi: ergo unus est verus Deus. Ita arguunt Lactantius (*a*), Tertullianus (*b*), & S. P. Aug. (*c*).

℟. Gentiles, vel hæc falsa esse, vel similia a Diis suis esse patrata. Utuntur ergo Patres, ait Pherepo-

ponus,

faciens, inquirit (ib. c 13.) III. Ex veri Dei ignoratione (ib.): *Neque operibus attendentes agnoverunt quis artifex esset, sed aut ignem, aut spiritum &c. Deos putaverunt.*

Ex parte dæmonis idololatria inducta est, ut homines, quos hac arte deceperat, in errore confirmaret, cum viderent apud se, & divina edi oracula, & plura miracula fieri.

(a) *L. 2. Inst. 4.* (b) *In Apolog. 26.* (c) *1. C. D. 4.*

ponus, armis iiſdem, quæ Ethnici contra Chriſtianos urgere poterant. Verum ad primum quod attinet, ſi neges hiſtorias, nullis libris habenda eſt fides; multo minus Ethnicis, qui a ſuis etiam deſpiciuntur. Alterum vero mera Phereponi calumnia eſt. Ethnici namque teſtantur, idololatrarum urbes Diis invitis corruiſſe, ut Ilium invito Neptuno: ergo hos Deos infirmos eſſe recte Auguſtinus oſtendit. Si vero Chriſtiana religio ab hoſtibus turbata eſt, id a Deo comminatum, in pœnam criminum accidit: hinc vera religio inter magna diſcrimina propagata eſt. Idololatria vero nunquam poſt fata revixit.

Momentum II. ex innumeris a Deo patratis miraculis.

Innumera a Moyſe geſta narrantur in libro Exodi. Colubrum in virgam, aqua in ſanguinem verſa eſt. Iſraelitæ per maris undas ſicco veſtigio tranſvecti. Aquæ e ſilice eductæ; manna e cælo pluit. Ut ſileam X. Ægypti plagas, novimus profligatos exercitus ſola Moyſis manuum elevatione &c. Res etiam a Joſue, Gedeone, Davide, Daniele, aliiſque geſtæ ob unius Dei cultum, ſunt cuique notiſſimæ. Chriſti miracula innumera in Evangeliis narrantur; Petri, Pauli, ac Stephani in Actibus Ap.; SS. martyrum, & confeſſorum in eccl. monumentis. Ex quibus ſic arguitur. Solus verus Deus vera miracula patrare poteſt: atqui Dii gentium nuſquam patrarunt vera miracula, ut infra oſtendemus in ℞. ad objecta: ergo Dii gentium non ſunt vere Dii: ergo unus eſt verus Deus. Ita S. P. 21. C. D. 8., Grotius (*d*), Clericus (*e*) &c.

Momentum III. ex ipſa naturali ratione.

I. Deus eſt ſumme magnus: ergo ſumme unus. Ita S. P. Aug. l. 1. de Trin. c. 7., aliique.

Prob. conſ. Summum enim eſt, quod par non habet: ſed hoc uni tantum convenit, *duo* namque

(d) *L.* 1. *de Ver. Rel. Ch. n.* 3.
(e) *In H. E. ad an.* 177. *n.* 9.

summa magna quomodo consistent? ait Tertullianus: ergo unus est Deus. II. Plures Dii, vel differunt essentialiter, vel accidentaliter: sed quovis modo differant, perfectiones unius alteri deerunt: ergo neuter erit summe perfectus, & proinde nec Deus. Si dicas differre numero, ut Plato a Socrate, tum vel unus ab alio est, vel nemo pendet ab alio. Si primum, is erit summus, a quo alius ortus est; si secundum, erunt ergo plures species, & naturæ diversæ, & redit primum argumentum. Ita Boethius (*a*), Lactantius (*b*), Petavius (*c*), Thomassinus (*d*). III. unus est mundus: ergo unus est illius opifex.

Prob. cons. Vel enim sat erat unus artifex, vel non Si primum: ergo inutilis est alterius opera; si secundum: ergo erat imbecillis, proinde nec Deus. Ita Athanasius (*e*). IV. Denique sublata unitate, innumeri consurgent Dii. Numerus enim eo perfectior est, quo major est: atqui Deos innumeros nullus sanæ mentis admittit: ergo nec plures. Ita Tertull. c. Marc., Thomassinus (*f*), Gotti (*g*), &c.

Momentum IV. ex testimonio Gentilium, & idololatrarum amentia.

Unum Deum agnovere Plato, Porphyrius, Jamblicus, Proclus, atque ab eo inferiores Deos progenitos esse opinati sunt. Empedocles, & Antisthenes multos populares Deos, sed unum naturalem agnovere. Aristoteles, & Simplicius unum omnium principium statuerunt. Idem sensit Tullius, Varro, Plutarchus ex Aug., nec non veteres poetæ, ex Clemente Alex., Lactantio, aliisque. Vide Ger. Voss. l. 1. Idol., Huet. in Conc. ration. & fid. l. 2.

Dices: Major est Polytheorum numerus, quam eorum, qui unum Deum colunt: ergo plures sunt Dii.

℟.

(a) *De Trin.* (b) *L. 1. Inst.* (c) *L. 1. Theol. dog. 4.*
(d) *L. 2. c. 1.* (e) *Or. c. Gent.*
(f) *Loc. cit. n. 7.* (g) *N. 7. & 8.*

℟. Neg. conſ. Illorum enim nulla habenda eſt ratio. I. Quia illi unum Deum aliis præeſſe opinabantur, ut Jupiter, aut Saturnus apud Romanos, & Græcos. Hinc celebris inſcriptio templi Delphici EIS EI *unus eſt*, de qua Euſ. 7. Præp. ev. Romani etiam Pantheon, hoc eſt *Deorum omnium* templum Jovi victori ſacrarunt.

II. Si Ethnici Deos pares ſtatuere, aut ii boni erant, aut mali: ſi boni, erit inter eos ordo, & unus erit ſummus, cui ceteri pareant; ac proinde non erunt Dii, utpote ſubordinati: ſi mali, non erunt ergo illud ſummum bonum, quod Deus eſt. Hinc patet ſumma Ethnicorum dementia, qui non ſolum hominibus ſceleſtiſſimis divinum cultum exhibuere, ut Romulo fratricidæ, Bacco ebrioſo, Jovi ſacrilego, imo Cacodæmoni, & malo genio, ut Indi, Æthiopes, & Perſæ; ſed brutis etiam, aſtris, elementis, plantis, & ſaxis, quæ ſunt homine ipſo longe deteriora. Mitto nefanda idololatrarum ſacrificia, humanas victimas puerorum, ac virginum holocauſta: de quibus S. P. A. 7. C. D. 25. Lact. &c.

℟. Pagani. I. Lapides, & metalla eſſe Deorum ſymbola, atque a ſe Deos, non lapides coli. II. Falſa eſſe eorum probra. III. Idola inſculpta ad accerſendas aereas poteſtates. Sed hæc mera commenta ſunt. I. Quia Ethnici Deos corporeos putabant, & idolis ſimiles, aut ita iis alligari Deos, ut idolis ſublatis, Deos etiam ſublatos crederent; unde aſportatis penatibus, everſas urbes inſtaurari non poſſe putabant. II. Deorum flagitia narrant Homerus, Varro, aliique: atqui Ethnici his fidem habent, dum laudes narrant: ergo credere etiam debent, dum probra referunt.

III. ℟. Ethnicorum ita impugnat Athanaſius or. c. Gent. *Si hæc ſimulacra facta ſunt, ut per ea advocent poteſtates, cur iis Dei nomen, & honorem imponunt?*

CAPUT III.

In quo Polytheorum ſophiſmata diluuntur.

Contra prolata hucuſque momenta nonnulla opponi poſſunt Scripturæ loca, & plura a Diis gentium patrata miracula. Itaque

Ob. I. ex Scripturis. Exod. 7. Moyſes dicitur *Deus Pharaonis.* Pſ. 81. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*; & infra, *Ego Dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Quo teſtimonio Chriſtus ſuam divinitatem probat Joan. 10. Et in I. Cor. 8. *Dii multi*, & *Domini multi* memorantur: ergo corruit I. momentum.

℞. Neg. conſ. De Moyſe enim ait Dominus: *Conſtitui te Deum* &c.: ergo non erat natura Deus, ſed ejus gerebat vices: ut conſtat ex voce *Elohim*, qua judiciaria poteſtas exprimitur: hinc Jonathan vertit *Conſtitui te timorem Pharaonis.* In Pſ. etiam 81. habetur vox *Elohim*, & ſignificatur Deum ſtetiſſe in Synagoga Judicum, qui Dei vices gerunt, quos etiam Dominus judicabit: ut conſtat ex ſequentibus, *in medio autem Deos dijudicat.* Sunt enim & ipſi mortales; nam de iis dicitur, *Vos enim ſicut homines moriemini.* Atqui Deus eſt natura immortalis: non ſunt ergo natura vere Dii. Quomodo Chriſtus ſuam divinitatem hinc probet, dicemus lib. de Trin. Ad ultimum diſt. conſ. Et Apoſtolus loquitur in ſententia Ethnicorum, conc.; in propria, neg. Addit enim, *nobis tamen unus Deus.* Græcus legit λεγόμενοι θεοὶ, *qui dicuntur Dii*, ut pateat, Deos gentium, non re Deos eſſe, ſed nomine.

Inſt. Theologia Paganorum cohæret ſacris literis. Hæc enim docet, unum Deum, ideſt Saturnum, præeſſe cælo, alios aliis mundi plagis. Jovem hominum ſatorem eſſe, eique adſtare, quos conſulat, Deos *conſentes.* Unum eſſe Deum Hebræorum, plures aliarum nationum. Atqui hoc ipſum habetur in ſacris literis; nam legitur Geneſ. 1. *In principio creavit*

creavit Elohim cælum, & terram, ubi *Elohim* eſt Saturnus, qui cælo præeſt. C. 2. *Formavit Deus hominem*, hebraice *Jehova*: en Jupiter hominum ſator. Hic. c. 1. ait *faciamus hominem*; en Jupiter in Synagoga Deorum *conſentium*. C. 2. 4. ubi dicitur, *in die, quo fecit Dominus Deus*, habetur hebraice, *Elohim Jehova*, Jovis nempe ſatoris hominum nomen, & aliorum Deorum, qui res alias fecerunt: ergo ex Diis, unus cælo, alius homini præeſt; ille Hebræis, iſte Philiſthiim.

℟. Neg. ant. Ad prob. neg. min. Creator enim cæli, & hominis ſator unus idemque Deus eſt. Nam c. 1. *Elohim*, qui cælum, & terram creavit, v. 26. ait: *faciamus hominem*. C. 2. formavit hominem *Jehova*, & v. 5. cælum & terram *Jehova Elohim*: eſt ergo idem *Jehova*, ac *Elohim*. Deinde ibi *faciamus* non conſultationem Deorum, cujus non eget ſapientiſſimus Deus, ſed diſtinctionem exprimit perſonarum III. recte dicitur *Jehova* & *Elohim* omnia creaſſe, ſed ea ſunt unius Dei diverſa nomina, ac *Jehova* immutabilem exiſtentiam, *Elohim* attributa ſignificat.

Ob. II. Plures Deos eſſe, ex miraculis comprobatur, quorum plura enumerat Celſus apud Orig. l. 7., ubi prophetis Pythias opponit, ac vates Apollinis, ac Jovis Ammonis II. Ex prodigiis ab Iſide patratis, in cujus templo excubantes infirmi ſanati ſunt. III. Ex geſtis Apollonii Tyanæi, qui puellam ad vitam revocavit, & raptus in cælum eſt. IV. Ex miraculis Æſculapii marmorea tabula inſcriptis (1). V. Ex prodigiis Veſtalium, Silviæ, Æmiliæ, Tuciæ, apud Ovidium, alioſque. VI. Ex miraculis Veſpa-

(1) Chriſti miracula fuiſſe æquivoca, & multam habere cum Æſculapii miraculis analogiam, per ſummum ſcelus Pradeſius Baccalaureus Pariſienſis aſſeruit in theſibus Sorbonæ habitis ann. 1752. merito proinde ab utraque poteſtate proſcriptus, atque ab auctore operis *Des Gueriſon de J. C.* nedum impietatis, ſed etiam ignorantiæ aperte convictus.

Veſpaſiani, qui cæcum, & ægrotum ſanavit, & Adriani, qui cæco a nativitate lumen reſtituit: ergo &c.

℞. Neg. ant. Nam Livius ipſe hæc miracula in dubium revocat, ut *plane conficta*. Oracula ergo Apollinis, Ammonis &c., utpote ambigua, obſcura, & flexiloqua, ut ea Tullius vocat, nullam divinitatis notam præſeferunt, ut demonſtrat Euſebius, Grotius, aliique. II. Ex iis oraculis ſæpe Chriſtianæ religionis veritas, Dei unitas, Chriſti adventus prænunciatur ex Auguſtino, Tacito, Svetonio &c. III. Plura ex naturalibus cauſſis prænuntiantur, ut medici exitium, & ſanitatem, aſtronomi pluvias, aut nivem prædicunt. IV. Horum plura a dæmone fieri conſtat, eo quod ad amores illicitos, ad cædes &c. alliciant.

Ad II. Neg. ant. Narrat enim Diodorus, ægros in templo Iſidis, ſomno abreptos, de remedio admonitos eſſe, forte ſacerdotum fraude, qui cum eſſent artis medicæ peritiſſimi, noctu pharmaca præſcribebant. Ex iis quidam extemplo curati ſunt, quorum morbus in imaginatione conſiſtit, ut chronici aliique.

Ad III. Neg. ant. Omnia enim Tyanæi miracula a Philoſtrato conficta eſſe in Chriſti contemptum, conſtat comparatione factorum. Dicitur enim, ab aliorum oculis evanuiſſe: phantaſma creditum: in cælum aſcendiſſe &c. II. Philoſtrati plura mendacia notant critici, ut dum ait, Domitillam ſororem fuiſſe Domitiani, & Tyanæo orationem tribuit, quam ex nugis ac ſtylo conſtat ipſius eſſe Philoſtrati. III. Fatetur Philoſtratus, plura a ſe ex incerto rumore narrari. IV. Etſi vera ſint omnia, nil eſt, quod dæmonum virtutem excedat, præter puellæ reſurrectionem (quam tamen in dubium revocat ipſe Philoſtratus dicens, vitalis auræ ſcintillam intra puellam fortaſſe medicos latuiſſe) & aſſumptionem in cælum ipſius Tyanæi, quem tamen

alii Ephesi, alii in Creta mortuum esse narrant. Forte dæmones una cum corpore rapuere.

Ad IV. ℟. Æsculapii curationes suspectas haberi ab Aristophane in Pluto, quod sacerdotes noctu ægros circuibant cum puellis, idoli, divarumque speciem simulantes. Deinde Æsculapius non voce, aut imperio, sed herbis, ac potionibus curabat; quibus plures in deterius abibant. Denique Æsculapium a Jove percussum fulmine narrant Empyricus, aliique: non potuit ergo sanator Glauci, filiarumque Proeti, salvare se ipsum: ergo &c.

Ad V. Neg. ant. Nam Ovidius, qui 2. Fast. narrat, Vestæ simulacrum, corrupta Sylvia, manus ob oculos apposuisse, in sexto ait, nullum esse Vestæ simulacrum, licet in nummis aliquibus conspiciatur. Æmiliæ, ac Tuciæ miracula non excedere nativam dæmonum virtutem testatur S. P. A., nec aliquid obstat, etiam a Paganis in testimonium veritatis, & innocentiæ vera miracula fieri posse. Verum plures etiam narrantur Vestales vitiatæ, aut cæsæ, quas Vesta neque a cæde potuit, neque a furentium libidine liberare.

Ad VI. ℟. Vespasiani, atque Adriani miracula esse fictitia; nam Tacitus ipse ait, a Vespasiano sanatos, non fuisse insanabiles, nec cæco, cui lumen restituit, excisam prorsus vim luminis fuisse. Adriani vero prodigia, tanquam simulationes ad ejus levandam insaniam irridet Marius Maximus. Cum enim sibi necem inferre vellet, Antoninus Pius Pannonium quemdam quasi cæcum ei exhibuit, ut apparenter illuminatus eum a desperatione levaret. Vide auctorem.

Ob. III. Argumenta a ratione etiam Trinitatem evertunt: ergo nil probant.

Pr. ant. Si enim arguitur: Deus est summe perfectus: ergo est unus; dici etiam potest: persona divina est summe perfecta: ergo est una. II. Si recte dicis: unus Deus nequit ab alio nec substantialiter, neque accidentaliter differre: ergo nullo mo-

do;

do; dici idem poterit de perſonis Trinitatis. III. Si ais: potuit unus Deus auctor eſſe univerſorum: ergo ſuperfluunt plures Dii; valet etiam dici: ſufficit ad omnia moderanda una perſona: fruſtra ergo creduntur plures. IV. Si ſtatuantur plures perſonæ, non tamen conſtituuntur infinitæ, ergo nec infiniti exurgunt Dii, licet detur multitudo Deorum.

R. Neg. ant. Ad prob. neg. conſ. Nam tres perſonæ, cum ſint una ſubſtantia, ſunt unum ſummum bonum, plures autem Dii cum ſint natura ſecreti, eſſent plura ſumma bona; quod repugnat: ut enim ait D. Bern. conſid. 5. *Cum tres illæ perſonæ illa ſubſtantia ſint, & illa una ſubſtantia tres illæ perſonæ; quis numerum neget? nam vere tres ſunt; quis numeret tamen? nam vere unum ſunt.* Nec magis urget ſecunda ratio; nam plures Dii diſtinguuntur, aut ſpecie, aut ſeparatione naturæ: atqui perſonæ divinæ ſunt eædem numero, atque indiviſa natura: ergo neutro modo, ſed ſola perſonalitate diſtinguuntur. Neque officit tertia. Creare enim non convenit Deo ratione perſonæ, ſed ratione naturæ, quæ in omnibus perſonis eſt indiſtincta: unde nego paritatem; diverſi enim Dii diverſa potentia præditi ſunt, divinæ autem perſonæ eadem potentia, ac virtute pollent. Idem de quarta judicium eſto. Dii enim gentium multiplicantur propagatione, ac ſeparatione naturæ: perſonæ vero divinæ ſolis relationibus, & connotatis.

CAPUT IV.

De duobus Manichæorum principiis bono, & malo.

Not. I. Hæc duo principia ſtatuiſſe II. Eccleſiæ ſæculo Marcionem, qui a patre Epiſcopo ob vitiatam, præter continentiæ votum, puellam ab Eccleſia pulſus, Cerdonem Gnoſticum hæreſiarcham audivit, eumque Romam ſecutus errores ſuos circa ann. 141. de duobus principiis diſſeminavit. Quidam ex ejus diſcipulis tria invexere. Unde ab

Epi-

Epiphanio, Cyrillo, aliisque non duo, sed tria fuerunt ei exprobrata principia, quorum tamen Eusebius Sinerum quendam scribit auctorem.

Not. II. Marcioni adhæsisse sæc. III. Cubricum Persam, quem anus quædam e servo libertum fecit, & librorum Buddæ, ac bonorum omnium conscripsit hæredem. *Manetis* (1), hoc est *Eloquentis*, nomen assumpsit: sed sui in Manichæum, quasi manna fundentem, commutarunt, ne furore percitus diceretur, quod significat græce *manes*. Is imperante Probo 22. discipulos sibi adscivit, quorum celebriores fuere Thomas, Hermas, & Adda. Maneti vivo a Persarum rege cutis detracta est arundinibus; in quibus postea Manichæi superstitiosa religione cubabant. Scripsit contra Marcionem Clemens Alexandrinus (*a*) Irenæus (*b*) Tertullianus, aliique. Contra Manichæos vero Titus Bostrensis, Epiphanius, Theodoretus, &c. sed omnium luculentissime S. P. A. in l. de natura boni, & 21. contra Faustum. Manavit hic error ex falsa opinione, quod malum substantia esset, non boni deficientia; quæ quidem opinio non a Marcione, aut Manete &c. sed longe antiquiorem habuit originem, ut infra ostendemus.

Prop. I. Error de duobus principiis a Chami posteris una cum idololatria ortus est.

Prob.

(1) De Manetis nomine, apud Tibettanos etiam sacro, fuse pertractatur in cit. alphabeto contra Beausobrium: atque illud, non secus ac Buddæ nomen, græcum non esse perspicue demonstratur. Manichæorum errores ex inferis revocavit Bælius (in suo dictionario) qui, ut rationem naturalem in religionis negocio *ad silentium adigeret, cum diu adversus fidem procacissime clamitasset*, ut scribit Leibnitius, Manichæorum sophismata adversus Dei bonitatem, jamdiu ab Augustino confutata, denuo recoxit.

(a) *L. 3. Strom.* (b) *L. 4. adv. hær. 14.*

Prob. In Ægypto enim Isidem, atque Osiridem, veluti principes Deos, cultu antiquissimo habitos esse Prop. 3. c. 1. demonstratum est. Atqui in Iside, & Osiride duo contraria principia Ægyptii coluere: ergo &c.

Prob. min. ex Plutarcho, qui scribit, priscos Ægyptios existimasse, in Iside, & Osiride *non unam esse rationem*, quæ *universa contineat*, *& dirigat*, *sed a* DUOBUS PRINCIPIIS CONTRARIIS, *tum vitam esse mixtam*, *tum ipsum mundum circumferri*: ergo apud Ægyptios, una cum polytheismo, error duorum principiorum invaluit. Hinc ad Chaldæos, & Persas derivatus est. Magi enim Persarum Deum *Oromasdem* caussam boni, & *Arimanium* mali caussam, teste Plutarcho, aliisque, agnovere. Inde migravit ad Græcos, ex quibus Democritus, & Chrysippus Stoici philosophi materiam reluctantem naturæ beneficæ agnovere, ut scribit Plato (*a*). A Stoicis Gnostici orti sunt, quorum princeps fuit Simon magus. Hic Menandrum discipulum habuit; Menander Basilidem; iste Cerdonem docuit, de quo Tertullianus II. Præscr. ait: *Hic introducit initia duo; unum bonum, alterum sævum.* Cerdonis auditor fuit Marcion. Errorem ergo de duobus principiis Manichæi a Marcionitis, isti a Gnosticis, hi a Stoicis, illi a Chaldæis, & Persis, Persæ ab Ægyptiis, hi denique a filiis Cham accepere, unde idololatria orta est. Cum ergo Tertullianus l. 1. c. 8. errorem hunc *novum* appellat, non ita vocat, quasi post Christum invectus sit, ut censet Alexander, sed quia illum novitas aliquando produxit.

Propositio II. Malum non est substantia ab efficiente summa caussa productum.

Prob. I. Scripturis. Genes. I. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; & epist. I ad Timoth. c. 4. *Omnis creatura Dei bona est*; ergo malum non est a prima caussa productum.

Prob.

(a) *L. de leg.*

Prob. II. ex Patribus. Auctor l. de Div. nom. c. 4. ait: *Privatio est malum.* Athanas. Or. contra Gent. *Nullum malum*, inquit, *nec a Deo, nec in Deo extitisse, neque ullam esse ejus substantiam.* Ambrosius de Isaac c. 7. *Quid est aliud malum, quam privatio boni?* S. P. A. 11. C. D. 22. *Natura nulla est malum, nomenque hoc non est, nisi privationis boni:* ergo &c. Hanc etiam fuisse veterum philosophorum sententiam, ait Damascenus, & Thomassinus.

Prob. III. rationibus Augustinianis. Mala substantia vel incorruptibilis est, vel corruptibilis: si primum, est summe bona; si secundum, vitiari non posset, nisi bona esset: ergo nulla est mali substantia. Ita S. P. 7. Conf. II. Quævis natura est: ergo bona est; esse namque bonum est: ergo malum non est natura, sed naturæ defectus. Ita S. P. l. de natura boni 3. III. Malum vel extra naturas rationales est, ut elementorum pugna, mors &c., vel intra, ut peccatum, ignorantia &c.: sed utrumque est boni privatio: ergo &c.

Prob. min. quoad primam partem. Deus bonus debuit creaturas mutabiles fingere, ut fluant, decedant &c., alias essent incommutabile bonum, ac Deus ipse: ergo quod creaturæ pugnent, aut pereant, non est a mala substantia, sed naturæ deflexio ab incommutabili bono, a quo mutabilis producta est. Ita S. P. 12. C. D. 4. Prob. secunda pars. Deus condidit rationales creaturas ea libertate, ut, si nollent, malæ esse non possent, libere Deum diligendo; si vellent, miserrimæ fierent peccando: ergo malum culpæ non est substantia per se mala, sed deficientia ab ea bonitate, a qua creatura libera facta est. Ita S. P. 3. de lib. arb. 11.

Prop. III. Non dantur duo summa principia, unum boni, aliud mali caussa.

Sequitur ex dictis, & propugnatur a Tertulliano contra Marcionem, ab Augustino contra Manichæos, a S. Thoma, Argentina, Petavio, Thomassino, Alexandro; ex Protestantibus etiam a Grotio,

Grotio, Voſſio, Clerico, aliiſque iiſdem momentis c. 2., & propoſitionibus præcedentibus, quibus accedunt ſequentia.

I. Hoc ſummum malum, aut vivit, & intelligit, aut non: ſi primum, non eſt ſumme malum; habet enim plura bona, vitam nempe, & intelligentiam; ſi ſecundum, nequit ergo operari, & mala producere: ergo &c. Ita S. P. A. de natur. bon. 41.

II. Dii illi, aut æquales erunt, aut inæquales vi, ac poteſtate. Si primum, nil molietur uterque, altero renitente, adeoque nullum erit in orbe malum, aut bonum; ſi inæquales, non erunt ergo ambo ſummi, ut Marcionitæ contendunt. Si dicas Deum bonum ſinere, ut quandoque malus operetur, & viciſſim; tum occurrit notum dilemma, aut bonus Deus poteſt arcere mala, vel non: ſi poteſt, nec arcet, eſt malignus; ſi nequit, infirmus, adeoque nec Deus. Quod argumentum in nos urgere non poſſunt Manichæi: Deus enim, licet ſumme bonus, non tenetur avertere mala. I. Quia cum hominem fecerit liberum, non tenetur efformare impeccabilem. II. Quia occaſione malorum, quæ permittit, miſericordiam, & juſtitiam exercet. III. Mala non habent cauſſam, niſi deficientem: ergo non Deo, ſed creaturæ tribuenda ſunt; quod a Manichæis dici nequit, qui docent malum a Deo malo, invito bono, produci.

III. Hæc duo principia, aut ſimul ſunt, aut ſeparantur; non primum, quia eorum natura contraria eſt: non ſecundum, alias inter bonum, & malum erit tertium, quod ſecernat utrumque. Hoc autem aut bonum erit, aut malum: ſi bonum, quomodo a malo; aut ſi malum, quomodo a bono ſejungitur? Aliud ergo & aliud principium admitti debet in infinitum, quod eſt abſurdum: ergo &c.

Ob. I. Iſ. 45. habetur: *Ego Dominus formans lucem, & tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* II. Apoſt. 2. Cor. 4. *Deus hujus ſæculi excæ-*

excæcavit mentes infidelium. III. Joann. 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur:* ergo Deus malus eſt auctor mali, cæcitatis &c.

℟. 1. retorquendo argumentum. Si enim idem Dominus lucem, & tenebras, pacem, & malum creat: ergo non differt auctor pacis, ac lucis ab auctore mali &c. ℟. II. diſt. ant. Amos, & Iſaias loquuntur de malo pœnæ, conc.; de malo culpæ, neg. *Dupliciter enim*, ait S. P. contra Adim. c. 26. *appellatur malum: unum, quod homo facit; alterum, quod homo patitur.* Amos enim Judæorum punitionem, Iſaias vero Medorum, ac Babyloniæ everſionem prænunciant. Ad II. diſt. ant. Excæcavit *impellens*, nego; *permittens*, conc. Quomodo excæcavit? *Numquid impellens? Abſit; ſed permittens.* Ita Chryſoſtomus in hunc locum. Tertullianus vero, Cyrillus, & S. P. contra Fauſtum 9. docent, Deum hujus ſæculi eſſe diabolum, qui Deus dicitur, ut venter (a), qui Dei vice colitur. Ad III. diſt. conſ. Deus eſt princeps ſæculi, & auctor malorum pœnæ, conc.; culpæ, ſubdiſt. Deus in ſenſu idololatrarum, conc.; Deus natura mala permittens, eſto; efficiens, nego. Ceterum locus Joan. de idololatria exponendus eſt, quæ una cum Deorum turbis per Chriſtum ejicienda erat.

Inſt. Deus bonus hominem labilem non feciſſet, nec peccata permitteret: ergo ſunt a Deo malo.

℟. Neg. ant. Rectiſſime enim poſuit Deus hominem in manu conſilii ſui, non ut eum perderet, ſed ne ejus perimeret libertatem, neque Adamum ad peccandum impulit, ſed permiſit lapſum; quia novit & de malis bona facere.

Ob. II. Extat ſummum bonum: ergo & ſummum malum. Prob. conſ. Quæ bonitatem participant, arguunt ſummum bonum; quæ ergo malitiam participant, ſummum malum. II. Datur majus, & minus malum: ergo & ſummum malum. III. Summum bonum,

(a) *Philipp.* 3.

bonum, & summum malum sunt contraria: ergo si datur primum, datur etiam secundum.

R. Neg. conf. Malum enim deficientiam, non subsistentiam importat. Ad pr. neg. conf. Bonitas enim est res subsistens, malitia vero nihil est. Ad II. neg. conf. Nam majus, & minus malum, est major, aut minor boni privatio. Ad III. dist. ant. Sunt contraria positive, neg.; privative, conc. Responsio patet ex dictis.

CAPUT V.

Quid constituat essentiam Dei, & quonam vocabulo exprimatur.

Not. Divinam essentiam dupliciter spectari posse: *physice*, & est omnium perfectionum cumulus, vel potius res una summa, ac perfectissima; & *metaphysice*, prout res est, quæ in Deo primum ab humana mente concipitur, atque intellectione nostra est divinarum proprietatum fons, & origo. Hanc Dei naturam sic acceptam, *gradum*, seu *formale constitutivum*, sive *differentiam essentialem* divinæ naturæ appellant scholastici. Quorum aliqui, ut plures Scotistæ (quibus adhærent ex nostris Toletanus, & Argentinas) *in infinitate radicali*, sive in *exigentia* omnium perfectionum constituunt: alii cum Okamo, Suaresio, aliisque Scotistis, in omnium attributorum aggregatione: Ægidiani, ac Thomistæ in actuali intellectione. Recentiores Theologi, quibus subscripsimus, in *esse a se*. Quam sententiam sequuntur l'Herminier, Habert, du-Hamel, Boucat, Juvenin, Tournely, atque ipse Petavius l. 1. Th. dogm. c. 6.

PROPOSITIO I. Dei natura metaphysice constituitur per esse a se.

Prob. I. Scripturis. Nam Ex. 3. roganti Moysi, quis esset? R. Dominus: *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos.* Job. 23. *Ipse solus est.* Apoc. 1. *Qui est, qui erat, & qui venturus*

turus est: ergo *formale constitutivum* divinæ essentiæ est *esse a se.*

Prob. II. ex Patribus. Hilarius 1. Trin. ait: *Non enim aliud proprium magis Deo, quam esse intelligitur.* Hieronymus ep. ad Dam. *Una est, & sola natura, quæ vere est; id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est.* Nazianzenus or. 7. *Ens, & Deus magis quodammodo essentiæ nomina sunt.* S. P. A. in Ps. 134. *Ego sum, qui sum. Non dixit: Dominus ille omnipotens, misericors, justus &c. ipsum* ESSE *se vocari respondit, & tamquam hoc esset Dei nomen, hoc dices eis, inquit: Qui est misit me ad vos. Ita enim ille est, ut in ejus comparatione ea, quæ facta sunt, non sint:* ergo differentia Dei essentialis, quæ primum in Deo concipitur, est *esse a se.*

Prob. III. ratione. Illud enim metaphysice rei essentiam constituit, quod primo in ea re percipitur, atque ex ea reliquæ perfectiones, atque attributa dimanant: atqui *aseitas*, sive esse a se, est hujusmodi: ergo est formale constitutivum divinæ essentiæ. Prob. min. I. Nihil excogitari potest prius, quam ipsum esse. II. *Esse a se* ita convenit divinæ naturæ, ut non possit creaturæ communicari. III. *Aseitas* est origo omnium perfectionum, quæ sunt in Deo. Qui enim a se ipso habet *esse*, habet etiam omnia minora ipso *esse*, vel quæ consequuntur ad *esse*, idest perfectiones, atque attributa. Hinc S. Bern. de consid. 6. ait: *Si bonum, si magnum, si sapientem de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si centum addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti; si nihil dixeris, nihil minuisti.* IV. Tandem per *esse a se* distinguitur Deus a creaturis, quæ non a se, sed ab alio sunt. Distinguitur etiam, ratione quidem, a personis ac proprietatibus, quæ ab *esse* manare concipiuntur.

Ex quibus sic arguitur: infinitas, intellectio, & quævis perfectio consequitur ratione nostra ab *esse a se*, quod primum in Deo concipitur, atque

ex ea perfectiones reliquæ derivantur: ergo Dei essentia, non in infinitate &c., sed in *aseitate* consistit.

Ob. I. cum nostro La-Fosse. Ens a se non est genus proximum, sed remotissimum: sicut ergo male definitur homo *ens rationale;* ita male definitur Deus *ens a se*.

℟. neg. ant. In Deo namque esse *ens a se* non est ratio remota, sed proxima; nequit enim in Deo concipi *esse a se* absque substantia, ac tota plenitudine essendi. Sane qui hominem definiret *ens rationale*, male definiret, quia eum ab angelo non distingueret: atqui Deus per *esse a se* ab omni alio secernitur, ut supra probatum est: ergo &c.

Ob. II. Infinitas distinguit Deum a creaturis: ergo Dei essentiam constituit.

℟. Dist. ant. Distinguit primario, nego; secundario, conc. Infinitas enim concipitur in Deo, velut modus, aut divinæ essentiæ proprietas, quæ Deum a creaturis secundario distinguit, ut *risibilitas* hominem a bruto secernit. Deinde *infinitas* convenit essentiæ, & attributis: ergo non est differentia essentialis.

Dices: Saltem *infinitas radicalis* erit *formale* constitutivum essentiæ Dei: ergo &c.

℟. dist. ant. Si spectetur physice Deus, & prout est in se, conc.; metaphysice, neg. Bonitas enim, justitia &c. physice spectata, sunt unus, & idem Deus, qui reapse est omnium perfectionum cumulus. Si vero spectetur Dei essentia, ut proprietas a suo principio dimanans, prius concipimus rem aliquam esse, deinde eam esse perfectam.

Inst. Esse a se convenit ex æquo essentiæ, & attributis: ergo non est differentia essentialis.

℟. neg. ant. Attributa enim a natura concipiuntur effluere. *Aseitas* vero est id primum, quod in Deo concipimus, neque aliunde derivatur.

Dices. Si Dei natura constituitur per esse a se, Filius, & Spiritus Sanctus, qui non sunt a se, non

non erunt Deus: atqui falſum conſ.: ergo & ant.

℞. diſt. ant. Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt a ſe, ratione perſonæ, conc.; ratione naturæ, neg. ant., & ſuppoſitum. Eſſentia enim, nec gignit, nec procedit.

Ob. III. Idea ſubſtantiæ intelligentis perfectiſſimum exprimit vitæ gradum: ergo intellectio actualis eſt formale conſtitutivum divinæ eſſentiæ.

℞. diſt. ant. Si gradus ille primus ſit, & aliarum perfectionum cauſſa, & origo, conc.; ſecus, neg. Quamvis enim divina eſſentia phyſice ſit ipſa vita, ipſumque ſummum intelligere; metaphyſice tamen vita intellectionem, intellectio naturam, ideſt eſſe a ſe præſupponit. Prius enim natura concipitur, quam facultas, & prius facultas, quam operatio. Deinde hæc intellectio actualis non eſt aliarum perfectionum cauſſa, & origo; non enim conſequitur ex quo Deus actu intelligat, aut intelligendi vim habeat: ergo eſt ſapiens, juſtus, omnipotens &c. Contra vero omnia hæc dimanant ab *eſſe a ſe*, ut ait loco laudato D. Bernardus.

Inſt. Verbum per generationem recipit a Patre divinam naturam: atqui recipit intellectionem, cum ſit Patris ſapientia ab eo procedens per modum verbi: ergo intellectio, & natura in Deo idem ſunt.

℞. ex D. Thomæ doctrina diſt. min. Verbum procedit per intellectionem *eſſentialem*, neg.; *notionalem*, conc. Intellectio enim eſſentialis tribus perſonis ex æquo communis eſt, & principium formale divinæ generationis uni perſonæ, non alteri convenit. Verbum itaque procedit tantum per intellectionem *notionalem*, ſed hæc eſt operatio, quæ præter naturam, etiam paternitatem ſupponit. Diximus ex D. Thomæ doctrina; cur enim Verbi proceſſio ſit generatio, incertum eſt.

Propositio II. Eſſentia Dei explicatur hebraica voce *Jehova*, aut Græca ὁ ὢν, aut latina *qui eſt.*

 Sequi-

Sequitur ex dictis, atque inde infertur soli Deo competere, ut sit incommutabiliter, atque essentialiter. *Est enim vere solus, quia incommutabilis est*, ait S. P. l. 7. Trin. c. 5. Infertur etiam substantiam creatam esse *tamquam nihilum* respectu Dei, ut habetur Ps. 38. Infertur III. nullum in Deo accidens physicum reperiri. Hinc S. P. l. 5. Trin. 2. *Aliæ essentiæ*, inquit, *capiunt accidentia. Deo autem aliquid hujusmodi accidere non potest, & ideo sola est incommutabilis essentia.* IV. Denique infertur essentiam, quam de summo Deo enuntiamus, omnem in se comprehendere plenitudinem, quodve percipitur sensu, longe imparem divinæ substantiæ rationem nobis exhibere. *Totum ab animo rejicite*, ait S. P. A. in Ps. 26., *& quidquid cogitare possitis, dicite non est illud.* An vero hæc, aliaque nomina divinam essentiam adæquate significent, & quænam eorum sit notio, & origo, sequenti libro explanabimus.

LIBER II.

In quo de divinis attributis universe, & singillatim disseritur.

Supremi numinis existentiam, atque naturam ejus attributa proxime consequuntur, quæ ratione nostra ex ipsa Dei natura concipiuntur quodammodo derivari. Ex iis autem alia absoluta dicuntur, & communia tribus personis, ut sapientia, bonitas &c.; alia relativa, ac propria, quibus personæ ad invicem referuntur, ut paternitas, filiatio &c. Absoluta Dei attributa (nam de relativis alibi sermo erit) duodecim a scholasticis, 22. a Boethio numerantur, pro totidem Επινοίαις, sive mentis nostræ excursionibus, quibus aliquod non indignum de Deo cogitamus. Sunt autem præsertim ineffabilitas, simplicitas, infinitas, æternitas, immutabilitas, immensitas, veracitas, omnipotentia, pulchritudo, ac perfectio: quæ omnia distinctis capitibus unica hujusce libri dissertatione complectimur. De invisibilitate vero,

vero, ſcientia, voluntate, libertate, tum de providentia Dei, ac prædeſtinatione, quæ peculiarem tractationem expoſtulant, libris ſequentibus pertractabimus.

CAPUT I.

De ineffabilitate Dei, ac divinis nominibus.

Cenſuit Eunomius, quem *nominum aucupem* Nyſſenus (*a*) appellat, Deum optimum maximum pluribus nominibus ſignificari, iiſque Dei naturam exprimi ut eſt in ſe. Sit itaque

Propositio I. Deus ineffabilis eſt, nullumque nomen ejus naturam exprimit, ut eſt in ſe.

Prob. I. Scripturis. Proverb. 30. 4. habetur: *Quod nomen eſt ejus, & filii ejus, ſi noſti?* Ergo Deus eſt ineffabilis.

Prob. II. ex Patribus. Juſtinus Cohort. ad Gent. ait: *Fieri non poteſt, ut proprium aliquod Deo nomen attribuatur*. Lactantius I. Inſt. 6. *Deo nomen non eſt.* Novatianus 1. Trin. 4.: *Nomen Dei proprium dici non poteſt, quia non poteſt concipi.* S. P. A. Pſ. 85. *Deus ineffabilis eſt:* ergo &c.

Prob. III. ex philoſophis Ethnicis Platone, Plotino, Proclo, Jamblico, Alcinoo, Simplicio, Philemone, aliiſque apud Petavium (*b*), & Huetium (*c*). His adde Hebræorum conſenſum, qui nomen Dei tetragammaton, cujus etiamnum ignoratur pronunciatio, neſciunt efferre.

Prob. IV. ex ratione. Nam divinam eſſentiam non poſſumus in hac vita perfecte cognoſcere: ergo nec nomine exprimere.

Dices: Quædam nomina Deum habent auctorem, qui ea Moyſi revelavit: ergo hæc ſaltem Dei naturam exprimunt, ut eſt in ſe.

℞. neg. conſ. Sicut enim Deus, natura inviſibilis, in aſſumpta natura, ut nos viſitaret, apparuit, ita

(a) *L.* 12. (b) *L.* 8. *c.* 6. *n.* 6.
(c) *L.* 2. *q. Aln. n.* 15.

ita cum ſit ineffabilis, voluit vocis ſono appellari, & *verbis noſtris in ſua laude gaudere*, ait S. P. A. l. 1. Doctr. c. 6.

Propositio II. Dei nomina alia naturam divinam ſignificant, alia attributa.

Prob. Licet enim naturæ Dei nihil adveniat extrinſecus, indulgetur tamen noſtræ imbecillitati, ut *eſſe a ſe* veluti naturam concipiamus: juſtitiam vero, bonitatem &c., ut naturæ proprietates. Imo ſunt quædam nomina perſonalia, quæ de eſſentia enunciari non poſſunt, niſi in concreto: atqui nomina res ſignificant prout mente percipiuntur: ergo &c.

Ob. Athanaſius (*a*), Cyrillus (*b*), aliique Patres docent, tam Dei nomen, quam Patris, Filii &c. divinam ſubſtantiam exprimere, cum in Deo nihil ſit eorum, quæ naturam ſequuntur: ergo omnia Dei nomina eſſentiam ſignificant.

℟. diſt. ant. Quævis Dei nomina ſubſtantiam ſignificant, ſi ſecundum rem, & abſolute ſummantur, conc.; ſi ſecundum intellectum, & connotative, neg. Licet enim eſſentia Dei, hypoſtaſis, atque attributum ſint una eademque ſubſtantia: hanc tamen naturam dicimus, prout ſpectatur in ſe, perſonam prout refertur ad aliud, proprietatem per connotationem ad aliquem terminum, ut infra explicabitur.

Quæres: Quot ſint præcipua Dei nomina? ℟. decem præſertim apud Hebræos in ſacris literis recenſeri. Quorum I. eſt ineffabile יהוה, *Jehova*, quod ab iis dicitur *nomen filius quatuor literarum*; a Græcis vero τετραγράμματον, ideſt quatuor literarum, quem numerum in Dei nomine ſervant Græci, Latini, Hiſpani, Galli, Theutones, Turcæ, Arabes, atque Itali: qui Dei nomen ſic efferunt Θεὸς, *Deus*, *Dios*, *Dieu*, *Gott.*, *Alla*, *Idio*, Hebraicum יהוה a radice היה, *hajah*, *ſum*, creditur deriva-

(a) *De decr. Nic. Syn.* (b) *Theſ.* 19.

rivatum: hinc Exod. 3. ejus etymon ſic exponitur: *Ego ſum, qui ſum.* Nondum innotuit certa pronunciatio יהוה. Nam *Jaho* effert Clemens Alexandrinus (a), *Jave* Theodoretus (b), *Jehue* Genebrardus (c), *Jova* Caninius (d). At poſt Galatinum communiter *Jehova.* Nota, quod ubi in novo, aut in veteri teſtamento legitur Dominus, ſuffectus loco *Jehova*, de vero Deo ſermo eſt.

II. eſt יה, *Ja*, ab eodem themate. Hinc *Alleluja*, *laudate Deum.* III. eſt אל, *El*, *fortis*, a radice איל, *ejal*, fortem eſſe. Unde ἰσχυρος græce, latine *fortis* dicitur in Eccleſiæ precibus. IV. eſt אלוה, *eloah.* V. אלוהים, *elohim.* Utrumque ab אלה, *alah*, *juravit.* Latine, *judex princeps*: græce δικαςὴς, ἄρχος. VI. שדי, *ſaddai*, *ſibi ſufficiens*, *nec noſtri indigens.* VII. ארון, *adon*, ארני, *adonai*, *Dominus.* Hoc nomen connotat creaturas, in quibus Deus dominatur: cumque illæ non ſemper fuerint, concludit Tertullianus contra Hermogenem, *Dei nomen ſemper fuiſſe apud ſemetipſum*, *Dominum vero non ſemper.* VIII. אשר יהוה, *aſcer*, *Jehova*, Græce ὁ ὢν, qui eſt, de quo numero primo. IX. יהוה אלהים צבאות, *Jehova*, *Elohim*, *Tſabahot*, *Dominus Deus exercituum*, a צבא, *tſaba*, *exercitus.* X. עליון, *Elion*, græce ὕψιςος, *excelſus.* De his plura vide apud Buxtorfium, Pagninum, Hieronymum (e), Iſidorum (f), Caninium (g), Petavium (h), alioſque.

(a) *Strom* 5. (b) *Quæſt.* 15. *in Ex.*
(c) *In Pſ.* 82. (d) *De locis Hebr. c.* 2. (e) *Ep.* 136.
(f) *L.* 7. *Orig. c.* 1. (g) *De loc. Hebr.* (h) *L.* 8. *c.* 9.

Græcum Dei nomen Θεὸς derivari creditur, vel a θεῶμαι, *video*, qui Deus videt omnia; vel a θεῖν, *currere*, *ponere*, *facere*, quod omnibus præsto sit, omnia disponat, omnium sit artifex; vel ab αἴθειν, *fulgere*, quod humanæ menti per indefectibile lumen affulgeat.

Dulcissimum Jesu nomen ab hebraico ישוע, *Jesciah*, *salus*, derivatum est: & idem valet, ac græce σωθὴρ, *salvator*. Hinc Matth. 1. 21. habetur: *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet* &c. Christus autem græce χριςὸς a χρίω *ungo*, idem est, ac משיח, *masciah*, Messias, a משח *masciah*, *ungere*.

CAPUT II.

De simplicitate Dei.

Præter gentiles, qui Diis suis humana membra affinxere, ac Spinozam, qui materiam ipsam Deum esse (1) commentus est; haud recte de divina simplicitate sensere IV. Ecclesiæ sæculo monachi Ægyptii, qui Deo humanam formam tribuebant. His autem II. sæculo prælusisse dubitatur Melito Sardensis, & Tertullianus vix ab eo errore excusabiles. In eandem suspicionem adducti sunt Audius, & Epiphanius a Socrate, & Sozomeno, sed plane injuria. Sit itaque

Propositio I. Melito Sardensis ab Antropomorphitarum errore vix excusatur.

Ita Origenes, & Theodoretus (*a*), Gennadius (*b*), Peta-

(1) Spinozæ errorem, qui religionis naturalis asseclis communis est, non novum, sed vetustissimum esse, ex D. Thoma perspicue demonstravit Chignolius Præl. 2., ubi delirantium Popes, Voltaire, aliorumque hujuscemodi somnia presse, solideque dissipavit.

(a) Q. 20. in Exod. (b) De eccles. dog. c. 4.

Petavius (*a*), Caye (*b*), Clericus (*c*), Thomaſſinus (*d*), &c.

Prob. ex Euſebio, Hieronymo, & Theodoreto, qui Melitonis opera recenſent ex Origene, qui hæc de Melitone pronunciat apud Theodoretum (*e*): *Scripta reliquit de eo argumento, Deum eſſe corporeum*: ergo &c.

℟ L'Herminier, Tournelyus &c., nec Hieronymum, nec Theodoretum Melitonem arguere. II. Locus Origenis ſic redditur a Xyſto Sen., *De eo argumento, quod dicitur Deo corpus ineſſe*. III. Falſa ſuſpicio fortaſſe orta eſt ex epigraphe περὶ ἐνσωμάτε θεῦ, quod Rufinus vertit, *de Deo corpore induto*. IV. Gennadius fuit judicio præceps, cum Dionyſium Alexandrinum Arianiſmi, Auguſtinum novitatis inſimulaverit. Hæc illi ; ſed laterem lavant. Conſtat enim Euſebium ex Origene, ex Euſebio Hieronymum libros Melitonis exſcripſiſſe, non errores connumeraſſe. Quædam etiam diſſimulavit Hieronymus, & Rufinus, ne tanti præſulis auctoritate abuterentur hæretici. Sic librum περὶ κτίσεως χρισῦ, *de creatione Chriſti*, ille *de incarnatione*, hic *de fide Chriſti* reddidere. Xyſtus etiam decipitur manifeſte; nam in emendatiſſimis codicibus legitur: *Corporeum eſſe Deum*. Ad III. ℟. inſcriptionem illam a Hieronymo, Rufino, aliiſque retineri, eaque omnino differt ab alia apud Anaſtaſium Synaitam, περὶ σαρκώσεως χριστῦ, *de incarnatione Chriſti*, quæ diverſa inſcriptio, & litem dirimit, & in contrariam ſententiam abduxit clariſſimos viros. Ad IV. negant. Conſentiunt enim Gennadio ſynchroni ſcriptores, qui nec Melitonis ſcriptis, quæ periere, nec veterum teſtimonio revinci poſſunt. Neque Gennadius ſtudio partium iniquus fuit Melitoni, uti Semipelagianis addictus, ſubinfenſus fuit Auguſtino.

Propo-

(a) *L.* II. *c.* I. (b) *Ad ann.* 170. (c) *Ad ann.* 149.
(d) *L.* 4. *c.* I. (e) *Qu.* 20. *in Exod.*

Propositio II. Tertullianus ab Antropomorphitarum errore non ſatis defenditur.

Ejus patroni ſunt Nat. Alexander (*a*), Tournely (*b*), L'Herminier (*c*), Boucat (*d*) &c. Adverſantur D. Thomas (*e*), Petavius (*f*), Annatus (*g*), Huetius (*h*), Pamelius (*i*), Gavatdi (*k*), & alii &c.

Prob. I. ex Auguſtino ep. ad Opt. 190. *Mirandum non eſt, id ſomniaſſe Tertullianum, qui ipſum Deum non eſſe, niſi corpus opinatur.* Et l. 2. de Orig. An. ait: *Tertullianus ſicut animam, ita etiam Deum corpus eſſe contendit.* D. Thomas loc. cit. hunc errorem vocat *deliramenta Tertulliani* &c.: ergo &c.

Prob. II. ex ipſo Tertulliano, qui c. de An. ait: *Nihil, ſi non corpus.* Et l. de carne Chriſti c. 11. *Nihil eſt incorporale, niſi quod non eſt.* Et contra Prax. docet, *Deum corpus eſſe, etſi ſpiritus ſit. Spiritus eſt, corpus ſui generis.* Et contra Marcionem: *Oculos*, ait, *& pedes Dei legimus, non tamen humanis comparabuntur:* ergo verum in Deo corpus, licet ſubtiliſſimum, agnovit.

Ob. I. Tertullianus, teſte Auguſtino (*l*), *corpus* pro ſubſtantia uſurpavit: ergo &c. II. lib. de An. loquitur de ſolo ente creato, vel de corpore lato modo: ergo &c. III. de carne Chriſti ait: *Quidquid eſt, eſſe corpus ſui generis.* IV. Membra Deo tribuit, ſed figurate, ut fit in ſcripturis: ergo &c.

℟. Ad 1. neg. ant. Nam ibi S. P. dubie loquitur, dicens: *Poſſet quodammodo putari*: aſt ubi Tertullianum accuſat, definite loquitur. Ad II. neg. ant. Hæc enim habet Tertullianus: *Nihil, ſi non corpus*: ergo de quovis ente abſolute loquitur. Ad III. diſt. ant. Vocat *corpus ſui generis*, ideſt tenuiſſimum, quod

(a) *Diſſ.* 9. *ſæc. II.* (b) *De div. attrib. q.* 5.
(c) *De ſimplic. Dei.* (d) *Diſſ.* 3. *art.* 3.
(e) *L.* 3. *contra Gent. c.* 20. (f) *L.* 2. *c.* 1.
(g) *Lib.* 4. *art.* 12. (h) *In Origenianis.*
(i) *In Parad. c.* 15. (k) *De ſimpl. Dei art.* 1.
(l) *Hær.* 16.

quod soli Deo est visibile, conc.; secus, nego. Scio Tertullianum ibidem loqui contra Praxeam, docentem, Dei verbum esse rem vacuam, & inanem: sed cur *corporis* nomen usurpat, non substantiæ, vel spiritus, vir disertissimus, & novorum vocabulorum inventor? Nec solum contra Praxeam, sed ubique hoc nomen usurpat. Ad IV. neg. ant. Distinguit enim sicut animi, ita etiam duplex genus corporis: atqui Deo tribuit veram rationem animi: ergo & corporis, licet incorruptibilis.

Ob. II. Tertullianus, qui c. 20. apol. ait, *Deum esse spiritum*, & c. 7. de An. scribit, *Incorporalitatem nihil pati*; c. 29. contra Praxeam ait, Deum esse *impassibilem*. Hinc S. P. A. (a) illum censet priorem revocasse sententiam. Et c. 11. de Bapt. fatetur, Dei propriam esse *simplicitatem*: ergo &c.

℟. neg. cons. Ad I. prob. dist. ant. Ait, Deum esse spiritum, idest materiam subtiliorem, conc.; idest materia expertem, neg. Ait enim ibidem, *Spiritum corpus esse sui generis in sua effigie.* Ad II. dist. ant. Ait esse *impassibilem*, idest doloris expertem, conc.; passionis cujusque, & per sensus, ut vocat, *incorruptorios*, neg. Neque ait S. P., Tertullianum priorem reapse mutasse sententiam, sed eum accusat antilogiæ, scribens, Tertullianum *interdum contra opinionem suam, visa veritate, superari. Quid enim verius quam quod ait, omne corporale passibile est? Debuit ergo mutare sententiam, qua dixerat etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror ita desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet.* Quibus verbis probat S. P. Tertullianum non sibi constare. Si enim credidit omne corporale esse passibile, Deum vero impassibilem, debuit mutare sententiam, qua ait, etiam Deum corpus esse. An revera mutaverit, non scribit Augustinus. Ad III. dist. ant. Tribuit Deo simplicitatem relativam, idest materiam aliis corporibus subtiliorem, conc.; absolutam, & cujusvis

(a) *L. 10. de Gen. 25.*

cujuſvis materiæ etiam tenuiſſimæ expertem, neg. Ait enim ubique, Deum eſſe corpus ſui generis.

Dices. Etiam Phæbadius Deum vocat *corpus ſui generis*, nec reprehenditur: ergo &c.

℞. Neg. conſ. Phæbadius nec membra, nec ſenſus corporeos Deo tribuit, uti Tertullianus, qui proinde vix ab errore vindicatur.

Propositio III Nec S. Epiphanius, nec Audius Antropomorphitis ſunt accenſendi.

Prob. I. pars, de qua conveniunt eruditi. Epiphanius hær. 70. Audianos redarguens, qui in humano corpore Dei locabant imaginem, ait: *Qui fieri poteſt, ut quod aſpectabile eſt, ei ſimile ſit, quod videri non poteſt? Spiritus enim eſt Deus, qui omnem ſpiritum exſuperat.* Ubi in græco dicitur Deus ἀσώματος, ἀόρατος, καὶ πνεῦμα ὑπὲρ πνεῦμα, ideſt *incorporeus, inviſibilis, ſpiritus ſuper ſpiritum.*

Dices. Epiphanius non ſolum a Joanne Jeroſolymitano, Hieronymo (a) teſte, de hoc errore fuit accuſatus, ſed etiam a Socrate, ac Sozomeno: ergo &c.

℞. neg. conſ. Joannes enim fuit Epiphanii infenſiſſimus hoſtis, eo quod Origenis foveret errores, de quibus fuerat ab Epiphanio inſimulatus: Socrates vero, & Sozomenus fidem non merentur. I. Quia nimis creduli verbis Joannis. II. Quia illos offendit Epiphanii conſuetudo cum Theophilo Alexandrino, qui communicavit Ægyptiis monachis antropomorphitis: ſed hi ruſticana potius ſimplicitate, quam malitia peccarunt; ille vero cum Theophilo communicavit ob damnationem librorum Origenis; neque credibile eſt, Epiphanium a Theophilo fuiſſe accuſatum, ſi in eamdem hæreſim, ut ſcribit Socrates, Theophilus conſpiraſſet

Prob. II. pars. Audius in eo tantum reprehenditur ab Epiphanio (b), quod imaginem Dei in humano corpore conſtitueret, quod male intelligentes quidam

(a) *Ep.* 61. (b) *Hær.* 70.

dam illiterati Deum corporeum esse autumarunt, qui ea de re Audiani ab eo dicti sunt. Atqui inde non sequitur Audium Deum fecisse corporeum; potuit enim credere, Deum humanam formam sumpsisse in primi hominis typum, ut censent Prudentius (a), & Eugubinus (b), vel hominem factum esse ad imaginem Christi prævisi: ergo &c.

Inst. Scribit Epiphanius (c), Audium in exilium pulsum, *quod populos ab obsequio Ecclesiæ retraheret*: ergo &c.

℟. neg. conf. Hoc enim schisma sapit, non hæresim; aut si hæresim, quartodecimanam sapit, non Antropomorphitarum

Propositio IV. Deus est purus, ac simplex spiritus, quovis corpore expers.

De fide est, & prob. I. scripturis. Jo. 9. 24. habetur: *Spiritus est Deus*, idest animus sejunctus ab omni concretione mortali. Ibi docet Christus, Deum esse colendum *in spiritu & veritate*, idest non corporeo cultu, vel in unico templo, sed mente, & ubique: ergo &c

Prob. II. ex Patribus. Nazianzenus Or. 34. ait: *An corpus eum esse dices? quomodo ergo immensus, infinitus* &c.? Hilarius in Ps. 129. *Intelligendum est Deum incorporalem esse; neque ex partibus, atque officiis membrorum consistere* S. P. 8. C. D. 5. *Si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est?* Damascenus l. 1. de Fid. Orth. 4. *Quomodo corpus esse queat, quod infinitum est, simplex, nec compositum* (d)? ergo &c.

Prob. III. ex philosophorum consensu (e). Pythagoras (f), Xenophanes (g), Plato (h), nec non Aristoteles, Simplicius, & ipse Epicurus, Deum simplicissimum

(a) *In Apotheosi.* (b) *In Cosmopeja.* (c) *Hær.* 70.
(d) *Vide Petav. l.* 11. *c.* 1., *Thomassin. l.* 4. *c.* 1., *Tournel. q.* 5. *a.* 1. *con.* 2. (e) *Ap. Huet. q. Aln. n.* 11.
(f) *Ap. Lact. de ira Dei.* (g) *Ap. Clem. Alex.* 5. *Str.*
(h) *Ap. Aug. l.* 8. *C. D.* 9.

plicissimum dixere, & quovis corpore expertem. Mitto Proclum, Alcinoum, Apulejum, aliosque: ergo &c.

Prob. IV. ratione. Quovis corpore vel maximo aliud majus in infinitum fingi potest, & augeri in infinitum: sed nil est, aut fingi potest majus Deo: ergo &c. Ita S. P. serm. 14. II. Deus est ubique totus: sed qui membris constat non est ubique totus: ergo &c. Ita S. P. 7. conf. 7. III. Anima potentior est corpore: sed Deus longe potentior est anima: ergo multo potentior est corpore: ergo &c. Ita S. D. contra Epistolam Fund. 16.

Ob. I. Deuter. 4., & Hebr. 12. Deus dicitur *ignis consumens*: ergo est corpus. Genes. 1. dicitur homo factus *ad imaginem*, & *similitudinem* Dei: sed homo constat etiam corpore: ergo & Deus. Job. 10. exprimitur *manus Domini*. Is. 1. *Os*. Ps. 129. *Aures*. Exod. 33. *Oculi*. Ps. 127. *Dextera*. Genes. 8. *Olfactus*: ergo &c. ℞. Dist. ant. Dicitur ignis metaphorice, conc.; proprie, neg. Deus enim audientium infirmitati aptat sermones suos, ut docet S. P. ep. 148. ad Fort., ubi ait: *Ne quisquam secundum carnis formam nos crederet similes Deo, propterea scriptura & alas habere Deum dixit, quas nos non habemus: sicut ergo alas cum audimus protectionem intelligimus, sic cum audimus manus operationem, oculos visionem, qua cognoscit, faciem notitiam, qua innotescit, intelligere debemus.* Ignis ergo Deus dicitur ob iram adversus peccata. Imaginem Dei refert homo mente, non corpore, ut alibi dicemus. In brachio robur, in dextera potentia, & virtus innuitur. In digito summa facilitas exprimitur, atque artificium; nam perfectissima quæque summis digitis elaborantur. Auditus benevolentiam, & gratiam, odoratus delectationem & complacentiam, gustus, & tactus alacritatem, & operationem designat. Ubi nota, corpus nullibi absolute de Deo dici, sed tantum ubi de Christo sermo est: idque ob assumptam humanitatem, vel ad ostendendam ejusdem

dem cum Ecclesia unitatem. Ex quibus omnibus exponendis scripturæ tropis lata patet via (1)

CAPUT III.

De divinorum attributorum distinctione.

OBSERV. circa hanc distinctionem errasse XII. Ecclesiæ sæculo I. Gilbertum Porretanum Pictaviensem Episcopum, quem attributa a Deo ipso, non vero a se invicem, distinxisse, putant Vasquesius (*a*), Frassen (*b*), & L' Hermenier. At Petavius (*c*), Juenin, & Eminentissimus Gotti (*d*), etiam inter attributa realiter distinxisse opinantur. II. Gregorium Palamam, & Græcos quosdam monachos, qui increatum lumen reapse a Deo separabant. III. Abbatem Joachimum, qui divinam essentiam a personis realiter distinguere visus est. IV. denique Eunomianos, qui in oppositum errorem abiere, nullamque distinctionem, neque mentalem, inter essentiam divinam, & proprietates, sive absolutas, sive relativas, agnovere.

Verum inter hujusmodi errores mediant catholi-

(1) Quod prop. II. dictum est supra, Tertullianum ab errore Antropomorphitarum vix posse defendi; de hoc errore late accepto intelligi debet: quod nempe Tertullianus Deo corpus tribuit sui generis, idest tenuissimum ac subtilissimum. Antropomorphitæ enim proprie dicti, non quodcumque corpus, sed humana effigie donatumDeo tribuebant. Quam insaniam nullibi Tertullianus asseruit, licet enim *Deum corpus esse in sua effigie* expresse docuerit, negat tamen *dexteram*, *& oculos*, *& pedes*, quos in s. literis de Deo *legimus*, *humanis* comparari posse, *quia de appellatione sociantur*.

(a) *Disp.* 126. 6. 7. (b) *Tract.* 1. *disp.* 2. *a.* 2. (c) *L.* 1. c. 8. (d) *Q.* 4. *dub.* 1. *§.* 2.

corum ſententiæ: Scoti, qui eſſentiam ab attributis, & hæc a ſe invicem diſtinctione *reali*, non quidem *actuali*, ſed *formali*, ſecernit (1): Thomiſtarum, qui inter attributa virtualem diſtinctionem admittunt: Nominalium, ac præſertim Gregorii Ariminenſis, qui nullam in Deo diſtinctionem admittunt, niſi penes diverſa connotata. His prænotatis ſit

Propositio I. Gilbertus diſtinxit Deum ab eſſentia, perſonas a relationibus, & concreta ab abſtractis. An vero diſtinxerit proprietates ab invicem, non conſtat; ſed oppoſitum eſt probabilius.

Prob. I. ex Baronio (*a*), qui errores Gilberti recenſet in quatuor capita. I. eſt de diſtinctione Dei a natura divina. II. de diſtinctione proprietatum perſonalium a perſonis. III. quod perſonæ in nulla propoſitione poſſint prædicari. IV. quod divina natura non ſit increata; at de diſtinctione attributorum ab invicem ne verbum quidem. Prob. II. Ex Concilii Remenſis fidei profeſſione, in qua proſcribitur

(1) Quamvis Scoti diſcipuli inter diſtinctionem, ut vocant, *realem realem*, & *realem formalem*, maximum diſcrimen agnoſcant, neque ullam *realem* diſtinctionem admittant inter divina attributa, & eſſentiam, ſive inter ipſamet invicem attributa; quo fit ut a proſcripto Gilberti errore quam longe abſint; docent tamen, *formalitates* ſuas eſſe inter ſe *ante omnem intellectus operationem ex rei natura diſtinctas*, & deitatem, e. g., & paternitatem, juſtitiam, & miſericordiam varias eſſe ejuſdem divinæ naturæ *formalitates, ex natura rei*, non *realiter* quidem, ſed *formaliter* diſtinctas. Unde eorum *formalis* diſtinctio, *realis formalis* ab aliquibus appellatur. Siquidem inter *formalitates* & *formalitates*, non inter res & res locum habet.

(*a*) *Ad An.* 1147.

bitur realis diſtinctio inter Deum, & deitatem, tum inter perſonas, & relationes; at diſtinctionis proprietatum ab invicem non meminit. Reapſe Gilbertus in commentariis Boethii juſtitiam, ac ſapientiam Dei ab ejus eſſentia non ſecernit. Prob. III. ex S. Bernardo, qui Gilberti errorem profligavit, ex Gaufrido, & Othone Friſing., qui nuſquam hunc errorem Gilberto imputarunt: ergo &c.

Oppon. Juenin. Bernardus ſerm. 80. in Cant. narrat, Gilbertum docuiſſe, Deum eſſe bonum, juſtum &c. per formas a ſe invicem diſcrepantes: *Recedant*, inquit, *non dialectici, ſed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus eſt Deus, bonitatem, qua bonus, divinitatem, qua Deus eſt, Deum non eſſe diſputant.* Et Gaufridus in actis Rem. Conc. ait, Gilbertum docuiſſe, *quod divina eſſentia, ſapientia &c. non eſt Deus:* item quod *forma Dei eſt divinitas, qua Deus eſt, & ipſa non eſt Deus:* ergo &c.

℞. neg. conſ. Nam ex loc. cit. evincitur diſtinctio attributorum ab eſſentia, non a ſe invicem. Erravit ergo Gilbertus, quod attributa ab eſſentia, & hanc ſecerneret a Deo. Sed unum attributum ab alio, & ſingula diſtinxiſſe ab eſſentia, nec a Bernardo, nec a Gaufrido colligitur. Ille enim ait, bonitatem, ſapientiam, & deitatem, qua Deus eſt, Gilbertum a Deo ſecreviſſe. Hic vero ait, docuiſſe Gilbertum, ſapientiam, bonitatem, juſtitiam non eſſe Deum; non ait Gaufridus, Gilbertum docuiſſe, ſapientiam non eſſe juſtitiam &c. Deinde Bernardus Gilberto exprobrat quaternitatem, quod præter tres perſonas divinitatem a Deo ſecerneret: ſed ſi diſtinctionem inter attributa admiſiſſet, longe majorem numerum objeciſſet: ergo &c. Tandem S. Bernardus ſcribit ibidem, Gilbertum admiſiſſe magnitudinem, bonitatem &c. *unam eſſe tantummodo divinitatem, quæ omnia illa ſunt.* Vide Bernardum de conſid. c. 7.

Propositio II. Attributa Dei non diſtinguuntur,

tur, nisi penes diversa connotata, non intrinseca distinctione.

Not. I. Non negamus distinctionem rationis extrinsecam, idest diversas mentis perceptiones, quibus, ex. gr. substantiam a relationibus, aut misericordiam a justitia sejungimus. Admittitur enim a Florentina Synodo sess. 18., ubi Græcis non discrepantibus non statuitur, *substantiam, ac personam esse idem re, differre autem nostro intelligendi modo.* Admittitur etiam a Patribus contra Eunomium, qui ait, omnia Dei nomina eandem significationem habere, & sono tantum differre. Nusquam vero id negatur ab Ariminensi, quidquid Vasquesius, aliique contendant. Nam dist. 8. 2. 2. observat, quædam distingui ratione dupliciter. I. Quod ipsa sint per se rationes, & conceptus distincti. II. Quod eorum sint in mente nostra rationes, & conceptus diversi. Negat ergo Ariminensis distinctionem rationis primo modo, quia Dei perfectio non est mentis perceptio, sed res summa, & in se ab æterno subsistens. At distinctionem secundo modo pluribus demonstrat argumentis (a). Quorum præcipuum hoc est: Omnia nomina, quæ diversa connotant, aut significant, diversas habent rationes: sed hujusmodi sunt attributa Dei: ergo &c. Admittit itaque Ariminensis distinctionem rationis, ejusque sententia ab Eunomiano errore quam longe abest. Cum autem in attributis aliud sit, quod principaliter significatur, aliud quod connotatur extrinsece, (sic misericordia principaliter Deum miserentem significat, & hominem miserum extrinsece connotat) censet Ariminen., distinctionem attributorum non esse attendendam penes id, quod principaliter significat, sed penes extrinseca connotata. Ita ut justitia a misericordia secernatur, quod illa pœnam inflictam impio connotat, hæc vero collatum misero beneficium.

(a) *Ib. concl 2.*

Not. II. Hanc Ariminensis sententiam carpi ab aliquibus, sed plane injuria. I. enim cohæret cum doctrina Magistri, qui (a) docet, quod ubi ait: *Scriptura de operibus Dei, quædam esse misericordiæ, quædam vero justitiæ, non diversitas rei, sed varietas effectuum in creaturis monstratur.* Justitia ergo & misericordia in Deo sola effectuum connotatione secernitur per Magistrum, ut docet Ariminensis. II. Cohæret cum distinctione virtuali, quam Thomistæ, & Ægidiani propugnant, si tamen accipiatur infinita Dei virtus, ut omnes accipiunt, pro summa ac perfectissima re, simplicissima quidem, sed pluribus rebus distinctis æquivalente. Constat enim ex Aug. (b), *In Deo non distingui memoriam, intellectum, & dilectionem, sed unum esse, quod omnia valet.* Nullæ ergo ex parte objecti sunt in Deo rationes, quarum una, in esse cogniti, non sit altera, ut volunt Thomistæ: sed hæc rationum diversitas ex sola humana mente repetitur, neque nullum habet fundamentum in re, sed solum in effectibus, terminis, & connotatis. III. Denique ab Ariminensis sententia sic accepta nomine tantum differt distinctio *formalis* Scoti, & *intentionalis* Henrici, teste Suaresio, Gavardi, aliisque. Scotus enim dist. 2. q. 7. (c) distinctionem suam differentiam virtualem appellat. Nec *formalitatum* nomine rerum, aut accidentium varietatem significat, quæ in Deo nulla est, sed diversas rationes suis definitionibus notas, quas Henricus *intentionales*, Thomistæ *objectivas* dixere. Quæ si vera sunt, hoc magnum scholarum dissidium verborum erit, non rerum (d). His notatis,

Prob. propositio sic. Intrinseca distinctio, si qua esset, vel esset realis, vel formalis, aut virtualis, quæ fundamentum habet ex parte objecti (nam virtualem extrinsecam, & penes effectus non infi-

(a) *In* 4. *Sent. dist.* 46. (b) *L.* 15. *Trin. c.* 17.
(c) *In* 1. *Sent.* (d) *Vide Auctorem.*

ciamur) ſed inter Dei attributa, neque realis diſtinctio, neque formalis, neque virtualis intrinſeca intercedit: ergo ſola virtualis extrinſeca. Pr. I. pars min. I. ex Florentinæ Synodi ſeſſ. 18. ſup. cit. nec non ex Lateranenſis C. *Firmiter*, ubi definitur, omnia, quæ ſunt in Deo, unam eſſe ſubſtantiam, unam rem, unam naturam. II. ex Aug. qui 15. Trin. 5. ait: *Una eademque res dicitur, ſive dicatur æternus Deus, immortalis, ſapiens &c.* III. ratione. Omnis enim diſtinctio vel oritur a limitatione, ut in creaturis, vel a relationibus, ut in divinis perſonis: ſed inter attributa neutrum occurrit; non 1. quia ſunt infinita; non 2. quia non opponuntur: ergo &c. Prob. II. pars. PP. enim ſolam diſtinctionem rationis inter divina attributa agnovere: diſcrepant, ait Damaſcenus (a), Ἐπινοίαις λεπταῖς, *ſubtilibus cogitationibus*; ſive κατὰ τὸν ἐπινοίαν, *ſecundum rationem*, ut ſcribit Baſilius, cujus verba male exponunt Scotiſtæ de diſtinctione, quæ reali opponitur, ſed extra intellectum exiſtit; quis enim rationem extra mentem intelligit? Deinde Bernardi argumenta contra Gilbertum etiam Scoti formalitates evertunt. Hæ namque vel Deus ſunt, vel aliquid, quod non eſt Deus, vel nihil. Si primum: ergo a Deo non ſecernuntur; ſi ſecundum, erunt creatum aliquid, adeoque nec Deus; ſi nihil, ſtulte ergo de hihilo diſputatur.

Ajunt has formalitates eſſe divinam eſſentiam *realiter*, non *formaliter*: ſed hæc nimis videntur obſcura. Si enim quidquid eſt, vel Deus eſt, vel creatura, aut nihil, erunt hæ formalitates aut Deus, aut creatura, aut nihil: ergo hæc diſtinctio vel eſt Dei a creatura, aut nihilo; vel nihili a creatura; vel nihili a nihilo. Deinde Deus eſt, *quo nihil melius cogitari poteſt*, ait Bernardus 5. Con-

(a) *L. 4. de Fid. Orth. c. 3.*

Consid. 7.: ergo de ipso enunciari debet perfectissima simplicitas: atqui perfectior est, quæ rejicit distinctionem plurium formalitatum: ergo &c. Vide auctorem.

℣. Scotus, plures formalitates, cum non habeant rationem potentiæ, & actus, compositionem non efficere. Sic divinæ Personæ licet distinctæ, divinæ simplicitati non officiunt. Verum quidquid sit de compositione, certe unitas, ac simplicitas non salvatur, ubi plura a seipsis distincta constituuntur: nec est summe unum, quod non est actu, ac natura sua indivisibile. Exemplum SS. Trinitatis non est ad rem; ibi enim non est unitas, nisi ratione essentiæ, & attributorum, a quibus personæ formaliter non distinguuntur. Hinc Facultas Parisien., teste Gersone (a), hunc articulum proscripsit: *Quod aliquid sit Deus realiter, quod non sit formaliter Deus.* Quem tamen longe ante, idest an. 1276. Stephanus Episcopus Parisiensis damnaverat. Sed forte rigidius se gessit Parisiensis Academia, ne Gilberti hæresis resurgeret, quam tamen Scotistæ execrantur. Licet Petavius censeat, ab ea vel nihil, vel parum discrepare Scoti opinionem.

Prob. III. pars. Docent Thomistæ, divina attributa esse unum reipsa, sed plura *conceptibiliter*, idest Dei naturam, nedum ratione, sed natura sua, & ex parte objecti esse multipliciter perceptibilem, idque adeo clare, ut una perfectio non involvatur in alia: atqui in una, & eadem re indistincta stare nequit multiplex, & expressa cognoscibilitas: ergo &c. Prob. min. Sicut una est, & simplex veritas ejusdem indivisibilis entitatis, ita etiam ex parte objecti una, & simplex cognoscibilitas statui debet: ergo aut hæc cognoscibilitas non est clara, vel solum per extrinseca objecta, seu connotata distinguitur, ut docet Ariminensis. Deinde non

(a) *Ep. ad Fratr. Min. ann.* 1425.

non facile intelligitur, quomodo hæ rationes objectivæ per mentem diſtinguantur. Vel enim mens Dei attributa reapſe diſtinguit, vel ſola ratione: ſed primum Dei ſimplicitatem evertit, ſecundum in ſola mente diſtinctionem conſtituit: ergo &c. Tertio, vel Dei attributa diſtinguuntur ratione intrinſeca extra mentem, vel extrinſeca, & ſola ratione. Si primum, incides in diſtinctionem Scoti formalem. Sive enim dicas cum S. Th. (a) in Deo *inveniri diſtinctionem rationum*, quæ realiter in ipſo ſunt, ſive cum Scoto formalitates appelles, perinde eſt. Hinc Henno S. Thomam ſibi advocat in patrocinium. Si vero dicas Dei attributa ſola ratione extrinſeca ſecerni, nobiſcum, & cum Ariminen. convenies: ergo.

℞. Thomiſtæ, Dei attributa ſola quidem ratione diſtingui, ſed cum fundamento in re, infinita ſcilicet Dei perfectione, quæ pluribus reapſe diſtinctis æquivalet. Verum fundamentum diſtinguendi divina attributa inter ſe hoc unum agnoſcimus, quod cogitationes noſtræ modo Deum ſpectant ut eſt in ſe, modo ut refertur ad aliud. Attributa vero inter ſe diſtinguuntur, quia ad varios terminos comparantur. Fictitium eſt ergo fundamentum, quod in ſumma perfectione concipitur abſque reſpectu ad extrinſeca connotata. Nam ipſe Vaſqueſius (b) oſtendit ex S. Thoma, Dei attributa ſine reſpectu ad creaturas diſtingui non poſſe. Et Hugo Victorinus (c) ait, ſcientiam, ſapientiam &c. eſſe diverſa nomina, quæ *divina uſia propter varios effectus ſortitur*, qui diverſis cogitationibus noſtris ſuppeditant fundamentum. Stat ergo vi ſua Ariminen. doctrina firmiſſima.

Ob. I. Scotiſtæ. In Deo voluntas, & intellectus, bonitas, & juſtitia ante mentis operationem diſtinguuntur: ergo *formaliter*. Prob. antec. I. enim diverſas

(a) 1. *diſt.* 22. *q. un. a.* 3. (b) *Diſp.* 127. *c.* 3.
(c) *Q.* 215. *in Ep. ad Rom.*

versas habent definitiones: ergo & diversas formalitates, & naturas. II. Deus intelligit peccata, quæ non vult, & huic gratiam confert, illi negat: ergo differt intellectus a voluntate, justitia a misericordia, de quibus etiam contradictoria enunciantur. III. Filius per intellectum, Spiritus sanctus per voluntatem procedit: ergo intellectus a voluntate secernitur.

℟. neg. ant. Ad I. prob. neg. conf. Etenim definitiones non semper diversas naturas important; alioquin nedum *formaliter*, sed etiam *realiter* inter se divina attributa differrent. Ex diversis ergo definitionibus infertur tantum perceptionum distinctio, ut docent Magister (*a*), & Ægidius (*b*). Basilius etiam Ep. 80. ait, quod omnes Dei notiones, ac voces *nullum habent in rei subjectæ significatione discrimen.* Hinc S. P. 15. Trin. c. ult. asserit, quod cessabunt in patria, quæ nunc de Deo dicimus, quia *omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.* Ex quibus constat, rerum divinarum notiones ex variis effectibus provenire, ex quibus nunc Deum cognoscimus, tanquam *per speculum in ænigmate.*

Ad II. dist. conf. Differt relate ad effectus, & connotata, conc.; per se, neg. Voluntas enim & intellectus, miseratio, & justitia in Deo sunt unus, & idem Deus, prout vult, intelligit, miseretur &c. Unde S. P. A. l. 13. C. D. 13. *Essentia tua*, inquit, *est & vult; & voluntas tua scit, & vult incommutabiliter.* At relate ad effectus, & connotata, misericordia a justitia, intellectus a voluntate secernitur, siquidem misericordia parcit, justitia punit &c. Ut patet in Dei scientia; Deus enim unica intellectione omnia videt, tam præterita, quam futura, adeoque præscientia, & intellectio sunt unum quid, & idem, & tamen intellectio est præteritorum, quorum non est præscientia; hæc enim futura

(a) *In 4. Sent. d. 46.* (b) *In 1. d. 33.*

futura connotat, non præterita: ergo sola connotatio omnes illas contradictorias enunciationes exponit: ergo inutilis est *formalis* distinctio.

Ad III. neg. conf. Cur enim Spiritus sanctus non sit Filius, ut est Verbum, mysterium est, cujus nulla potest ratio assignari, nisi forte quod Verbum est Filius, quia ab uno, Spiritus sanctus est amor, quia a duobus procedit. Nec repugnat unum & idem diversa operari, sicuti eadem lux illuminat, & calefacit; eadem voluntas amat, & odit: ergo ab effectibus hæc diversitas repetenda est, non a *formalitatibus*, ut dictum est.

Ob. II. S. P. A. 6. Trin. 2. probat, duas personas non esse *aliquod majus*, quia non sunt *aliquod verius*; supponit ergo veritatem ab ejus magnitudine esse distinctam. II. L. 5. c. 5. docet, relationes a substantia distingui, quia non *omne, quod dicitur, secundum substantiam dicitur; dicitur enim ad aliquid*, ut *Pater ad Filium*. III. Libro 15. ait, omnes perfectiones divinas æquales esse: sed æqualitas intercedit inter extrema: ergo &c. IV. L. 3. c. Max. 10., ex quo plura attributa in Patre divinæ simplicitati non officiant, probat multo minus officere proprietates personales Patris, Filii, & Spiritus sancti. Sed hoc argumentum stultum esset, ait Frassen, nisi S. P. intrinsecam distinctionem admitteret; nam sensus esset: non officit Dei simplicitati distinctio rationis: ergo nec realis distinctio; admisit ergo S. P. distinctionem majorem, quam *rationis*, adeoque formalem. V. Damascenus l. 1. de Fid. orth. 41. ait: *Si dixeris bonum, justum &c. non naturam Dei dicis, sed quæ circa naturam*: ergo Damascenus bonitatem a natura secernit. Idem docent Nyssenus (a), Nazianzenus (b) &c.: ergo &c.

℟. Ad I. dist. conf. Supponit distinctas, prout sunt affectiones humanæ mentis, quæ ex variis Dei

(a) *Or. 12. c. Eun.* (b) *Or. 33.*

Dei effectibus plures haurit perceptiones conc.; prout sunt in Deo, nego. Deus ergo continet utique in se *eminenter*, & simplicissime omnem magnitudinem, & veritatem. Sicuti color flavus, & ruber non distinguuntur, prout sunt in luce, sed prout sunt corporum affectiones. Deus enim, teste Augustino, *multipliciter dicitur magnus, bonus &c., sed eadem magnitudo ejus, quæ bonitas, sapientia &c.*

Ad II. neg. ant. Non enim S. P. relationes a substantia secernit; ait enim ibidem, quod sicut *hoc illi* est esse, *quod Deum* esse, quod *magnum &c.*, *ita hoc* illi est esse, *quod personam esse:* sed essentia a divinitate non secernitur, imo nec ab *intellectualitate* per Scotum: ergo per Augustinum nec magnitudo a bonitate, nec essentia a persona secernitur. Certe non omnia Dei vocabula idem significant; substantia enim naturam significat prout est in se; Pater naturam eandem, prout connotat Filium: tota ergo distinctio est penes connotata, ac mentis nostræ cogitationes.

Ad III. dist. maj. Ait, æquales esse, idest unum quid & idem, conc.; idest similes, neg. Sæpe enim æqualitas pro unitate ab Augustino usurpatur. Quo sensu etiam Patres contra Arianos Filium vocant Patri æqualem, idest unum substantia cum Patre.

Ad IV. neg. min. Probat enim S. P. sapientiam, bonitatem &c. non esse partes divinitatis, quia per nos a divinitate non distinguuntur; ergo S. P. hæreticum jugulat verbis suis; dixerat enim, Deum esse bonum, sapientem, &c., nec tamen constare ex partibus, quia hæc omnia sunt una, & eadem simplex virtus: ergo, subdit S. P., nec personæ partes erunt, quia sunt eadem deitas individua. Ceterum si stultum esset laudatum Augustini argumentum, futile etiam hoc esset: attributa non habent rationem partis, quia formaliter distinguuntur, ergo nec personæ, quia distinguuntur realiter; non minus enim a distinctione formali ad rea-

realem, quam a virtuali extrinseca ad realem intrinsecam inepta est consecutio.

Ad V. neg. conf. Damascenus enim, aliique Patres docent, hæc nomina bonus, justus &c. non Dei naturam exprimere, sed quæ sunt circa naturam cogitatione nostra, non re. Nos enim divinas perfectiones percipimus, ut adventitias substantiæ, ut ait ibidem c. 11. Damascenus: *Quod ibi commune est & unum, cogitatione est distinctum.* Et S. P. 15. Trin. 5.: *Absit, ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, & bonus secundum qualitatem, sed utrumque secundum substantiam, sic omnia alia:* ergo &c.

Ob. III. Minor est distinctio inter bonum, & bonitatem divinam, quam inter bonitatem, & justitiam: sed inter illa datur distinctio rationis: ergo inter hæc erit formalis distinctio.

℟. dist. maj. Inter bonum &c. est distinctio minor intrinseca, nego; extrinseca, conc. Bonitas enim a bono cogitatione distinguitur. Concipitur enim bonitas instar qualitatis advenientis, & differt etiam cogitatione a justitia, quia concipitur ut qualitas connotans objectum diversum ab objecto justitiæ. Ceterum istæ propositiones, Deus est bonus bonitate, justus justitia &c. frugi theologo videntur indignæ: & melius dicitur, Deus est sapientia, justitia &c., vel Deus est sapiens sapientia, quæ ipse est &c., ut loquitur D. Bernardus (a)

Ob. IV. Sapientia in communi non est formaliter bonitas in communi: ergo infinita sapientia non est formaliter infinita bonitas. Ant. patet, alias sapientia creata dici posset *formaliter* bonitas creata, quod falsum est. Prob. conf. Nam finitum & creatum rationem formalem sapientiæ, aut bonitatis non evertit.

℟. I. cum Ariminensi retorquendo argumentum. Si sapientia infinita esset realiter bonitas infinita, sapientia in communi esset realiter bonitas in communi,

(a) *Serm. 8. in Cant.*

muni, adeoque bonitas creata esset realiter sapientia creata: atqui per Scotum sapientia in communi non est realiter bonitas in communi: ergo &c. Vide Gavard. q. 2. de Attr.

℟. II. neg. conf. Potest enim aliquod esse de ratione inferioris, quod non est de ratione superioris. Scotus enim docet, divinam essentiam esse vitam intellectualem, & tamen essentia in communi non est formaliter vita intellectualis. Hæc Gregorius. Ceterum sapientia, & bonitas in communi sunt mentis ideæ, & humanæ cogitationis figmenta, ex quibus fas non est argumentationes deducere ad rei veritatem demonstrandam.

Ob. V. Contra Ariminensis sententiam. I. enim hæc ipsa est Eunomii hæresis: ergo &c. Prob. ant. Docuit Eunomius, ex Basil. l. 7., divina attributa nomine tenus differre, & mera esse synonyma, ita ut, qui unum perciperet, omnia comprehenderet: atqui Ariminensis solam nominum differentiam agnoscit, quibus a parte rei significatæ una eademque notio respondet: ergo &c. II. Vel Gregorius idem significatum tribuit Dei nominibus, aut diversum. Si primum, cum Eunomio sentit; si secundum, admittat ergo differentiam intrinsecam ex parte rei significatæ, & cum Cyrillo (a) clamet: *Non omnia, quæ de Deo dicuntur, substantiam significant.* III. Nusquam Eunomius negavit distinctionem connotatorum; putavit enim ex creaturis se Deum perfecte comprehendere; at Patres aliam ab eo distinctionem exigebant, *formalem* nempe, vel rationis intrinsecam. Hinc Petavius censet, Nominales, qui *in Dei proprietatibus solum nominum discrimen agnoscunt*, ad Eunomii placita declinasse.

℟. Magnum esse discrimen inter Eunomii, & Gregorii sententiam; I. enim Eunomius docuit, omnia Dei nomina, licet sono diversa, eandem tamen

(a) C. 31. *Thes.*

men habere cum nomine *ingeniti* significationem, ut scribit Basilius l. 1. Gregorius contra docet, Dei attributa non esse synonyma, ut *Simon*, *Petrus*, *Cephas*, quæ nec diversa significant, nec consignificant: sed licet attributa Dei diversa non significent, tamen diversa consignificant; ut si dicam *Jonæ filius*, *princeps apostolorum*, *piscator*, significatur Petrus, & simul connotatur ejus relatio, munus, & præeminentia: ergo &c. Ita Gregorius d. 8. art. 4. II. Eunomius omnia attributa etiam remotissima permiscebat, ut si unum Dei nomen perciperet, totum se Deum sibi comprehendere videretur: at Gregorius ait, omnia attributa diversas esse mentis nostræ affectiones, quarum una Dei naturam in se non attingit, sed tantum respectum unius connotati: ergo &c. III. Eunomius docuit, omnia Dei nomina, licet ex diversis effectibus mutuata, eandem in nobis excitare divinæ naturæ notitiam: atqui Gregorius ait, hæc nomina signa esse diversarum cogitationum, quarum unaquæque est Deo longe impar; non enim Dei naturam attingit, sed vix unum, aut alterum ex pluribus terminis, quos consignificat: ergo &c.

His positis ℞. ad I. neg. ant.; non enim synonyma sunt, quæ varios effectus consignificant, licet in re subjecta nulla sit differentia (a). Ad II. dicimus, diversis nominibus diversam esse significationem, sed hæc inducit tantum differentiam rationum extrinsecam. Dei namque attributa, ex Cyrillo, non significant substantiam *in voce*, *modoque dicendi*; & Basilius ait (b), *nullum in rei subjectæ significatione habere discrimen*: ergo frustra ejus testimonia in nos urgent adversarii.

Ad III. ℞. in eo Eunomium errasse, quod crederet unius nominis notione divinam comprehendi naturam, cum per eam declaretur tantum, *quod quis animo complexus est*, *non Dei natura*, ait Nazianzenus

(a) *Vide sup. ad num.* 1. (b) *Loc. cit.*

zenus Or. 34. Censura Petavii, aut nostram sententiam non carpit, aut carpit ipsum Petavium, qui (a) ex Athanasio (b) probat, omnia, quæ de Deo dicuntur, non esse synonyma, quia rem eandem variis significationibus subjectam designant, ut cum dico: *Jonæ filius, princeps apostolorum, piscator:* sed hæc nomina diversam habent notionem, quia diversa connotant: ergo &c. (1).

PROPOSITIO III. Nulla intrinseca compositio in Deo est admittenda.

Sequitur ex dictis. Compositio enim est distinctorum unio: in Deo nulla est distinctio: ergo nec compositio.

Probatur. Si quæ esset in Deo compositio, ea vel ex corpore esset, & spiritu, vel ex substantia, & qualitatibus, vel ex natura, & personis, vel ex essentia, & existentia: non prima, quia Deus est expers corporis (c); non secunda, quia Deus non est justus, bonus &c. superaddita justitia, bonitate &c., sed ipse est sua bonitas &c.; non tertia, quia licet personæ divinæ inter se distinguantur, sunt tamen eadem divinitas, & substantia; non quarta, quia in Deo non est aliud esse, aliud existere: ergo &c. Hac in parte conveniunt theologi, discrepant tamen de compositione rationis, quam admittunt Nominales, & Ariminensis (d), sed rejiciunt alii communiter. Constat posse ratione nostra

(1) Hæc meminisse oportuit hujus ævi theologum alioquin doctissimum, qui eandem Petavii censuram contra Nominales novissime ingeminavit, ac si illa non esset jamdiu ab auctore nostro protrita, & in censorem ipsum intorta, atque Nominalium, præsertim vero Gregorii Ariminensis sententia, ab Eunomiano errore præclarissime vindicata.

(a) *Ibidem c. 11. n. 5.* (b) *In libr. Decr. Nic. Sin.*
(c) *Per Prop. 4. cap. 2.* (d) *D. 8. qu. 3.*

ſtra excogitari genus ſubſtantiæ Deo, & creaturis commune, ac de iis indiſcriminatim pronunciari. Eſt *enim Deus ſubſtantia*, ait S. P. 5. Trin. 2. *Genere ſummo continetur hæc corporis expers ſubſtantia*, ſubdit Damaſcenus 1. Inſt. 7. Si vero quæſtio ſit, num in Deo concipi poſſit genus aliquod *univoce*, ut ajunt, *per differentias contrahibile*, ideſt an ratio ſubſtantiæ per ſe Deo, & creaturis ex æquo conveniat, nego Deum ſub genere contineri. *Deus enim*, ex Clem. Alex. 5. Strom., *nec genus eſt, nec differentia, neque ſpecies, neque individuum.* Sanior proinde theologus, ſicuti Deum ſuam bonitatem, ſapientiam &c. pronunciat, ita ſuam eſſe ſubſtantiam, nec genere comprehendi, nec ſubjici prædicamento ſubſtantiæ aſſeverat, quæ ſunt, ut ait S. P. (a), *miſeriæ noſtræ figmenta.*

CAPUT IV.

De infinitate, immenſitate, atque immutabilitate Dei.

NOT. Comes divinæ ſimplicitatis infinitas eſt. Deus enim, ait S. Maximus (b), *ſimplex eſt, quia interminatus, interminatus, quia & infinitus.* Nam re ſimpliciſſima major excogitari non poteſt. Sit itaque

PROPOSITIO I. Deus eſt ſecundum eſſentiam ſuam infinitus.

Prob. I. Ex ſcripturis. Baruch 3. 25. *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus.* Pſ. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis:* ubi S. P. ait, *illius magnitudo ſine fine eſt.* Eadem habet auctor de div. Nom. (c), Nyſſenus (d), Damaſcenus (e) &c. Ex Ethnicis Anaxagoras ſtatuit mentem infinitam principium rerum omnium. Ariſtoteles ait, Deum ipſam continere infinitatem; Zeno, & Meliſſus interminatam perfectionem. Accedit ratio.

(a) 4. *Confeſſ.* 16. (b) *Ap. Eutym. P.* 1. *tit.* 2.
(c) *cap.* 9. (d) *Or.* 12. *c. Eunom.*
(e) *L.* 1. *de Fid. Orth.* 9.

tio. I. Nihil fingi poteſt Deo perfectius: ſed fingi poteſt aliquid perfectius ſapientia finita: ergo &c. II. Finitum vel a ſe, vel ab alio finem habet: ſed Deus non finitur a ſe, cum ſit perfectiſſimus, neque ab alio, cum a nullo dependeat: ergo &c. III. Deus res produxit ex nihilo: ſed ad hoc infinita potentia opus eſt, quæ infinitam eſſentiam ſupponit: ergo &c.

Ob. I. Infinitas enunciatur in Scripturis de jumentis, de divitiis, de ſceleribus, de populis: ſed hæc infinita non ſunt: ergo nec Deus.

℟. diſt. maj. Enunciatur improprie & *populariter*, quo ſenſu res plurimas infinitas dicimus, ut ſtellas, & militum copias, conc.; proprie & abſolute, neg. nam præter jumenta, & populos ibi memoratos, aliæ gentes &c. numerantur. Deus vero abſolute magnus dicitur, nec *habens finem*; qui eſt *ſuper omnes, & per omnia &c.* ut habetur Epheſ. 4.

Ob. II. Corpus infinitum omne aliud corpus excludit: ergo ſi Dei ſubſtantia eſſet infinita, nulla eſſet alia ſubſtantia: ſed falſum conſ. ergo & ant.

℟. diſt. ant. Excludit ratione infinitatis, neg.; ratione impenetrabilitatis, tranſmitto ant.; poſſet enim in aliquorum ſententia impenetrabilitate corpus exui, & in eodem loco alia corpora compati. Deus autem, cum ſit puriſſimus ſpiritus, nil obſtat, quominus omnia in eo vivant, moveantur, & ſint.

Propositio II. Deus immenſitate ſua eſt ubique.

Not. Worſtius Calviniſta, Wolzogenius, aliique Sociniani autumarunt, Deum proprie, & quoad eſſentiam, ſummum cælum inhabitare, unde ejus vis, & potentia in creaturas dimanat. Quo in luto etiam Eugubinus, & Eraſmus hæſiſſe aliquibus viſi ſunt. Sed illum excuſari poſſe cenſet Petavius. Hic vero ridet ſolum quorundam logomachias, qui diſputant, an Deus ſit diffuſus in ſpatiis imaginariis &c. Alii in Olympi receſſu cum ethnicis, vel

inter septa Jerosolymitani templi cum Hebræis Deum coarctarunt. Sed contra hos nostra propositio.

Prob. I. Scripturis. Josue 2. *Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.* Ps. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Jerem. 23. *Cælum, & terram ego impleo.* Bar. 3. *Magnus est, excelsus, & immensus.* Quæ loca frustra accipiunt de vi, & efficacia Dei Crellius, & Wolzogenius. Cum enim Deus sit simplicissimus, a sua operatione non secernitur, unde si ubique operatur, ubique est Dei substantia. Hic obiter nota, D. Thomæ, & Ægidii sententiam, qui ex Dei operatione ejus præsentiam invictissime evinci putant, aptiorem esse revincendis Socinianis, quam Scoti opinionem, qui ex ea inefficaciter evinci contendit. Opus est autem, ut divina operatio infinitam virtutem præseferat, ut creatio, miraculum &c. tunc enim recte arguitur: Deus ubique operatur: ergo est ubique præsens substantia, quæ ab operatione non secernitur. Ex eo tamen non fit, Scoti opinionem esse hæresi proximam ob locum Apostoli Act. 17. *in ipso vivimus &c.*; nam his verbis non respexit Apostolus ad scholarum disputationes, sed solum innuit, Deum non esse ita dissitum, quin possit a nobis intelligi, adeoque perperam Atheniensis aram *Ignoto Deo* excitasse. Hanc plurali numero inscriptam, nempe ΑΓΝΩΣΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, *Ignotis Diis*, censet Erasmus, Meursius, Sponius &c. Sed præter aras a laud. scriptoribus recensitas, constat ex Laertio plures extitisse aras singulari numero inscriptas. Hinc Philopater jurat per *Deum ignotum*, quem Athenis se adorasse testatur.

Prob. II. ex Patribus. Arnobius contra Gent. 6. ait: *Est proprium Deorum complere omnia, non partialiter uspiam, sed ubique esse totos.* Cyrillus Cat. 6. *A nullo circumscriptus, unus est ubique præsens.* Hilarius l. ad Const. *Ubique est, & totus ubique.* S. P. A. Ep. 57. *Fatendum est, ubique esse Deum per divinitatis præsentiam.*

Prob.

Prob. III. Ethnici Zeno (*a*), Proclus (*b*), Empedocles (*c*), Seneca (*d*), Dio Chr. (*e*), & celeberrimum oraculum apud Porphyrium: πάντα θεȢ πλήρη &c. *Omnia plena Deo, Deus extat ubique*: propositionem nostram confirmant.

Prob. IV. ratione. I. Quia Deus est infinitus, nequit ulla perfectione limitari: ergo nec loco circumscribi. II. Ubi potestas Dei est, ibi est substantia: sed illa est ubique: ergo & ista. Primum argumentum est Basilii (*f*), secundum Anselmi (*g*), utrumque Augustini (*h*).

Ob. I. Genes. 6. *Cain egressus est a facie Domini.* II. Genes. 25. 22. *Rebecca perrexit, ut consuleret Dominum.* III. Regum 1. & 2. Deus habitasse legitur in *Silo*, in *templo*, in *tabernaculo*, in *tentoriis* &c. ergo non est ubique. IV. Sæpe etiam descendisse legimus, ambulasse, recessisse ab impiis, mansisse apud justos &c. sed hæc Dei immensitati repugnant: ergo &c.

℞. Ad I. dist. ant. Egressus est a facie, idest a loco, ubi apparuerat ei Dominus, conc.; a Dei præsentia, nego. Ad II. dist. ant. *Perrexit* &c., idest in remotum cubiculum, ut oraret, conc.; ut Deum absentem inveniret, nego. Si dicas cum Rabbinis, Rebeccam consuluisse Abraham, quem Dominum vocat ob reverentiam, evanescit argumentum (1). Ad III. dist. ant. Deus habitavit in Silo

(1) Hoc tamen Rabbinicum commentum est; constat enim ex v. 8. præc. Abrahamum tum temporis e vita jamdiu excessisse. Rebeccæ item respondit Dominus; *Duæ gentes sunt in utero tuo.* Sed hoc non ab Heber, aut Abraham, sed *ex vocante*

(a) *Ap. Laert.* (b) *in Tim.*
(c) *Ap. Huet. l. 2. q. Aln. 7.* (d) *Ep.* 41.
(e) *Ap. Grot. in 17. Act.* (f) *Contra Eun.* 5.
(g) *De Incarn. c.* 4. (h) *Ep. 70. ad Dardan.*

lo &c., per gratiarum largitionem, con.; per *præſentiam divinitatis*, ut ait S. P. ep. 57., nego. Per hanc *fatendum eſt, Deum eſſe ubique: ſed non ubique per habitationis gratiam.* Ad IV. diſt. ant. Dicitur deſcendiſſe metaphorice, conc.; proprie, nego. *Dicitur* ergo Deus *deſcendiſſe ad opem*, ut cum filiis Jacob in Ægypto, vel *ad opus* præter uſitatum naturæ curſum, vel ad pœnam ſuperborum, ut ad turrim Babelis &c. Dicitur *receſſiſſe* ab impiis, ſubtrahendo gratiam, *manſiſſe* apud juſtos, vel impertiendo gratiam, vel augendo caritatem &c.

Ob. II. Matth. 5. 16. dicitur Deus in cælis eſſe. Hinc vetus Hebræorum traditio cælum dividit in aerem, firmamentum, & remotiſſimum locum, ubi Deus, & angeli manent. Hinc Pauli raptus ad tertium cælum. Pſ. etiam 113. *Cælum cæli* ſupremam cæli partem deſignat. Sic Deus Deorum ſignificat Deum altiſſimum, qui potentia ubique, præſentia vero in loco altiſſimo, & abditiſſimo commoratur. Hæc Wolzogenius.

℟. diſt. ant. Deus eſt in cælo *ſpecialiter*, conc.; *abſolute*, nego: dicitur ergo Deus in cælo eſſe, quia ibi faciem ſuam oſtendit, ibique laudatur, & regnat. Ita S. P. A. (*a*), quem ſequitur Brentius, Glaſſius, aliique hæretici. Addit Wolzogenius (*b*), templum dici Dei locum ratione *ſpecialis* providentiæ; ſicut ergo hæc non excludit *univerſalem*, ſic ſpecialis Dei præſentia in templo non excludit ejus *omnipræſentiam. Cælum cæli* ſupremum gloriæ ſolium innuere concedimus Wolzogenio, non quo *premat veſtigiis Eridanum*, ut lepide canit Aratus, ſed ut regnum donet electis.

Ob.

---

cante dictum eſt, ut docet Apoſtolus Rom. 9. 11.: ergo Rebecca Deum ipſum conſuluit.

(a) 2. *Trin.* 5. (b) *In* 6. *Matth.*

Ob. III. Indignus eſt Dei majeſtate locus infimus, & ſordidus: ergo ibi ſaltem non eſt Deus.

℟. neg. ant. Non enim magis indigna Deo ſunt hæc loca, quam ſolis luce ſterquilinium, aut anima corpus leproſum; ſicut ergo neuter ibi inficitur, ita nec Deus.

Ob. IV. Patres fatentur Deum nuſpiam eſſe: ergo &c. ℟. diſt. ant. Nuſpiam eſſe ſpatio circumſcriptum, conc.; per præſentiam divinitatis, nego. Deus enim, ut ait S. P. Aug. (a), omnia loca continet, non ab iis continetur. Huc ſpectat controverſia de ſpatiis imaginariis, de qua conſulendi ſunt Rainaudus (b), Suareſius (c), Gibbon (d), qui hæc ſpatia admittunt: Scotus, D. Thomas, Ægidius, aliique, qui rejiciunt. Si quæras ergo quid faciebat Deus antequam mundus fieret? ℟. S. P. l. 11. C. D. 15. *Non erat tunc, ubi non erat tempus.* Si quæras ubi erat? ℟. *Non erat ubi, ubi non erat locus. Si dicas antequam faceret cælum, & terram, ubi habitabat?* ℟. *In ſe habitabat, apud ſe habitabat, & apud ſe eſt Deus.* Idem de mundo antequam fieret & de ſpatiis imaginariis dicendum eſt.

Propositio III. Deus eſt omnino immutabilis.

Prob. ſcripturis. Malach. 3. 6. habetur: *Ego Dominus, & non mutor.* Sap. 7. *In ſe permanens omnia innovat.* Num. 23. *Non eſt Deus ut filius hominis, ut mutetur.* Jac. 1. 17. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*; ideſt neque ortus, neque occaſus, neque umbra, ut in ſole accidit, unde Jacobus metaphoram ſumit. Vide auctorem hunc locum erudite exponentem.

Prob. II. ex Patribus, & philoſophis. Chyſoſtomus ait: *Immobilem Deus habet naturam.* Cyrillus; *Semper eodem modo ſe habet.* S. P. Auguſt., *Eſt bonum incommutabile.* Plura Platonis, Alcinoi, Hieroclis,

(a) *Serm.* 113. *in Pſ.* (b) *Th. Nat. diſp.* 8.
(c) *Diſp.* 30. *Metaph.* (d) *Diſp.* 10. *dub.* 2.

roclis, Cleantis, ac Numæ loca vide apud Huetium (*a*), Petavium (*b*), & Thomaſſinum (*c*).

Prob. III. rationibus Auguſtini. I. Creatura eo minus mutabilis eſt, quo perfectior eſt: atqui Deus eſt perfectiſſimus: ergo eſt immutabilis (*d*). II. Mutatio facit non eſſe, quod erat: ſed in Deo, cum ſit ipſum eſſe, nequit non eſſe, quod erat: ergo &c. (*e*). III. Summum bonum non tranſit de meliori in deterius, aut viciſſim: ergo nequit mutari (*f*). IV. In Deo nec fuit, quod non eſt, nec erit, quod non fuit: ergo in Deo nulla eſt mutatio, neque ſubſtantialis, neque accidentalis (*g*).

Ob. I. Geneſ. 6. habetur Deum pœnituiſſe, *Quod hominem feciſſet: & tactus dolore cordis intrinſecus,* ait *delebo hominem.* Poſtea facti pœnitens, addit: *Nequaquam ultra maledicam terræ,* 8. Geneſ. 21. Et Pſ. 105. habetur: *Iratus eſt furore Dominus.* Iſ. 63. *Afflixerunt ſpiritum ſancti ejus:* ergo eſt in Deo pœnitudo, ira, triſtitia &c., nec eſt proinde immutabilis.

℟. diſt. conſ. Eſt in Deo pœnitudo, proprie, neg.; improprie, conc. Nam *Dei pœnitentia*, ait S. P. 12. C. D. 7., non eſt per errorem, *ſed mutatio rerum ſignificatur immutabili manente præſcientia divina:* eſtque aut ſignum inflictionis pœnæ, aut divinæ miſerationis. *Cum Deus iraſci dicitur,* ſubdit S. P. Ench. 33. *non ejus ſignificatur perturbatio, ſed vindicta ejus, quæ juſta eſt, iræ nomen accepit.* Afflictio vero execrationem impietatis, ut zelotypia honoris curam ſignificat.

Dices. Licet in Deo non ſit perturbatio, cum pœnitet, aut iraſcitur &c. eſt tamen animi motus. *Stupidiſſimus enim ſit, qui non offenditur facto, quod non amat fieri,* ait Tertullianus 1. contra Marc. 26. ergo &c.

(a) 2. *Q. Al. c.* 8. 9. 10. 11. (b) *L.* 8. *c.* 1. & 2.
(c) *L.* 5. *c.* 8. (d) 7. *Conf.* 17. (e) *L. de Nat. B.* 19.
(f) 7. *Confeſſ.* 4. (g) *Vide l.* 8. *Gen. ad lit.* 19.

℟. neg. ant. Etenim *quando Deum pœnitet, non movetur, & mutat; quando irascitur, non movetur, & vindicat; quando miseretur, non dolet, & liberat; quando zelat, non cruciatur, & cruciat*, ait sanctus Pater Augustinus l. 1. contra Adim. c. 20. Ad Tertullianum ℟. Pamelius, animi motum improprie, & ligno tenus Deo tribui, non proprie. Adversatur tamen Petavius. Sed parum refert quid senserit Tertullianus, reclamantibus Patribus universis.

Ob. II. Deus, mutato consilio, quos voluit salvos, damnat ob crimina: ergo hæc Deum mutant.

℟. dist. ant. Damnat, quos voluit salvos, ipsis volentibus, conc.; reluctantibus gratiæ, neg. *Numquid aspernanti, fugientique infundenda est gratia?* ait Arnobius contra Gent. Sed de hoc argumento alibi.

Ob. III. Ante mundum Deus non erat creator, Dominus &c. atqui ei ab orbe condito hæ denominationes accessere: ergo tunc mutatus est.

℟. dist. min. Ei accessere denominationes intrinsecæ, & absolutæ, neg.; connotativæ, & extrinsecæ, conc. In iis enim, quæ connotative dicuntur, ut nova accedat denominatio, sat est si solus terminus immutetur, ut patet in relativis, & in ipso numismate, qui absque ulla sui mutatione fit arrha vel pretium.

Dices. Hæc denominatio Deo accessit ratione creationis, quæ Dei operatio est: sed hæc operatio in tempore facta est: ergo in tempore Deo advenit, quod ab æterno non habuit.

℟. dist. min. Facta est in tempore connotative, & relate ad creaturas, conc.; ex parte creatoris, neg. Sicut enim opus fit in tempore ab æterno consilio, ita fit in tempore ab immutabili operatione: ergo mutabilitas tota repetenda est a re, quæ perficitur *a*. (1)

 CA-

(1) Unus restat scrupulus circa legem Mosaicam,

(a) *Vide Auctorem, & August. l. 12. C. D. 7.*

CAPUT V.

De aeternitate Dei.

Æternitas a Boethio definitur: *Tota ſimul, ac perfecta interminabilis vitæ poſſeſſio*, ideſt duratio permanens, non ſucceſſiva, in ſubſtantia ſpiritali,

---

cam, quam Deus non ſolum revocavit, ſed etiam, promulgato evangelio, decrevit eſſe mortiferam: ergo Deus mutatus eſt.

℟. neg. conſ. In ea quippe legis abrogatione rerum externarum mutatio evenit, non divinæ voluntatis. Sicut enim rex non dicitur immutatus, ex quo plura, quæ urgente bello ad tempus decreverat, pace redeunte abrogare conſtituit; ita Deus, qui legem veterem Hebræis dedit, non perpetuo ſervandam, ſed uſque ad temporis plenitudinem, & uno, eodemque ſuæ voluntatis actu novam legem veteri ſubrogare decrevit, immutatus dici non debet. Conſtat aliunde ex ſacris literis, Hebræis, utpote imperfectis, *præcepta non bona*, ideſt non omnino perfecta, a Deo data eſſe: potuit ergo lex vetus meliore commutari. Par ſiquidem fuit (ait Grotius l. 5. de Verit. &c. §. 6.) in illo ſtatu quædam diſſimulari ad perfectiorem regulam reducenda, quando majore vi ſpiritus populum unum ex cunctis gentibus ſibi Deus collecturus erat. Hac ſane œconomia Paulus cum ſuis Corinthiis uſus eſt, queis *lac, non eſcam* propinaſſe ſcribit 1. Cor. 3. eo quod *adhuc carnales eſſent:* ſicut ergo in Paulo prudentiam, non mutationem agnoſcimus; ita in Deo ſummam ſapientiam, non vero inconſtantiam, aut mutationem arguere debemus.

Dices. Statuerat Deus, legem Hebræorum fore *ſempiternam:* ergo illa ceſſante mutatus eſt.

℟. diſt. ant. Sempiternam, ideſt diu permanſuram, conc.; ideſt nunquam finituram, neg. Sicut enim jus *perpetuum,*

tali, ac vivente. Nam vera æternitas duas habet dotes. Prima eſt principio, ac fine carere, ſecunda ſucceſſionem excludere, quo ſenſu ſoli Deo convenit, qui ſolus ΑΙΩΝ dici poteſt, quaſi ἀεὶ ὢν *ſemper ens*: licet non deſint etiam ex Platonicis, ut Hermogenes &c. qui mundum, aut materiam æternam invexere. Sed de his alibi.

Not. I. circa an. Chriſti 120. Valentinum, quem Epiphanius Phrebenitem appellat, Æonas quoſdam Heſiodeo more invexiſſe, quos in ogdoades, decades, & duodecades partitus, ad 30. produxit. In ogdoade primum locum habet Deus Æonum princeps, quem vocat, *Ante principium*, *Ante patrem*, *& Fundum*, græce *Bython*, cui *Enniam*, ideſt *Mentem*, *Silentium*, *& Gratiam* conjugem fecit. Hæc a Bytho gravida *Mentem*, *& Veritatem* enixa eſt: unde procreati ſunt *Verbum*, & *Vita*, & ab his *Homo*, & *Eccleſia*. In hac prima ogdoade prima tetras, nempe *Bythos*, *Ennia*, *Nous*, & *Alethia*, aliam peperit, nimirum *Verbum*, *Vitam*, *Hominem*, & *Eccleſiam*. Ab hac vero tetrade orta eſt decas, & dodecas Æonum, illa a

---

tuum, & ſervitus *perpetua*, in veteri lege, non æternum jus, aut nunquam finituram ſervitutem deſignat, ſed longam, hoc eſt de jubilæo in jubilæum, quinquaginta annorum ſpatio comprehenſam; ita lex *ſempiterna* non æternam, aut nunquam abrogandam ſignificat, ſed pluribus annis, generationibus, aut ſæculis duraturam. Utuntur hac phraſi etiam principes in ſuis ſanctionibus, atque decretis, quæ tamen, ubi neceſſitas exigit, aut bonum publicum, revocare non dubitant. *Sic & Dei præcepta*, ait Grotius ibidem, *alia erant temporaria, quamdiu in deſertis locis ageret populus, alia adſtricta habitationi terræ Chanaan. Ab his ergo ut illa diſtinguat*, perpetua *vocat, quo intelligi poſſit, non debere ea uſquam intermitti, niſi Deus contrariæ voluntatis daret ſignificationem.*

Verbo, & *Vita*, hæc ab *Homine*, & *Ecclesia*. Filios *Sermonis*, & *Vitæ* decem posuit, qui sunt *Profundum*, *Mixtio*, *Non senescens*, *Unio*, *Persenascens*, *Voluptas*, *Immobilis*, *Concretio*, *Unigenitus*, & *Beata*. Progeniti ab *Homine*, & *Ecclesia* sunt 12. nempe *Consolator*, *Fides*, *Paternus*, *Spes*, *Maternus*, *Caritas*, *Sempermens*, *Prudentia*, *Ecclesiasticus*, *Felicitas*, *Voluntarius*, *Sapientia*. Hos 30. Æonas complectitur Valentinianum *Pleroma*, seu plenitudo, de quibus vide Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Alexandrum (*a*), Massuetum (*b*) &c.

Not. II. In monte Atho extitisse monachorum conventum (*Quiescentes* dicebantur), qui divinum lumen se conspicere jactitabant, ab æterno a divinitate diffusum, quale Christo in monte Thabor affulsit. Horum insaniam detexit & refutavit contra Gregorium Palamam primum illius instituti professorem, Barlaamus quidam Calaber, qui cum *Quiescentibus* fuerat aliquandiu versatus. Is ex Italia Constantinopolim venit circa an. 1328. habuitque adjutores Gregorium Acindinum, & Jo. Chrysoloram, quem nonnulli perperam scribunt illum fuisse, qui Venetiis, Florentiæ, Romæ, & alibi græcas literas docuit. Is enim an. 1415. obiit in Concilio Constantinopolitano. Hæc autem contentio accidit Andronico imperante, qui obiit an. 1341. annis 75. ante hujus obitum. Adde illum Joannem, hunc vero Emmanuelem fuisse appellatum. Vid. Petav. l. 1. c. 12.

Not. III. Palamitarum deliriis affinem fuisse Augustinum Steuchum, scribunt Petavius (*c*), & Possevinus (*d*), sed plane injuria. Licet enim ille cælum empyreum, & cælestis regni claritatem increatam, & a divinitate emanantem, haud scite appellarit, ait tamen hanc lucem, & regnum eandem esse

(a) *Sæc.* 2. *c.* 2. (b) *Diss.* 1. *art.* 1.
(c) *L.* 3. *c.* 5. *n.* 3. (d) *In Appar. p.* 147.

esse divinitatem, *eamque a Patre inhabitari, nimirum a se ipso manantem, non alienam a se* (a). Vocat etiam hanc lucem, & regnum *increatum, incorruptibile, immutabile* &c.: ergo non censet Eugubinus, hanc lucem a Deo emanare in sensu Palamitarum, sed sicut attributa a Dei substantia dimanant, quæ per mentem, non realiter distinguuntur (b). His notatis sit

Propositio I. Deus est æternus; nullaque creatura potest ejus æternitate potiri (1).

Prob.

(1) Mundum, & creaturas non esse æternas, sed in tempore a Deo O. M. ex nihilo productas, constat ex 1. Genes. 1. *In principio &c.* Non desunt tamen, qui cum Isaacio Beausobre in Hist. Manich. hebraicam vocem ברא *bara*, & græcam ἐποίησε, *creavit*, significare putent solam productionem rerum, non vero creationem ex nihilo; sic enim locum illum exponunt, præter Clericum, & Drusium, Richardus Simonius, & ipse Petavius &c. Reapse ברא v. 21. & 22. tam de ceti, quam de hominis productione effertur, licet ille ex aqua, iste de limo terræ productus sit. Ἐποίησεν quoque sonat *fecit, creavit, produxit &c.* at non exclusa materia. Nam de Deo, & creaturis promiscue enunciatur, queis creatio ex nihilo convenire non potest. Hæc & alia plura Beausobrius loc. cit. Quæ tamen a communi sententia nos removere non debent, quæ non ex sola gramaticali significatione illorum verborum, sed ex ipso contextu creationem rerum ex nihilo perspicue demonstrat. Constat enim ex 1. Genes. Deum creasse cælum, & terram, & hanc fuisse *inanem, & vacuam,* quam poetæ *molem indigestam,* & *chaos*, philosophi *materiam* dixere. Cum ergo *terra inanis, & vacua* a Deo

(a) *L. de Reb. incorp. & inv.*
(b) *Vide Auctorem.*

Prob. prima pars ſcripturis. Deuter. 34. *Vivo ego in æternum.* Prov. 9. *Dominus in æternum manet.* Dan. 7. *Poteſtas ejus æterna.* Hebr. 1. *Ipſi peribunt, tu autem permanes* &c. Ubi nota, Deo tribui annos, ſæculum, & hebraicum עולם, *holam*, ſed quadam emphaſi, qua ſane creaturis non tribuitur. Dicitur enim Pſ. 89. *Anni tui non deficient; a ſæculo uſque in ſæculum tu es Deus:* quod de annis, & ſæculis creaturæ non dicitur.

Prob. II. ex Patribus. Tertullianus contra Marc. 2. *Viva divinitas*, ait, *nec de novitate, nec de vetuſtate cenſetur. Deus ſi eſt, vetus non erit; ſi novus, non fuit.* Nazianzenus Or. 88. *Deus, & erat ſemper, & eſt, & erit, vel ſemper eſt.* Accedunt Socrates, Plato, Parmenides, Euripides, Thales, qui Deumdefinit: *qui caret principio, et fine, omnium antiquiſſimum, et ingenitum:* ergo &c.

Prob. III. rationibus Auguſtini. I. Deus eſt immobilis: ergo eſt æternus. Prob. conſ. Si enim habet principium, mutatur de non eſſe ad eſſe, ſi finem,

---

a Deo creata ſit, creatum quoque eſt *chaos*, creata eſt *moles informis*, & *chaos* ipſum: ergo ex nihilo omnia produxit Deus. Hinc S. P. l. 1. de Gen. ait: *Prima materia facta eſt confuſa, & informis, quod credo a Græcis chaos appellari; legimus enim, feciſti mundum de materia informi, quod alii codices habent de materia inviſa*, Sapient. 11. 18. Ceterum non deſunt hebraicæ linguæ peritiſſimi, qui ברא productionem rei ex nihilo ſignificare contendunt, non vero materia informi formam addere. Dum tamen de Deo loquimur, recte idem verbum etiam de rebus ex materia productis uſurpatur; materia enim exigitur non *indigentia operantis*, nempe Dei, ſed *operis*, ſive rei corporeæ *indigentia*, ut peracute, & vere loquuntur Ægidiani. Vide auctorem in ſchol. cap. 6. l. 2.

nem, de esse ad non esse: ergo &c. (*a*). II. Nullo intervallo Dei immensitas circumscribitur: ergo nec ullo tempore æternitas (*b*). III. Anima adhærens terminabili bono dolet, timet, optat: ergo solus Deus est interminabile bonum, & ejus plena felicitas (*c*). Vide, quæ diximus de aliis attributis.

Prob. secunda pars. Æternitas Dei est interminabilis vita, quoad existentiam, & operationem immutabilis: sed creatura est mutabilis: ergo &c. Quare licet mundus non habuisset initium, non tamen esset æternus, ut observat Boethius (*d*), quia esset mutabilis. Hoc sensu sancti Patres animam nostram vocant aliquando mortalem; licet enim interire non possit, tamen in cupiditatibus suis sæpe mutatur, & Paulus soli Deo tribuit immortalitatem, incommutabilem nempe, & a se, non aliunde mutuatam. Cum ergo æternitas dicitur durationis mensura, de impropria mensura dicitur; non enim duratio ab æternitate, aut hæc a Dei substantia secernitur. *Nec aliud anni Dei, aliud ipse*, ait S. P. Ps. 101. *sed anni Dei æternitas Dei est, æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile.*

Propositio II. Valentiniana Æonum fabula merito exploditur.

Prob. I. Valentini Æones originem habuere, aut ab Hebræorum Kabalis, ut placet Buddeo (*e*), & Glassio (*f*); vel ex Chaldæorum theologia, aut Pythagorica quaternatione, ut putat Massuetus (*g*). Sed I. est elementaris scripturæ expositio, literarum, aut numerorum pro lubitu permutatio inconstans, & sæpe superstitiosa: II. & III. ex idololatria ortum habent: ergo &c. II. Æones vel sunt Dei affectiones, ab essentia distinctæ, aut personæ divi-

(a) *Ita S. P. l. de Nat. B.* 39.
(b) 8. *de Gen. ad lit.* 26. (c) 4. *Conf.* 10.
(d) *L.* 5. *Cons. Pros.* 6. (e) *Dissert. de Hær. Valent.*
(f) *De post Kab. membr.* (g) *Diss.* 1. *p.* 20. *& seq.*

divinitatis, ut vult Ptolomæus (a): Non primum, quia Deus immutabilis non ſubjicitur affectionibus adventitiis: Non ſecundum, quia inter Æones ſolus *Nous* eſt præſtantiſſimus, totamque *Bythi* magnitudinem complectitur. Perſonæ autem æqualem habent ejuſdem divinitatis perfectionem: opus eſt ergo, ut omnes Æones ſint procreati: ergo nullus erit *Immobilis*, *Sempermens*, *Perſenaſcens* &c. III. Æones vel ſpiritales ſunt, vel corporei: ſi hoc, non ergo ſpectant ad *Pleroma* intelligibilium; ſi illud, quomodo eſt inter Æones *Concretio*, *Mixtio*, *Unio*: vel ſine corpore ſexuum diſtinctio, connubia, generationes &c.? IV. *Achamoth* hebraicum, & *Sophia* græcum eandem ſapientiam ſignificant: cur ergo illud extra *Pleroma* collocatur? *Veritas*, *Sermo*, *Prudentia* ad unum intellectum ſpectant; *Fides*, *Spes*, *Charitas* virtutes ſunt: cur ergo ſinguntur Æones? aut ab iiſdem parentibus non gignuntur? (b): ergo &c.

Ob. I. Hebr. 12. ait Apoſtolus: *per quem fecit et ſæcula*, græce, τὰς αἰῶνας. Et c. 11., ubi Vulgata habet: *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei*: græca legit: *Æones aptatos eſſe ſermone Dei, ut ex non apparentibus viſibilia fierent*: ergo Æones ex *Mente*, & *verbo* geniti ſunt, ut corporalia conderentur, juxta ideam Æonum inviſibilium. II. Nyſſenus c. Eunom. 1 ait: *Sæculi conditorem Æonas, et qui in eis eſt locum antea conſtituiſſe, in iis vero omnia deinceps procreaſſe*: ergo &c. III. Prob. ratione numerica: nam 30. Æones in annis Chriſti, 12. in numero Apoſtolorum deſignantur, quorum duodecimus Judas proditor *Sophiam* invidam, & e ſuo loco dejectam præfigurabat: ergo Scripturis, PP., & Kabalæ cohæret Valentini ſyſtema.

℞. neg. conſ. I. enim Apoſtoli locus metonymice accipiendus eſt pro rebus corporeis, quæ tempori,

(a) *Ap. Tert. l.* 14. *c. Valent.*
(b) *Vide Auctorem fuſius ea de re differentem.*

pori, & ætati ſubjiciuntur, ut docet Damaſcenus (a). Poteſt etiam exponi: *per quem fecit & mundum*, ut habetur in hebræo. At c. 11. innuitur Dei juſſu, ac Verbo diſpoſitas fuiſſe mundi partes, cum eſſent olim in Dei Verbo, ut opera in mente artificis. Nyſſenum minus proprie locutum, ait Petavius l. 3. c. 5. Sed Nyſſeni mens eſt, Deum initio Æonas, & univerſum condidiſſe, veluti *conceptaculum* rerum viſibilium. Primo enim condidit mundum, & Angelos, ſed terra erat inanis, & vacua, quam poſtea omnium creaturarum generibus exornavit: ubi nihil non eſt accuratum, & proprium. Kabalæ ineptias flocci facimus; Chriſtus autem annos vixit 33. (b), non 30. Nec Judæ interitus præfigurat *Sophiæ* ruinam, quæ fingitur ab *Horo* impedita.

Propositio III. Fictitium eſt lumen illud æternum, quod Palamitæ ſomniarunt.

Prob. I. Jo. Cypariſſioti argumento (c). Ea lux eſt defluxio, manans a divina ſubſtantia, & ab illa diſtincta: atqui Dei natura diverſa non eſt ab ejus proprietatibus, & operationibus: ergo &c.

Prob. II. Barlaami ratione (d). Quidquid eſt, vel eſt a ſe, vel ab alio. Si primum, Deus eſt; ſi ſecundum, creatura: ergo fictitia eſt lux increata, a creatura diſtincta.

Dices. Meminit hujus lucis Baſilius (e) ergo &c.

℞. neg. ant. Lux enim illa ſempiterna, & inacceſſa, de qua Baſilius loc. citat., ipſa eſt divinitas, æternuſque Dei Filius. Ait enim c. 4. c. Eun. *Lux eſt Deus, ut David inquit: in lumine tuo videbimus lumen.*

CA-

(a) *L. 2. de F. Orth.* 1. (b) *Vide Auctorem.*
(c) *Decade* 6. (d) *Ap. Cantacuz.* 11. *c.* 39.
(e) *Homil.* 1. *in Exam.*

CAPUT VI.

De infinita potentia Dei.

A Deo infirmum esse Deum Israel blasphemavit Rabsaces (quem legis suæ desertorem putant Hebræi, ut Jerusalem de manu Assyriorum liberare non posset. Eandem blasphemiam protulere in deserto Judæi dicentes (a): *Numquid poterit Dominus parare mensam in deserto?* At Deus summam potentiam suam ostendit post Rabsacis blasphemiam, 185. m. in castris Sennacheribi percutiens, & contra murmurantes Hebræos manna de cælo pluit, & aquas excussit e silice. Manichæi etiam adeo impotentem fecere Deum bonum, ut malum arcere non posset. Tandem Abaelardus (b) soli Patri summam tribuit potentiam, aliquam Filio, nullam Spiritui sancto. Contra quos sit

Propositio I. Deus infinitam habet potentiam.

Prob. I. Scripturis. Esther 14. ipse Dominus *rex Deorum* dicitur, *& universæ potestatis.* Job. 24. ait, *Scio quia omnia potes.* Eccli. 18. *Unus est altissimus, creator, omnipotens.* Matth. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt:* ergo &c.

Prob. II. ex PP. Cyrillo (c), Nysseno (d), Tertulliano (e), Augustino (f), quorum loca vide apud Petavium l. 1. c. 5.; Philosophorum, & Poetarum testimonia apud Huetium l. 2. Conc. c. 2. Merito ergo ait S. P. Serm. 139. de Temp. *Da mihi Paganum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, omnipotentem non potest.*

Prob. III. rationibus Augustini. I. Deus est opifex omnium creaturarum: sed ad hoc omnipotentia requiritur: ergo &c. (g). II. Imperator summam habet in regno suo potestatem: atqui Deus est Imperator

(a) *Ps.* 77. (b) *Ap. Bernard. Ep.* 190.
(c) *Catech.* 8. (d) *L.* 1. *c. Eun.*
(e) *De Res. car. c.* 11. (f) *De fide & Symb. c.* 2.
(g) *Ita S. P. Serm.* 105. *de Tem.*

perator universorum: ergo habet omnipotentiam (*a*). III. Deus est immutabiliter: ergo est omnipotens. Prob. conf. Qui enim est immutabiliter, habet virtutem respondentem iis, quae sunt, fuerunt, futura, ac possibilia sunt: sed haec virtus est ipsa omnipotentia: ergo &c. (*b*).

Ut facilius objecta diluantur, nota, impossibile multipliciter dici; I. cum pares non suppetunt vires. Ita impossibile est parvulo athletam dejicere, catulo videre &c. II. Impossibile dicitur, quod plerumque non fit: sic dicitur, *civitas supra montem abscondi non potest.* III. Quod non congruit rationi, ut illud Genes. 44. *Non potest puer relinquere patrem suum.* IV. Quod justa de causa fieri non debet, ut Marc. 6. *Non poterat ibi Jesus virtutem ullam facere, propter incredulitatem eorum.* V. denique, quod non Deo, sed hominibus est impossibile, ut virginem concipere &c. Cum ergo dicimus, Deo nihil esse impossibile, I. II. & postremo sensu intelligimus, non III., & IV. Plura enim Deo non conveniunt, ut mori, peccare &c.; id enim si posset, sanctus non esset, si illud, non esset aeternus. Ac si plura non posset pro lubitu facere, vel omittere, non esset liber, adeoque nec Deus (1).

(1) Optime monet D. Th. I. P. q. 25., divinam omnipotentiam esse aestimandam in ordine ad ea, quae absolute possibilia sunt, quorum nempe attributum subjecto non repugnat: adeoque sub Dei omnipotentia non cadere, quae in se ipsis contradictionem involvunt, quia possibilium rationem habere non possunt. An vero hoc vel illud possibile sit, aut fieri repugnet, altera quaestio est, de qua nil temere pronunciandum, atque id unum a Deo fieri non posse censendum est, in quo apertissima contradictio deprehenditur.

(a) *L. 3. de Trin. c. 4.* (b) *L. 26. c. Faust. 5.*

Ob. I. Deus mori nequit, mentiri, peccare, præteritum revocare, aut rerum naturas mutare: ergo &c.

R. neg. conf. Hæc enim non posse, non infirmitatis est, sed potentiæ argumentum. Ad I. ergo notat Estius, Deum dici omnipotentem active, non passive; est enim *Omnipotens faciendo quidquid vult, non patiendo, quæ non vult*, ait S. P. A. 5. C. D. 10. Alias Angeli, & anima pejoris conditionis essent, quam pecudes, quæ mori possunt. Vere ergo Deus est omnipotens, qui mori nequit, nec pati; nam qui patitur, impotens est. Idem dicendum de peccandi, & fallendi potentia. I. enim mendacium, & peccatum non habet causam efficientem, sed deficientem. II. Potentia, quæ a veritate, ac bonitate excidere potest, non est summa potentia, hæc enim est summum ens, & veritas, & bonitas est aliquid ens: sed posse mentiri, & peccare est a veritate, ac bonitate excidere: ergo non est summa potentia. Unde ait S. P. Serm. 109. de Temp. *Non potest peccare, non potest mentiri, quia si posset, non esset omnipotens* (a).

De præteritis non una est Theologorum sententia. Censet Damascenus (b), a Deo fieri posse, ut virgo compressa non sit compressa. Idem docet Ariminen., aliique. Oppositum docent alii Theologi post Augustinum l. 26. c. Faust. 5. *Qui dicit, si omnipotens est Deus, faciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt se dicere, faciat, ut quæ vera sunt, falsa sint. Quis enim dicat, ut id, quod jam non est, faciat non esse? Quidquid enim præteritum est, jam non est; quod si & de ipso fieri aliquid potest, adhuc est, de quo fiat* (c). Ad ultimum dist. ant. Potest mutare naturas, quoad essentiam, neg.; quoad existentiam, conc. Hoc enim sensu qui diceret, res esse immutabiles, rerum naturas per-

(a) *Vide l. 5. C. D. 10. & de Symb. cap. 1.*
(b) *Opusc. 36.* (c) *Vide Auctorem.*

perverteret. Poteſt ergo Deus aquam in vinum, aut ſanguinem commutare, & univerſi ordinem aliter diſponere; ſed ſi res inſpiciantur in ideis, ſive prædicatis eſſentialibus, quæ ad normam incommutabilis veritatis exiguntur, ſunt immutabiles.

Ob. II. Dei potentia, & voluntas idem ſunt, & ideo Deus per Aug. (*a*) dicitur omnipotens, quia quod vult poteſt: ſed Deus omnia non vult: ergo nec poteſt.

R. diſt. ant. Idem ſunt realiter, conc.; connotative, nego. Illa enim omnia poſſibilia ſignificat, hæc omnia volita. At S. P. A. ideo Deum dicit omnipotentem, quia quod vult poteſt. Sicut enim probatur creatæ voluntatis infirmitas, ex quo fruſtrari poſſit, ita probatur Dei omnipotentia, ex quo fruſtrari non poſſit. *Tunc videbitur*, ait S. P. Ench. 95., *quam efficaciſſima ſit voluntas Dei, quam multa poſſit, & non velit, nihil autem velit, quod non poſſit: quod in Pſ. canitur: omnia quæcumque voluit fecit.*

Propositio II. Poteſt Deus plura facere, quæ non facit.

De fide eſt cont. Abaelardum, & Witclefum, queis addit Eſtius Calvinum. Hunc tamen ab hoc errore vindicant Juenin (*b*), & Petavius (*c*). Forte non ſibi conſtat ubique Calvinus; nec fallitur Eſtius, qui ejus errorem a Witcleſiano ſecernit. Is enim docuit, Deum agere neceſſitate naturæ: ille, neceſſitate juſtitiæ. De hoc argumento pertractant Hugo Vict. (*d*), Thomas Waldenſis (*e*), Eſtius (*f*), Petavius (*g*), Sylvius (h), Gregorius (*i*), aliique; & prob. I. Scripturis. Sap. 11. 18. *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua immittere illis, aut multitudinem urſorum, aut leones: ſed & uno ſpiritu*

(a) *In Enchir. c.* 96. (b) *Diſſ.* 4. *c.* 2.
(c) *L.* 5. *c.* 6. (d) *De Sacr. Fid. l.* 1. *p.* 2.
(e) *Tom.* 1. *l.* 1. *art.* 1. *c.* 10. (f) *Diſt.* 43.
(g) *L.* 5. *c.* 6. (h) *Q.* 25. *art.* 5. (i) *Diſt.* 42. *q.* 1.

ritu poterant occidi. 1. Machab. 8. 18. *Potest universum mundum uno nutu delere.* Matth. 39. *Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ:* quod nec etiam literaliter divinam virtutem excedit, neque Deo est difficilius homines de lapidibus, quam de limo terræ excitare. Et c. 26. 53. *Possum rogare Patrem, & exhibebit plusquam 12. legiones Angelorum.* Atqui Deus non immisit leones, aut ursos, mundum non delevit, neque ex lapidibus suscitavit Abrahæ filios, neque Angelorum legiones adscivit: ergo plura Deus potuit, quæ non fecit.

Prob. 2. ex PP. Athanasius l. 3. c. Ar. *Poterat, etsi nunquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus, & maledictionem solvere.* Hieronymus 1. Is. *Qui tantorum signorum patrator est, & ipse crucem evadere potuit.* S. P. A. in Opusc. ad Marc. c. 1. *Credo nunquam esse factum, ut per foramen acus camelus transiret, & tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile. Legas 12. m. legiones Angelorum pro Christo pugnare potuisse, nec factum, & alia sexcenta fieri potuisse, tamen exempla quod facta sint, proferre nequeamus.* Qui locus peremptorius Petavio visus est, & controversiis omnibus dirimendis aptissimus.

Prob. III. ratione. I. Omnis creatura finita est: ergo in ejus productione non exhauritur potentia creatoris; qui proinde alia, atque alia in infinitum producere potest. II Si Deus non posset, nisi ea, quæ fecit, non potuisset Adam servare a culpa, David ab adulterio, Saul a perditione, aut emollire corda Pharaonis, Achab, & Judæ, nec de cruce descendere, aut signum facere scribis petentibus: sed hoc posito tollitur gratia, perit libertas, excusabilis est Judæorum malitia, & inevitabilis est rerum omnium eventus, quod est absurdum: ergo &c. III. Vel Deus potest signa facere, quæ fecit tempore Moysis, Josue &c., vel non; si nequit, ergo suam amisit omnipotentiam; si potest, ergo

ergo aliqua poteſt, quæ non facit: nunc enim ea ſigna non facit.

Ob. I. Matth. 26. Chriſtus ait: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte:* ſed non tranſiit: ergo erat impoſſibile. Non enim poterat decretum Patris de Chriſti morte mutari.

R. diſt. conſ. Erat impoſſibile abſolute, & virium defectu, neg.: hypothetice, & ſuppoſito Patris decreto, conc. (a). Chriſtus ergo non dubitavit de abſoluta Patris poteſtate, ait enim: *Omnia tibi poſſibilia ſunt*, Marc. 14.; ſed ait: *Si poſſibile* eſt potentia ordinata conſiſtente cum æterno decreto, quaſi dicat: ſi *vis, transfer calicem hunc a me*, ut habetur Luc. 22. Eadem eſt Grotii (b) reſponſio: *Senſus eſt: ſi tua decreta ſerunt, ut alio modo tuæ gloriæ, & hominum ſaluti conſulatur.* Notat Eſtius, non dixiſſe Chriſtum: *Si poſſibile eſt tibi*, ſed abſolute, *ſi poſſibile eſt*, ideſt per ſe non repugnans ob paterni decreti conſiſtentiam.

Ob. II. Non poteſt Deus, niſi quæ prævidit, alias ſine providentia operaretur: ſed prævidit tantum quæ facit: ergo &c.

R. diſt ant. Non poteſt potentia abſoluta, neg.; ordinata, conc. Poteſt ergo Deus abſolute omnia, quæ non repugnant, facit autem, quæ præordinavit. Ex præſcientia ergo infertur, non eſſe futura, quæ non ſunt prævifa, non vero poſſibilia non eſſe.

Dices. Sapientia Dei eſt immutabilis: ergo non poterat alia prævidere. R. diſt. ant. Eſt immutabilis, & indeterminata, conc.; determinata ad unum, neg. Tota ergo mutabilitas ſe habet ex parte creaturarum, quæ ideo futuræ ſunt, quia ſunt præviſæ, & poterant non eſſe futuræ, quia poterant non eſſe præviſæ.

 Ob.

(a) *Vide not. Prop. I.* (b) *In Comm. in hunc loc.*

Ob. III. Hieronymus (a) id unum poſſibile aſſerit, quod eſt futurum: ergo &c.

R. diſt. ant. Poſſibile homini, conc.; Deo, neg. Loquitur enim contra Pelagianos, qui jactabant poſſe hominem vivere ſine peccato, eoſque ex factis revincit. Poſſe tamen Deum ex gratia præſervare a peccato, ut B. Virginem, docet l. 2. c. 16., ubi laudat Aug. (b). Unde retorq. arg. Poteſt Deus ſingulari privilegio ſervare a peccatis, nec facit: ergo &c.

Propositio III. Poteſt Deus meliora facere iis, quæ fecit (1).

Prob. I. ſcripturis. Apoſtolus Epheſ. 3. 20. ait: *Potens eſt Deus omnia facere ſuperabundanter, quam petimus, & intelligimus.* Ubi in græco τὸ ὑπὲρ bis poſitum, tum ad opera, tum ad cogitationes refertur. Et ſenſus eſt, poſſe Deum meliora facere iis, quæ facta ſunt, & petere audemus, & cogitare.

Prob. II. Ex PP. Hieronymus, & Aug. ſup. laudati docent, poſſe Deum ſervare hominem ab omni peccato, ut gaudeat immortalitate animæ, & corporis. Dionyſius (c) ait condere poſſe infinitas virtutes multo perfectiores, potentia ſcilicet abſoluta; nam ordinata omnia fecit in numero, pondere &c. Huc ſpectant rationes ſuperius productæ. I. quod

(1) Non deſunt hac noſtra etiam ætate plures increduli, inter quos Popes, & Voltaire, qui veluti principii loco ponunt, *Mundum hunc omnium, qui eſſe poſſunt, perfectiſſimum eſſe.* Hinc autem dici non poteſt quam abſurda conſectaria deducant. Hos tamen preſſe & nervoſe refellit recentiſſimus ſcriptor ſæpe laudatus in Exerc. 6. de Prim. Hom.

(a) *Dial. 1. cont. Pelag.*
(b) *L. 2. de Pecc. M. 6. 14. & 17.*
(c) *De div. Num. 8.*

I. quod nullo opere vel perfectissimo infinita potentia potest exhauriri. II. Si optima quæque producantur, omnia forent æqualia, nihilque, præter hominem, & Angelos, Deus procreasset, ut ratiocinatur Augustinus (a).

Ob. I. Si Deus non genuisset Filium sibi æqualem, fuisset invidus, ait Q. 50. S. P. ergo talis etiam fuisset, si potens meliora facere, non fecisset.

R. neg. conf. Æqualitas enim naturæ debetur filio, cum generatio in similitudinem naturæ fieri debeat: atqui creaturæ nulla debetur perfectio; quidquid enim habet, ex liberalitate conditoris habet; neque Deus potest invidere creaturis, quæ spatio infinito a se distant, nec possunt divinæ felicitati vel minimum detrahere, ut ait Aug. (b): ergo &c.

Inst. S. P. de Gen. ad lit. ait: *Si bona facere posset Deus, nec faceret, magna esset invidentia:* ergo Aug. eodem modo loquitur de creaturis, ac de Filio.

R. I. Estius, Sylvius, Juenin, in libro laud. *Plura quæsita esse, quam inventa, & ex his pauciora firmata*, ut ipse Aug. ait 11. Retr. 24.

R. II. dist. conf. Et loquitur S. P. de potentia absoluta, conc.; de ordinata, neg. Nam l. 3. de lib. Arb. 9. ait, & posse Deum absolute meliora producere, & posito hoc ordine, invidum esse, qui velit aliquid interire. *Ordinem creaturarum gradibus justis ita decurrere, ut ille invideat, qui dixerit, ista non esset, invideat etiam ille, qui dixerit, ista talis esset; aut enim perfectæ superiori vult addere, & erit immoderatus, & injustus, aut istam vult interimere, & erit malus, atque invidus.* Constat ergo Deum omnia fecisse statuto providentiæ ordini congrua, nec posse absque invidiæ nota mutari.

(a) *L. 11. C. D. 22.* (b) *In Ps. 104.*

Ob. II. Deus eſt optimus: ergo optima ſunt quæcumque fecit.

R. diſt. conſ. Sunt optima, ideſt ordini congrua, conc.; natura præſtantiſſima, neg. Si vero dicas ex opere artificis ejus ſapientiam intelligi; R. infinitam Dei virtutem non evinci ex creaturis ratione ſubſtantiæ, quæ finita eſt, & *tamquam nihilum*, ſed ex modo, quia res ex nihilo abſque temporis ſpatio, aut alterius ope produxit. Hinc S. P. II. C. D. 22. *Deus*, inquit, *ita eſt artifex magnus in magnis, ut minor non ſit in parvis, quæ parva non ſua granditate*, ſed artificis ſapientia metienda ſunt.

Inſt. Ex artefactis hominum peritia æſtimatur: ergo a pari.

R. neg. conſ. Cum enim homines materia, ope, & inſtrumentis indigeant, ex opere tamen ſuam virtutem produnt; Deus vero, qui iis non eget, ſatis ex modo ſuam potentiam oſtendit.

CAPUT VII.

De ſumma Dei veracitate.

NON quærimus hoc loco, an Abraham, Jacob, Judith &c. mentiti fuerint, nec ne, ſed ea tamen attingimus, quæ divinæ veracitati directe adverſantur. Quaſdam tamen regulas aſſignabimus, queis Prophetarum oracula facilius intelligantur. Sit itaque

Propositio I. Deus eſt ſumme verax, nec poteſt auctor eſſe mendacii.

De fide eſt, eamque propugnant imprimis Canus (*a*), Ariminen. (*b*), Annatus (*c*), Piette (*d*) &c.

Prob. I. Scripturis. Num. 23. 19. habetur, *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur.* Rom. 3. 4. *Eſt autem*

(a) *L. 2. de loc. Th. c.* 3. (b) *Diſt.* 43. *q.* 2.
(c) *L. 2. de Script. art.* 2. (d) *T.* 3. *q.* 4. *de Fide.*

autem Deus verax, *omnis autem homo mendax*. 2. Tim. II. *Fidelis permanet*, ubi in græco πιστὸς, *fidelis*, idem valet quod ἀληθὴς, *verax*; mentitur enim qui fidem fallit.

Prob. II. ex PP. Chryſoſtomus hom. 83. in Jo. ait: *Mentiri non poteſt Deus*. Ambroſius ad Chrom. *Impoſſibile eſt mentiri Deum*. S. P. A. 22. C. D. 15. *Si velint invenire quod omnipotens non poteſt*, *ego dicam*: *mentiri non poteſt*. Accedunt philoſophi Plotinus (*a*), Proclus (*b*), Alcinous, atque Simplicius, qui Deum *veritatis* nomine appellarunt, quod *veritatis omnis ita ſit principium*, *ut ſol omnis luminis*, ait Huetius.

Prob. III. ratione. I. Deus eſt ſummum ens: ergo non poteſt excidere a veritate, alias potentiam paſſivam haberet, & infirmiſſimus eſſet (*c*). II. Deus cum ſit ſummum ens, eſt etiam ſumme bonus, & verax: ſed ita eſt ſumme bonus, ut nulla malitia in eo ſit: ergo ita eſt ſumme verax, ut nullus in eo ſit error, aut fraus. III. Mentiri eſt intrinſece malum: ergo repugnat Deo ſummo bono. IV. Poteſt homo mentiri, quia eſt mutabilis: ſed Deus eſt immutabilis: ergo mentiri non poteſt. Hinc Num. 23., ubi dicitur, *Non eſt Deus*, *quaſi homo*, *ut mentiatur*, additur, *neque ut filius hominis*, *ut mutetur*; & Matth. 24. *Cælum*, *& terra tranſibunt*, *verba autem mea non præteribunt*: ac ſi dicat, fieri poteſt, ut cælum, & terra, utpote mutabilia, deficiant, non tamen verba mea: *Ego enim Deus*, *& non mutor*.

Ob. I. Gen. 4. Caino timenti ne occideretur ait Dominus, *nequaquam ita fiet*, & tamen occiſus eſt a Lamecho: ergo &c. II. Jon. 3. prædicitur ſubverſio Ninives poſt 40. dies: atqui ſubverſa non eſt: ergo &c. III. Marc. 13. Chriſtus, qui eſt ſapientia Patris, dicitur ignorare de die Judicii:

 ergo

(a) *Lib. Enn.* 6. 8. (b) *L.* 1. *Plat. Th. c.* 17.
(c) *Vid.* ℞. *ad Ob. I. Prop. I. Cap. V.*

ergo &c. IV. Jo. 7. Chriſtus ait: *Non aſcendo ad diem feſtum:* atqui reapſe aſcendit: ergo mentitus eſt.

R. ad I. cum Annato, aliiſque, neg. conſ. Deus enim non promiſit Caino abſolute, & nullo modo occiſum iri, ſed tantum id ſe non paſſurum a primo occurrente, aut data opera, ut Cain timebat: reapſe a Lamecho caſu necatus eſt. Idem ex traditione Hebræorum reſpondet Hieronymus. R. II. & verius cum Grotio, diſt. antec. Et Dominus locutus eſt de morte violenta, quam Cain metuebat, intus monente conſcientia, ut ferat quiſque quod geſſit, & a qua Cain, ob exiguum hominum numerum, ſervatus eſt, conc.; de morte abſolute, nego.

Ad II. R. I. diſt. maj. Et hoc vaticinium fuit comminatorium, nec implendum, niſi permanente malitia, conc.; & fuit abſolutum, nego. R. II. cum Auguſtino diſt. min. Subverſa non eſt myſtice & figurate, neg.; vere, & proprie, conc. Impletum eſt ergo myſtice Jonæ vaticinium, quia Ninive *everſa eſt in malo, ædificata in bono*, ait S. P. Aug. in Pſal. 50. n. 11.

Ad III. neg. conſ. Chriſtus enim Judicii diem ignorare dicitur, quem revelare non vult. Sic Legati Regum ignorare dicuntur arcana, quæ prodere nolunt.

Ad IV. diſt. ant. Aſcendit tunc, & palam, neg.; poſtea, & in occulto, conc. Legitur enim 16. *Manſit in Galilæa. Ut autem aſcenderunt fratres, tunc & ipſe aſcendit, non manifeſte, ſed quaſi in occulto.* Cur autem tunc non aſcenderit, eſt, quia *tempus ejus nondum impletum erat.*

Ob. II. Exod. 21. juſſit Dominus Hebræis, *Ut poſtulet vir ab amico vaſa aurea, & argentea*, utique furandi animo: ergo &c. II. Lib. 3. Reg. 22. dæmoni dicenti: *Ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum;* R. Dominus: *Decipies, & prævalebis, egredere, & fac ita:* ergo &c.

R. Ad I. Miſſa ea quæſtione, an Hebræi furtum fece-

fecerint id asportando, quod eis debebatur ut merces, de qua non una est PP. sententia (*a*), dist. ant. Præcepit mutuum, conc.; furtum, nego. Non enim jussit Dominus, ut Ægyptios fallerent, sed ut vasa peterent mutua: permisit autem furtum in pœnam idololatrarum, qui licitum furtum putabant.

Ad II. dist. ant. Ait Dominus *decipies &c.* jubendo, neg.; permittendo, conc. Diabolus enim ad fallendum pronus, non jussum, sed solam permissionem expectat. Sic Matth. 8. rogantibus diabolis mitti in porcos, respondit Jesus, *ite*, quod non præcipientis est, sed *permittentis*: sequitur enim, *et concessit eis statim Jesus.* Et Judæ ait: *Quod facis, fac citius*, *Quæ vox etiam*, ut ait S. Leo (*b*), *non jubentis est, sed sinentis*: ergo &c.

Inst. S. P. A. q. 53. ait, Ægyptios, jubente Domino, deceptos esse, *quoniam deceptione digni erant*; & de Prophetis Achab ait, *Quem Deus per se non falleret, eum fallit, Deo jubente, cacodæmon*: ergo &c.

R. I. Canus (*c*) dist. ant. *Jubente* Domino, hoc est deceptionem faciendo, neg.; permittendo ut fiat, conc. *Sic indurare eum dicitur, quem mollire noluerit, et excæcare, quem illuminare noluerit*, ait S. P. lib. de Præd. & Gr. 4. R. II. S. P. in ipsa qu. 53. *Cum Ægyptii deceptione digni essent, factum est, ut juberet Deus* Judæis, *vel potius pro illorum cupiditate permitteret, ut vasa peterent non reddituri, et acciperent, quasi reddituri.* Idem dicendum de Achab; id enim *non sine judicio divino factum esse*, idest Deo permittente, ait ib. S. D. Idque confirmat exemplo de odio inimicorum, quod sane non jussum est antiquis, sed permissum, aut non expresse prohibitum. *Non itaque Deus deceptor est*, con-

---

(a) *Ap. Calm. in Comment. ad c.* 3. 22.
(b) *Ser.* 7. *de Pass.*
(c) *L.* 2. *de Loc. Th. c.* 4.

concludit S. P., *quod credere nefarium, et impium, quis non intelligat?*

Ob. III. Poteſt Deus innocentem occidere (1): ergo

(1) Hæc propoſitio abſolute, & abſque limitatione admiſſa, vix conciliari poſſe videtur cum eorum ſententia, qui ſtatum puræ naturæ negant eſſe poſſibilem. Qua de re cl. Auctor, qui de hoc ſtatu *tum quæſtionis difficultate*, *tum etiam theologorum diſſidiis*, ut ipſe monet in fine Tom. I. poſtremæ Ven. editionis, in utramque partem diſſeruit ad calcem lib. 12. Rom. editionis, in eorum ſententia illam propoſitionem admiſit, qui ſtatum illum ut poſſibilem adſtruunt. At in vindiciis Auguſtiniani ſyſtematis, tom. V. diſſ. 2. poſtremæ Ven. ed., ubi accuratius Auguſtini mentem inveſtigavit, ejuſque doctrinam a damnatis Baji articulis vindicavit, ſententiam eorum, qui ſtatum puræ naturæ impoſſibilem putant, antiquiſſimam eſſe, & in Ægidiana ſchola propugnatam perſpicue demonſtrat. Cohærenter itaque ad hujus ſcholæ principia

R. II. diſt. ant. Poteſt innocentem occidere, ſuppoſita Adæ culpa, quam mortis pœna ſubſequitur, quæve etiam originaria labe deleta adhuc ſupereſt in renatis, conc.; non ſuppoſita culpa, ſubdiſt. Si Deus abſolute ſpectetur, prout eſt omnipotens, & creatura quantumvis innocens a Deo pendet, qui eſt Dominus vitæ, & necis, conc.; ſi ſpectetur prout eſt ſumme bonus, providus, juſtus, ac ſibi, non creaturæ debet, ut eam a morte, ac miſeriis eripiat (quo ſenſu ſtatum puræ naturæ impoſſibilem putant plures theologi, aliique noſtrates) neg. Sic enim Deus nequit innocentem occidere, quin ſimul juſtitiam, ac providentiam evertat. *Numquid*, ait S. P. l. 11. de Gen. c. 21., *ille prius ultor, quam iſte peccator?* Hinc S. P. ib. c. 21. Manichæos urget, qui aje-

ergo & ſimplicem fallere. R. neg. conſ. Nam vitam dare, & eripere ſpectat ad ſupremum dominium; *Dominus enim vivificat, et mortificat* (a). At repugnat divinæ veracitati poſſe aliquem decipere; non enim eſt Deus *quaſi homo, ut mentiatur* (b). Sunt etiam alia, quæ hoc loco objici poſſent, ſed ea expedientur in quæſtione: *An mendacium ſit intrinſece malum*. Nunc regulas aſſignabimus ad hujus quæſtionis, & ſcripturarum intelligentiam perutiles. I. eſt. Multa Dei verba, quæ falſa videntur rudioribus, ſunt figuratæ, aut ironicæ locutiones, quibus aut deridetur iniquitas, aut prænunciantur futuræ calamitates. Ita Gen. 3. 22. ait Dominus: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*. II. Plura, quæ videntur fabuloſa, ſunt parabolæ, aut ſimilitudines: ut illud Jud. 9. de arboribus regem quærentibus, & Ezech. 17. de duabus aquilis. Plura etiam ſunt in novo Teſtamento, *in quibus divinus ſenſus altius perſcrutandus*, ait Hieronymus (c). In iis ergo ſcopus præcipue ſpectandus eſt, unde earum proprietas, & ſignificatio dignoſcitur. III. Verba comminatoria hypothetice ſunt accipienda; ideſt manente pervicacia. Nam. Jer. 18. ait Dominus: *Si pœnitentiam egerint a peccato ſuo, agam & ego pœnitentiam*; quæ ſi longius protrahatur, vix locum habet hæc regula, ut Judæis accidit, eo quod non reſipuerint. IV. Plura etiam, quæ Dei operationem, aut juſſum innuunt, maxime ubi

---

ajebant, dæmones, etſi nihil propria voluntate peccaſſent, æternis cruciatibus eſſe torquendos, cum iniquum omnino ſit, pœnam aliquam, a fortiori æternam, innocenti creaturæ infligere. *Cuilibet eſt manifeſtum, juſtitiæ ipſi eſſe contrarium, ut nullo præcedente demerito, hoc ipſum Deus damnet, quod ipſe creavit.*

(a) 1. *Reg.* 2. 6. (b) *Num.* 23. 19.
(c) *In* 12. *Eccli.*

ubi Deus impios alloquitur, qui *meditantur iniquitatem in corde*, de sola permissione accipienda sunt (*a*). Sic Rom. 1. 24. habetur: *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*, idest *relicti per divinam patientiam, non per potentiam compulsi*, ut explicat S. P. l. de Præd. SS. 10. V. Plura vaticinia impleta sunt in posteris eorum, ad quos fiunt, ut illud Gen. 23. *Major serviet minori*, quod impletum est tempore David in Idumæis ab Esau progenitis. VI. Quædam mystice accipienda sunt: ut Baptistam esse *Eliam*, Christum *agnum*, aut *petram*; fideles *oves &c.* Verum, ne opponant hæretici (quod olim Glassius Becano) nos scripturas vi trahere, ut pelles sutores, dicimus SS. PP. interpretationes sequendas, non privata quorumlibet commentaria. VII. In vet. Testamento res gestæ umbræ sunt futurorum. Non ergo in cortice sistendum est, sed videndum cujus gratia, & significatione factæ sint. Sic, ubi Jacob personam Esau simulavit, mendacium non est, ait S. P. (*b*), sed mysterium. VIII. Sicubi mendaces in scriptura laudantur, ut obstetrices Ægyptiæ (*c*), non mendacium ipsum, sed harum pietas, & miseratio commendatur, ut docet S. P. (*d*). Idem judicium esto de quibusdam SS. historiis, quæ in patrocinium mendacii opponuntur, de quibus alibi fusius.

CAPUT VIII.

De perfectione, ac pulchritudine summi Dei.

NOT. Perfectum dicimus, quod in se omne bonitatis genus complectitur: idem est ergo quærere, an Deus sit perfectus, ac, num sit summe potens, immensus &c. quod in superioribus actum est. Ad faciliorem tamen hujus rei intelligentiam addendum est, duplex perfectionum genus

(a) *Vide* R. *ad Ob. II.* (b) *De Mend. c. 5. & 6.*
(c) *Exod. 1. 20.* (d) *De Mend. 15.*

nus in scholis distingui. Aliæ enim *simpliciter simplices*, aliæ *simplices* appellantur. Prior ea est, quæ cum majori, vel æquali perfectione non pugnat, sive, ut ait S. Anselmus (a), *quæ melior est ipsa, quam non ipsa*, ut esse justum, beatum &c. *Melius namque est esse justum, quam non justum, beatum, quam non beatum* (b). Perfectio simplex ea est, quæ pugnat cum majori, vel æquali, nec melior est ipsa, quam non ipsa, ut corpus, animal, aurum. *Nam melius est homini, non esse aurum, quam aurum; quamvis forsitan melius esset alicui esse aurum, quam non esse aurum, ut plumbo.* Ita Theologi passim. Censet tamen Petavius (c), prædicamenta, quæ per se *meliora sunt ipsa, quam non ipsa*, v. g. esse sapientem, & justum, vulgo perfectiones *simplices* appellari. Et quidem clarius loqueretur, qui perfectiones prioris generis *simplices* appellaret, alias vero *in certo aliquo genere limitatas*. Has tamen in Deo, utpote perfectissimo, non esse, per se notum est.

Not. II. Singulas rerum perfectiones *eminenter* in Deo contineri. Dicitur autem in scholis contineri *eminenter*, quod in alio, non secundum propriam formam, sed nobiliori quodam modo comprehenditur, ut rationalis anima continere dicitur vegetativam, & sensitivam. Sed melius fortasse cum cl. Auctore dixeris, perfectionem *formaliter* contineri, quando in ea perfectionis specie res aliqua, veluti forma materiei, determinatur, & perfectio de ipsa re enunciatur in recto: contineri autem *eminenter*, quando res in eo perfectionis genere non est limitata, & perfectio de ipsa re tantum *oblique* prædicatur. Sic aurum, argentum, calidum, frigidum formaliter continetur in hoc, vel illo corpore, quia his qualitatibus, veluti formis, illa corpora afficiuntur, & determinantur, & recte enun-

(a) *Menolog.* 4. (b) *Idem Prosolog.* c. 5.
(c) *L.* 6. *c.* 7. *n.* 10.

enunciatur: hoc est aurum, illud argentum, hoc calidum &c. Quia vero sapientia, justitia &c. rectissime de Deo prædicantur, nec sunt in aliquo genere limitatæ, dicuntur esse formaliter in Deo minus proprie: & licet invaluerit ea loquendi consuetudo, Deus est formaliter sapiens &c. melius tamen foret dicere, Deus est sapientia, & justitia, quæ ipse est (a). Non enim est in Deo forma, aut perfectio a summo esse distincta. Hinc Thomassinus (b) ait, has perfectiones aptius a Deo auferri, quam de illo affirmari. Aliunde, cum Deus sit perfectissimus, & creaturæ de ipso enuncientur oblique; non enim dicitur Deus est Angelus, aut homo, sed Deus est hominum, & Angelorum; perfectio Angeli, hominis &c. non *formaliter* in Deo continetur, sed *eminenter*.

Not. III. Quærunt hoc loco theologi: An Deus simul & creatura sint aliquid perfectius, quam Deus solus? Ubi non de perfectione extensiva sermo est, sed tantum de intensiva. Nam de extensione, ac numero frustra ab aliquibus disputatur, cum hæc duo non perfectionem, sed limitationem importent in aliquo genere quantitatis. Unde hoc complexum, Deus & creatura, designat summum bonum, & bonum finitum, & numerus, & extensio tantum in bono finito reperitur, ut divulsum a summo bono. Sit itaque

Prop. I. Deus simul, & creaturæ non sunt aliquid perfectius, quam Deus solus.

Prob. I. Scripturis. Ps. 38. habetur: *Substantia mea tanquam nihilum ante te:* atqui nihilum, & ens, si complexe accipiantur, non sunt aliquid solo ente perfectius: ergo &c.

Prob. II. ex PP. Augustinus Tr. II. in Jo. ait: *Si fueris sine Deo, minor eris: si fueris cum Deo, major Deus non erit. Non ex te ille major, sed tu sine illo minor.*

Prob.

(a) *Vid. Cap. 3. lib. hujus.* (b) *L. 4. c. 12. n. 12.*

Prob. III. ratione. Deus seorsim spectatus est infinitus, & summum bonum continens omnia bona: sed summo, & infinito nil addi potest: ergo &c.

Ob. I. Deus & creatura faciunt numerum: ergo majorem perfectionis extensionem. R. neg. conf. Habetur enim extensio numeri absque extensione perfectionis, quando unitatis perfectio *eminenter* in alia continetur. Sic permutato siclo in 4. drachmas, multiplicantur nummi, non augetur sicli valor, quia valor 4. drachmarum in ipso siclo continetur.

Dices. Si quis addat siclo 4. drachmas, augetur sicli valor: ergo augetur Dei perfectio ex perfectione creaturæ.

R. neg. conf. Siclus enim, cum sit finiti valoris, adjectis drachmis augetur; Dei autem perfectiones sunt infinitæ, nec si millenas addideris creaturarum dotes, vel minimum augentur.

Ob. II. Astrorum lux, aut virtus plantarum *eminenter* in sole continentur: sed sol una cum plantis perfectior est, quam solus: ergo licet Deus contineat *eminenter* creaturarum dotes, una cum iis perfectior erit, quam solus.

R. neg. conf. Sol enim non præcontinet peculiares astrorum, aut plantarum perfectiones, ut Deus, qui omnes, & singulas in se continet *eminenter*.

Propositio II. Est in Deo summa, & perfectissima pulchritudo.

Prob. Pulchritudo congruentiam dicit, atque aptitudinem. Sic corpus pulchrum dicitur, quod *habet aptam figuram membrorum cum suavitate coloris*, ut ait Tullius (*a*): atqui in Deo est invariabilis ordo sæculorum, perfectionum consonantia, & immutabilis regula providentiæ, &, ut ait S. P. 6. Trin. 10. *prima æqualitas, & prima similitudo,*

(a) *Tusc.* 4.

litudo, ideſt Verbum divinum, quod eſt *candor lucis æternæ, & imago pulchritudinis ejus:* ergo &c. II. Pulchrum dicitur, quod allicit, & ad amorem trahit, ſed in Deo eſt bonitas, pietas, caritas, quæ ad amorem trahunt: ergo &c. III. Pulchrum eſt decus & ornamentum animi, ſed in Deo eſt virtus, ſanctitas, & omnis juſtitiæ fons: ergo *ſi ubique juſtus*, eſt etiam *ubique decorus*, ait S. P. in Pſ. 44. IV. Denique ex perfectiſſimis, & pulcherrimis Dei operibus ejus perfectio, & pulchritudo perſpicue demonſtratur; ſi enim *pulchra ſunt quæ fecit, quanto pulchrior eſt, qui fecit* (a)? ut cum ipſo Auguſtino II. hujus libri finem faciam.

LIBER III.

In quo de Viſione Dei diſputatur.

LUCEM *inacceſſibilem* inhabitare Deum, eamque a nullo mortalium, aut viſam eſſe, aut videri poſſe, affirmat Apoſtolus I. ad Tim. c. 6. Quæ ſententia cum poſſit dupliciter accipi, nempe de naturali mentis humanæ facultate, ac de ſupernaturali; item de ſtatu mortalis vitæ, ac de illo, quem expectamus in patria: duabus diſſertationibus hujus libri aditus aperitur, quarum prior de poſſibilitate intuitivæ viſionis, altera de ejuſdem exiſtentia verba faciet.

DISSERTATIO I.

De poſſibilitate intuitivae Viſionis.

NON agimus hoc loco de abſtractiva viſione, qua *inviſibilia* Dei, per ea, quæ *facta ſunt, conſpiciuntur*, ſed loquimur de intuitiva viſione, per quam Deus in ſe ipſo, non in creatura, tanquam in medio, cognoſcitur. Illa enim obſcura eſt,

(a) *In Pſal.* 144. *n.* 15.

est, & confusa, hæc evidens, & distincta. De hac ergo agemus 5. capitibus. Quæremus I. An Deus ab humana mente solis naturæ viribus possit intuitive videri. II. An vero supernaturali lumine assequi, aut perfecte comprehendi. III. De lumine gloriæ sermo erit, quo indiget creatura rationalis, ut Deum intuitive videre possit. IV. Vindicabitur quorundam PP. fides circa possibilitatem visionis intuitivæ. V. Exponetur vera Augustini mens de visibilitate Dei per oculos corporis.

CAPUT I.

An Deus solis naturæ viribus possit a creatura intuitive videri?

NOT. Aetius, atque Eunomius IV. Ecclesiæ sæculo eo audaciæ, Epiphanio (*a*) & Augustino (*b*) testibus, devenere, ut dicerent, se Deum naturali virtute intueri, ut seipsos. Eodem luto hæsisse sæc. XIV. Beguardos constat ex Viennensi Concilio, ubi sub Clemente V. damnati sunt. Nec desunt theologi, qui putant, posse a Deo produci creaturas longe perfectiores, quæ Deum naturaliter videre possint: sed oppositum censent Argentinas, Lafosse, Puteanus &c. Sit ergo

Propositio I. Deus videri nequit intuitive ab intellectu creato solo naturæ lumine.

De fide est, & prob. I. Scripturis. I. Tim. 1. habetur: *Regi sæculorum immortali, & invisibili.* Et c. 6. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* Quibus ostenditur, ait S. P. A. Ep. 112. *Deum invisibilem esse natura.* Et Ps. 87. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna:* hæc ergo non naturæ est, sed gratiæ beneficium.

Prob. II. ex PP. Origenes l. 1. Per. 1. *Mens nostra*, inquit, *ipsum per se Deum sicuti est non potest in-*

(a) *Hæres.* 76. (b) *Hær.* 54.

intueri. Epiphanius Hær. 70. ait, *Deum videri ab humana natura non posse fatemur.* Nazianzenus Or. 34. ait: *Nihil ad nos pertingere de Dei notitia, nisi exiguum rivulum.* Ambrosius Luc. 1. addit: *In potestate nostra non est Deum videre.* S. P. A. 19. C. D. 25. *Non est*, inquit, *ab anima, sed supra animam, quod eam facit beate vivere:* ergo &c.

Prob. III. Ratione. Ut objectum intuitive videatur, requiritur, ut sit præsens, & moveat potentiam videntem: atqui nulla creatura potest naturaliter efficere, ut Deus præsens illius visivam potentiam specialiter moveat: ergo &c. Prob. min. Deus enim libere movet potentiam, adeoque, nisi velit, nunquam videtur: ad differentiam aliorum objectorum, quæ si adsint, quandocumque necessario operantur, & velint nolint, latere non possunt. Sed creatura nequit efficere, quin Deus libere agat: ergo efficere nequit, ut potentiam specialiter moveat. II. Media intuitivæ visionis sunt Fides, Spes, Charitas, & virtutum officia: sed hæc a gratia, non a natura dependent: ergo a fortiori dependet a gratia ipsa Dei visio, quæ est bonorum operum merces.

Ob. I. Quævis potentia naturaliter suum objectum attingit: atqui Deus est objectum intellectus creati: ergo &c. Prob. min. Objectum naturale intellectus est verum: sed Deus est summe verum: ergo &c.

R. I. alii communiter dist. maj. Potentia attingit suum objectum naturale, conc.; supernaturale, neg. Recte id quidem, sed cum etiam secreta cordium intra naturalem ordinem contineantur, nec tamen naturaliter cognosci queant, nisi libere manifestentur, caussa magis obvia proferri debet, unde constet, Deum neque ut auctorem naturæ intuitive videri posse: itaque R. II. dist. maj. Objectum necessarium, conc.; liberum, neg. Nulla enim facultas potest naturaliter intueri, quod pro lubitu voluntatis potest abscondi: atqui Deus libere

bere movet potentiam: ergo si nolit, nusquam videri potest, ut supra dictum est (*a*).

Dices cum Tournelyo. Ex hac R. sequitur, impotentiam intuitivæ visionis totam esse ex parte objecti, non ex parte potentiæ. Sic objectum longe dissitum non videmus defectu præsentiæ, non defectu potentiæ: atqui intellectus est per se impos: ergo &c.

R. neg. min. Non enim admittimus, ex parte intellectus, intrinsecam, & supernaturalem virtutem ab objecto distinctam ad intuitivam visionem, dummodo objectum intime præsens vivide excitet intellectum, ut videat; quam excitationem lumen gloriæ appellamus: si ergo Deus intime præsens excitet intellectum, sat est, ut Deum videat.

Ob. II. Potest homo finem suum naturaliter assequi: atqui Dei visio est hominis finis ultimus: ergo &c. R. dist. min. Est ultimus finis naturalis necessario mentem alliciens, & præmovens, neg.; supernaturalis ex Dei beneplacito, & libere excitans, movensque rationem, conc. (*b*).

Dices. Naturaliter appetitur beatitudo: ergo &c. R. I. aliqui dist. antec. Beatitudo naturalis, quæ in perfecta cognitione abstractiva Dei sita est, conc.; supernaturalis, & intuitiva Dei visio, neg. Hæc enim est gratiæ beneficium, & Dei munus liberrimum.

R. III. Alii neg. conf. Licet enim quisque innatum habeat intuitivæ visionis appetitum, is tamen expleri nequit, nisi gratiæ cælestis auxilio ad tantam sublimitatem evehatur. Ita licet anima separata, cum sit forma corporis, naturaliter appetat ejus unionem, hæc tamen non naturæ viribus, sed sola Dei virtute obtineri potest: & quidem summa, qualis requiritur in resurrectione mortuorum. In horum ergo sententia concedo, ex cognitione abstra-

(a) *Vide Prob. III. hujus Prop.*
(b) *Vide Auctorem.*

abstractiva magis incitari mentem ad Dei visionem, ut docet S. Th. (a), sed nego tale desiderium posse absque supernaturali virtute satiari.

Ob. III. Affulget omnibus divinum lumen a Deo indistinctum, per quod de rebus mutabilibus judicamus: ergo Deum intuitive videmus.

R. dist. ant. Affulget obscure, ut idea exhibens incommutabilem veritatem, conc.; ut objectum claram Dei visionem excitans, neg. Nam Dei visio intuitiva, utpote rei simplicissimae, exgiit I. ut videatur divinitatis plenitudo tota simul, non per partes. Atqui lumen illud intime praesens per modum ideae, *ex parte* tantum exhibet divinitatem, ut nempe ad occursum unius creaturae de ejus, ex. gr., bonitate, ad occursum alterius, de ejus magnitudine judicemus &c.: ergo licet nobis adsit idea summi boni, & incommutabile lumen, non tamen illud intuitive videmus. *Ex parte enim cognoscimus*, ait Ap. 1. Cor. 13., & S. P. Tr. 35. in Jo. *Est quidem praesens divinus sol, sed radius per obliqua ad cor tenebrosum missus est.* II. exigit, ut caligines mentis abscedant, quod nonnisi in patria repromissum est. Tunc enim, non antea, *videbimus eum facie ad faciem & sicuti est.* Nunc autem, licet omnia in ejus lumine videamus, ipsum tamen videre non possumus: sicut in densa nubium caligine solis ope corpora cernimus, sed solis orbem non videmus (b).

Ob. IV. S. P. A. 10. C. D. 22. ait, solum peccatum caussam esse, cur Deum non videamus: ergo justus Deum naturaliter videret.

R. dist. ant. Caussam moralem, prout nos gratia exuit, per quam beatitudo comparatur, conc.; physicam, quae nos penitus privat intelligentia, quam Deus potest per gratiam ad se convertere, & lumine vultus sui perpetuo explere, neg. Adde per

(a) 3. c. *Gent.* 50. (b) *Vide Pomerium l.* 1. *Vit. Cont.* 2. *Thomassin. lib.* 6. 21.

per peccatum abſtractivam Dei viſionem pœnali cæcitate, quæ mentis aciem retardat, aliqualiter obnubilari. Fuit enim Adamo ante lapſum vis intelligentiæ ſplendidior.

Propositio II. Nequit a Deo produci creatura, quæ Deum naturaliter intueri poſſit.

Conſtat ex dictis, & prob. Ad intuitivam Dei viſionem requiritur, ut Deus ſit præſens per modum objecti: ſed nulla creatura, quantumvis perfecta, efficere poteſt, ut Deus ſibi præſens ſit per modum objecti, & ejus intellectum moveat, niſi velit: ergo &c.

Opp. Dari poteſt accidens ſupernaturale, ut gratia, & habitus theologalium virtutum: ergo dari etiam poteſt ſupernaturalis ſubſtantia: ſed hæc poſſet vi ſua Deum videre intuitive: ergo &c.

R. neg. conſeq. Accidens enim alteri inhæret, ſubſtantia vero eſt per ſe; illud ergo, licet ſupernaturale ſit, creatum eſt, quidquid enim in alio recipitur, creatum eſt; increatum enim, cum eſſe habeat a ſe, nullo indiget, in quo recipi debeat. Subſtantia autem, quæ ſupernaturalis foret, non haberet eſſe ſupernaturale in ſe receptum, & per conſ. per ſuum eſſe a ſubſtantia increata non diſtingueretur, quod eſt abſurdum: ergo &c.

CAPUT II.

An creatura ſupernaturali Dei lumine poſſit videre Deum, eumque comprehendere.

NOT. In oppoſitum Eunomianis errorem VII. Eccleſiæ ſæculo Armeni abiere, qui creaturam, neque ſuperno lumine, Dei viſione frui poſſe affirmarunt. His addi poſſunt Monachi Palamitæ, qui divinam eſſentiam, utpote inacceſſibilem, videri putabant a beatis tantum in quodam lumine increato, & a divinitate diffuſo, ipſis etiam corporeis oculis aſpectabili, ut ſol, in quem aciem figere non valemus, in radiis ab eo emiſſis conſpicitur.

Quod commentum sequenti capite refutabimus. Sit itaque

PROPOSITIO I. Intellectus creatus potest supernaturali lumine Deum intuitive videre.

Prob. I. Scripturis. Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* I. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem sicut cognitus sum.* I. Jo. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Matth. 18. *Angeli semper vident faciem Patris:* ergo &c.

Prob. II. ex PP. Irenæus l. 4. 37. *Homines*, inquit, *videbunt Deum, ille autem videtur a quibus vult, quando vult, & quomodo vult.* Clemens Alex. l. 5. Strom. *Mundi corde Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.* Nazianzenus Or. 20. ait: *A beatis Trinitatem videri purius, ac perfectius.* Idem docent Ambrosius (a), Gregorius (b), Prosper (c), Bernardus (d), & S. P. A. Ep. 112., ubi ait: *Si quæris quomodo dictus sit invisibilis, si videri potest? Respondeo invisibilem esse natura, videri autem cum vult, & quando vult.* Jure ergo a Patribus Florentinæ Synodi sess. 26., & a Benedicto XII. in Extravag. *Benedictus Deus*, definitum est: *Justorum animas, exutas corporibus, divinam essentiam facie ad faciem intueri:* ergo &c.

Prob. III. ratione. Potest homo per gratiam consequi finem suum, & beatitudinem repromissam: sed hæc est visio intuitiva: ergo &c. Conf. est Augustini l. 22. C. D. 29. *Præmium fidei vobis visio ista servatur.* Et I. Conf. 1. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te:* ergo &c.

Ob. I. Ap. I. Tim. 1. ait: Deum esse *invisibilem, inaccessibilem*, a nullo visum esse, nec videri posse: ergo &c. II. Jo. 1. 18. habetur: *Deum nemo vidit un-*

(a) *L. 3. Comm. in Luc.* (b) *L. 18. Moral. 28.*
(c) *De Vit. cont. c. 4.* (d) *Serm. 4. in F. omn. SS.*

unquam; & Matth. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius.* III. 1. Petr. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere;* non vident ergo, quod cupiunt: ergo &c.

R. Ad I. dist. ant. Ait esse invisibilem &c. vel corporeis oculis, vel naturæ vi, aut comprehensiva visione, conc.; absolute, nego. *Cum enim falsa esse nequeant hæc testimonia: Beati mundo corde &c. Et: Videbimus eum sicuti est; negare non possumus, filios Dei visuros Deum*, ait S. P. A. Ep. 3., ubi probat, Deum invisibilem, & inaccessibilem dici, quod non videatur, nonnisi oculis cordis. Ad II. dist. ant. *Nemo vidit, aut novit* cognitione perfecta, aut comprehensiva, conc.; nullimode, neg. Reapse soli Filio illa cognitio tribuitur, quia solus in paterno sinu consistens, perfectissime Deum novit; vel forte Judæos perstringunt Joannes, & Matthæus, qui Christum de cælo descendisse negabant iis verbis: *Nonne hic est filius Joseph? Quomodo ergo dicit, de cælo descendi?* Ad III. neg. cons. Nam si verba Petri referantur ad Christum, aut Spiritum sanctum, significant angelos de Christi glorificatione gaudere, neque anxietatis desiderio, sed completa satietate, quæ semper accenditur, Trinitatem intueri, ut exponit Gregorius (a). Si vero referantur, ad fidei sacramenta, quod græca, & syriaca lectio habeat, εἰς ἃ, *in quæ*, non εἰς ὃν, *in quem*, juxta latinas aliquas (b), tunc sensus est, angelos optare fidei incrementum, quod *magnum pietatis sacramentum*, ex I. Tim. 3., *Apparuit angelis, prædicatum est gentibus, assumptum est in gloria.*

Ob. III. Deus, utpote infinitus, nequit esse objectum finitæ potentiæ; non est enim inter finitum, & infinitum proportio: ergo &c.

 R. dist.

(a) *Hom.* 8. *in Ezech.* (b) *Ap. Ambrosium, Isidorum Pelus. Estium, Grotium &c.*

R. dist. maj. Nequit esse objectum potentiæ finitæ naturaliter operantis, conc.; supernaturaliter, neg. Deus ergo non est objectum intellectus naturaliter percipientis, sed, ut mens videat intuitive, divino indiget lumine, nedum illustrante, ut fit in visione abstractiva, sed etiam per modum objecti specialiter concurrente, & intellectum vivide excitante. Potest autem naturalis potentia auxilio gratiæ extra naturæ sphæram exire, sicuti potest credere, diligere, & vitam æternam promereri, quæ omnia excedunt naturæ ordinem.

Inst. Magis distat Deus ab intellectu creato, quam oculus corporeus ab angelo: sed oculus corporeus elevari nequit ad videndum Deum, imo nec angelum: ergo nec intellectus creatus.

R. I. dist. min. Non potest elevari &c. ratione distantiæ, seu finitatis, nego; ratione modi, quo objectum attingit, conc. Oculus enim elevari nequit, non quod sit potentia finita, aut distans a Deo, vel angelo; sed quia visus per se est sensus, ac perceptio in sola imagine, ac simulacro corporalis objecti, radiorum ordinata incidentia depicto, nervorumque motione ad mentem delato. Fit enim visio incisione, & refractione radiorum, per quam retinæ capillamenta, motuumque excitationes oriuntur, quarum occasione perficitur animæ sensus. At vero spiritalia, non ope simulacrorum, sed in seipsis, si adsint conspiciuntur. Censent tamen Maignanus, & Le-Grand, posse Deum, vel angelum corporeis oculis cerni, si illi omnes motus exerceant, quos oculi exercent, dum substantia corporea movetur, idest si Deus, vel angelus organum moveat, & lucem inflectat, ut faceret corpus assumptum. In quorum sententia.

R. II. Non repugnare, quin Deus videatur ab intellectu finito, licet sit infinitus, quia finito modo conspicitur, sicut videtur ab oculo, licet sit incorporeus, quia videtur modo corporeo. Neque ex hoc sequitur, Deum corporeis oculis videri posse

posse ut est in se; nam videre modo corporeo, non est in se videre, sed in simulacro, & imagine in retina depicta, ut dictum est.

Propositio II. Intellectus creatus Deum videns intuitive, nequit illum perfecte comprehendere.

Not. Comprehensionis nomine plenissimam cognitionem intelligi. *Aliud est enim videre*, ait S. P. Ep. 112., *aliud est totum videndo comprehendere. Id videtur, quod præsens utcumque sentitur. Comprehenditur autem, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem; sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspicere autem potest fines annuli tui.* Et serm. 38. de Verb. Dom. addit exemplum hominis, cujus videmus faciem, non dorsum, nec alia membra. Qui autem comprehendit, præter essentiam, omnes effectus inde manantes agnoscit, idest ea omnia, quæ *formaliter*, & *eminenter* in ea continentur, ex. gr. in sole, nedum lucem, sed aurum, lapides, & alia corpora, quorum habet vim effectricem, cognoscit. Ut itaque Deum quis comprehendat, opus est, ut præter naturam, ea omnia cognoscat, quæ ab eo intelligi, aut produci possunt. Sic enim comprehensionem explicant præter nostrates, Vasquelius, Petavius (a) &c.

Prob. I. Scripturis Job. 11. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies?* Rom. 11. *Incomprehensibilia sunt judicia ejus &c.* Ubi nota, nullibi Deum comprehensibilem dici, ut passim vocatur visibilis, qui alibi dicitur invisibilis: ergo Deus est natura invisibilis, visibilis gratia: comprehensibilis autem, nec natura, nec gratia. Hinc Lateranense Concilium cap. *Damnamus*, statuit, *Deum esse rem quandam incomprehensibilem.*

Pr. II. ex Patribus. Epiphanius Hær. 70. *Cum infinitum* (mens) *aspicit, non quatenus infinitum intuetur, sed quantum illius natura capere potest.* Quod

(a) *L. 7. c. 4.*

Quod probat exemplo hominis, qui cælum per foramen aſpiciens, nec altitudinem videt, nec extenſionem. Chryſoſtomus hom. 4. contra Anom. ait: *Dei exquiſitam comprehenſionem habere non poteſt angelus, aut ulla creatura.* S. P. A. Ser. 117. de Verb. Dom. *Si comprehendis, non eſt Deus; comprehendere enim omnino impoſſibile:* ergo &c.

Prob. III. ratione. Objectum comprehenditur, quando *nihil latet videntem* (*a*), & percipitur quidquid in re continetur, aut ab ea effici poteſt (*b*): ſed mens finita nequit percipere, quod in Deo continetur, aut ab eo fieri poteſt, cum nullus ſit divinæ potentiæ terminus: ergo &c. Deinde Ambroſius (*c*), Hilarius (*d*) &c. Verbi divinitatem demonſtrant, quia in eo eſt omnis ſapientiæ plenitudo: qui ergo ad hanc plenitudinem perveniret, eum Deum eſſe probari poſſet.

Ob. I. Beati, ex ſcripturis, Deum vident *ut eſt in ſe*, non *ex parte, ſed ſicut cogniti ſunt. Implentur in omnem Dei plenitudinem. Scrutantur quæ ſit latitudo, longitudo* &c.: ergo &c.

R. neg. conſ. Poteſt enim objectum videri in ſe, licet tota ejus latitudo non videatur, ſicut poteſt cælum per foramen videri. Poteſt etiam totum, & non ex parte videri objectum, nec tamen comprehendi, ſi videantur tantum, quæ ſunt in eo *formaliter*, non quæ *eminenter*, ut in Sole videtur lux, non aurum, plantæ &c. Poteſt etiam anima plenitudine felicitatis expleri, licet divinitatem non comprehendat, ſicut vas poteſt impleri, licet minimam capiat aquæ partem: ergo &c.

Ob. II. Beati ita vident Deum, ut nihil eos lateat: ergo comprehendunt. Prob. ant. Deus enim eſt res ſimpliciſſima: ergo videri nequit, quin tota videatur. R. diſt. ant. Nihil eos latet, quod eſt in

(a) *S. P. A. Ep.* 112. (b) *Vide not. præc.*
(c) *L.* 5. *de Fid. c.* 7. (d) *Lib.* 9.

in Deo *formaliter*, conc.; *eminenter*, neg. R. patet ex dictis.

Dices. Beati vident omnipotentiam Dei: sed hæc connotat possibilia omnia, quæ sunt in Deo eminenter: ergo &c.

R. dist. ant. Vident omnipotentiam in se, & *formaliter*, idest vim effectricem creaturarum, conc.; *eminenter*, idest omnes perfectiones, quæ a Deo produci possunt, subdistinguo: in communi, & confuse, conc.; in specie, & distincte, neg. Nam ut videas sapientiam, & providentiam, sat est intueri divinitatem, quæ intelligit, & operatur quidquid verum, aut bonum est: ut autem divinitatem comprehendas, opus est, ut clare percipias etiam objecta ipsa, & effectus, qui ad divinitatem referuntur.

CAPUT III.

De lumine gloriæ, quo creatura rationalis Deum intuitive videre potest.

Superno lumine indigere creaturam, ut Deum videre possit, expresse docuit Viennense Concilium contra Beguardos, & Beguinas dicentes, quod *creatura in se ipsa naturaliter est beata, quodque non indiget lumine gloriæ ad Deum videndum.* De natura ergo hujus luminis (quod Concilium caute omisit, ne fidei dogma scholarum placitis immisceret) agendum est.

Not. I. Gregorius Palamas, aliique Græci putabant, lumen gloriæ esse lucem increatam, a divinitate diffusam, ab eaque distinctam, & corporeis oculis aspectabilem, idque probare nitebantur I. ex Act. 4. Byzantinæ Syn. contra Barlaamum, & Acindinum celebratæ, ubi definitur, lumen transfigurationis dominicæ increatum esse, & a Dei substantia distinctum: quod monachi Thessalonicæ tam aperte monstrarunt, ut Barlaamus suam ignorantiam confessus, caussæ cesserit. II. Deus est invisibilis:

ſibilis: ergo videtur in lumine increato, quod a Deo emanat, ſed ab ipſo diſtinguitur. III. Nequit ſol ab oculo videri, niſi in radiis ab eo effuſis; qui enim propius accedit, exuritur: ergo nequit videri Deus, niſi in lumine a ſe fluente, & diſtincto. IV. Lumen gloriæ eſt regnum Patris: ſed hoc eſt æternum, & increatum: ergo & lumen gloriæ.

Cum fictitium hoc lumen ſupra fuerit exploſum *a*), reliquum eſt, ut Græcorum argumentis occurramus.

R. ad I. Byzantinam Syn., utpote a Græcis ſchismaticis habitam, non eſſe œcumenicam (1). Neque eam conſtat, præſente Barlaamo, quidpiam de increato lumine ſtatuiſſe: fallitur ergo Cantacuzenus, dicens, Barlaamum a Palama convictum, ſuam ignorantiam confeſſum eſſe; Gregoras enim ſcribit, Imperatorem vetaſſe, ne de rebus dogmaticis ageretur, & Barlaamum, abſoluta Synodo, in Italiam rediiſſe. Ad II. R. argumentum nimis probare, nempe divinitatem in ſe videri non poſſe, quod Propoſ. I. cap. præc. rejecimus. Ad III. neg. ſuppoſitum; non enim operationes Dei a divina ſubſtantia realiter diſtinguuntur, ut ſplendor ſolis a ſole. Ad IV. conc. argumentum; nam regnum æternum eſt Deus ipſe, qui Abrahæ dixit: *Ego ero merces tua magna nimis.*

Not. II. Communior ſcholarum ſententia eſt, lumen gloriæ eſſe qualitatem, & habitum ſupernaturalem a Deo infuſum intellectui beatorum, quo elevatur ad intuitive videndum Deum. Quod ſic probant.

(1) Qui probe novit quanta eſſet apud Græcos morum, doctrinæque corruptio, quo tempore hæc Pſeudoſynodus coacta eſt, facile intelliget, quo in pretio illius definitiones habendæ ſint. Præſertim cum conſtet ex dictis, eas & ſacris literis, & rationi ipſi adverſari.

(a) *Prop. III. cap. IV. Lib. II.*

bant. I. Lumen gloriæ ita permanet in beatis, ut fides, ſpes &c. in viatoribus: ſed hæ ſunt habitus, & qualitates creatæ a Deo infuſæ: ergo & illud. II. Lumen gloriæ requiritur ex parte potentiæ, quæ perfici debet, & ad actum viſionis expediri: ſed intellectus a Deo perficitur per creatam qualitatem: ergo &c. III. Lumen gloriæ nec Deus eſt, nec ipſa viſio; non I., non enim negabant Beguardi, ad beatam viſionem Deum intervenire: non II., quia Viennenſis Synodus lumen exigit ad viſionem Dei, proindeque hanc ab illo ſecernit: ergo &c.

Creatum hoc lumen adeo neceſſarium putant Thomiſtæ, & Ægidiani, ut ſine illo divinam ſubſtantiam neque divinitus videri poſſe arbitrentur. Ajunt enim I.: Non poteſt corporeus oculus ſolem abſque ejus lumine videre: ergo nec mens poteſt ſine lumine gloriæ videre Deum. II. Uberior concurſus a Scotiſtis inductus, nihil ponit in potentia, ſed tantum influit in actum: ergo præter ipſum requiritur ſuperinfuſa aliqua virtus creata: ſed hoc eſt lumen gloriæ: ergo &c. III. Licet Deus ſupplere poſſit efficientiam cauſſæ ſecundæ, v. g. lucem ſine ſole producere; non poteſt tamen efficere, ut ſol illuminet ſine intrinſeca virtute illuminandi: ergo nec poteſt efficere, ut intellectus Deum videat ſine virtute luminis gloriæ.

Not. III. Maignanus (*a*), aliique, quibus perſuaſum eſt, a D. Thoma claram imaginem, aut ſimilitudinem Dei, quæ ſit creata, nullibi admitti (per hanc enim, utpote inferioris ordinis, nequeunt ſuperiora cognoſci, ſicuti per ſpeciem corporis, aut hominis ſpiritus, aut angelus nequit intelligi) putant, lumen gloriæ eſſe eandem ſpeciem Dei impreſſam, nempe divinam eſſentiam conjunctam cum intellectu creato objective. Si enim ſpecies coloris eſt lux ſuis radiis retinam feriens, quod

(a) *Phil. ſacr. c. 15. Prop. 7.*

quod dicitur *ſpecies intentionalis*: erit ergo lumen gloriæ ipſa lux divinitatis menti beatorum conjuncta. Sic cenſet, oppoſitas conciliari doctorum ſententias, quorum alii docent, lumen gloriæ ſe tenere ex parte objecti, alii ex parte potentiæ; cum enim ſit conjunctio divinæ eſſentiæ cum intellectu, objectum & potentiam ſimul importat.

Ab hac ſententia non multum abeſt Petavius l. 7. c. 8., ubi notat I., a nemine demonſtratum, qualis ſit hæc actuoſa facultas, qua ad videndum Deum ſpiritalis natura fulcitur. II. ex veterum doctrina ad objectum potius, quam ad intellectum illam referri. Nam veteres lucem illam Deum ipſum intelligunt, ut Plotinus Enn. 5. l. 3. *Hic verus eſt*, inquit, *animæ finis, lumen illud attingere, & per ipſum, ipſum intueri, non alterius lumine contueri* &c. Idem habet S. P. de Peccat. mer. 19. Petavius ergo non aliud lumen agnoſcit, niſi Deum. Hoc tamen inquirendo, non definiendo ſcribit.

Not. IV. Thomaſſinus (*a*) opinatur lumen gloriæ ipſam eſſe Spiritus ſancti perſonam, beatorum mentes illuſtrantem, quod probat ex Baſilio (*b*), & Nyſſeno (*c*), qui docent, Spiritum ſanctum eſſe lumen illud Pſal. 35. *In lumine tuo* &c. Addit ex laudatis Patribus, quod ſicuti Patrem videre non poſſumus, niſi per Filium, ita nec Filium, niſi per Spiritum ſanctum, quem Filii imaginem vocat Athanaſius (*d*), & Cyrillus Alexandrinus (*e*). Si patet, cur beati Deum videant, cum Deus nonniſi a ſeipſo videri poſſit; quia nempe vis, qua videtur, eſt Spiritus ſancti ſpecies; in qua videtur, eſt Filius. Mens autem ſub hac ſpecie, & in hoc lumine deliteſcens, Deum videt. Hæc ille tom. I. Th. dogm. p. 392.

Not. V. Nullam ex laudatis ſententiis difficultate

(a) *L. 6. c. 16.* (b) *De Sp. S. c. 18.*
(c) *Or. in S. Steph.* (d) *In Epiſt. ad Serap.*
(e) *L. Theſ. 33.*

tate carere. I. in eo vera eſt, quod lumen gloriæ conſtituit in habitu, & qualitate ſupernaturali potentiam elevante; ſed in eo, quod naturam hujus habitus ſtatuit in entitate a mente diſtincta, mihi non probatur. Nulla eſt enim entitas adeo efficax, quæ inter creaturam, & Deum adæquationem inducat. Si enim nunc eget mens increato lumine ad judicandum (*a*), quanto magis ſuperno, & increato indigebit, ut in ſe videat incommutabilem veritatem? Maignani opinio in eo placet, quod lumen gloriæ a Dei natura non ſecernit: ſed luminis gloriæ munus non ſatis exponit; ſicut enim gratia non eſt ſola unio deitatis per modum ſpeciei intelligibilis (hanc enim gratiam non negavit Pelagius), ſed opus eſt etiam qualitate ſupernaturali elevante intellectum, & voluntatem; ita ad Dei viſionem non ſat eſt unio objecti ad potentiam, niſi addatur qualitas, & habitus ſupernaturalis. Deinde etiam Beguardi dicentes, naturaliter videri Deum, hanc unionem neceſſario admittebant, & tamen lumen gloriæ negabant: ergo &c. Idem dicimus de Petavii ſententia, qui lumen gloriæ ad rem ſubjectam, non ad potentiam admiſit. Thomaſſini opinio falſa eſt; nam tota Trinitas eſt unum inacceſſibile lumen, neque de Patris ſplendore ſeparari debet Filius, aut Spiritus ſanctus, ut docet S. P. A. (*b*); ſi ergo Pater proprio lumine non videtur, nec videbitur lumine Spiritus ſancti, cum ſint unum, & idem. His prænotatis ſit

Propositio. Lumen gloriæ eſt ipſe Deus, ſive divinum, & increatum lumen beatorum menti affulgens, ſuoque fulgore imprimens illi qualitatem, & habitum, qui non eſt entitas realiter ab anima diſtincta, ſed ejus ordo, affectio, & modificatio (1).

(1) Hanc theſim in ſchola Ægidiana propugnari non poſſe, ſcribit cl. Auctor in ſchol. c. 3. l. 3. Ve-

(a) *Vide Lib. I.* (b) *Lib. 20. contra Fauſt.*

Prob. I. pars Scripturis. Pſ. 35. habetur: *In lumine tuo videbimus lumen.* Iſ. 60. *Non erit tibi amplius ſol, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Apoc. 21. 23. *Civitas non eget ſole, nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt agnus:* quibus verbis lumen gloriæ deſignari, fatentur omnes. Atqui non aliud ibi lumen innuitur, niſi Deus, & agnus, ideſt Verbum Patris: ergo ipſe Deus eſt lumen gloriæ.

Prob. II. ex Patribus. Auguſtinus de Mor. Eccl. 11. ait: *Ille namque ipſum lumen eſt, nobis autem ab eodem illuminari licet.* Et de Gen. ad Lit. *Aliud eſt autem ipſum lumen quo illuſtratur anima, ut omnia vel in ſe, vel in illo conſpiciat. Nam illud ipſe Deus eſt, hoc autem creatura.* Pſ. 35. *Si lumen eſt, oculos meos parem.* Lib. I. de Pecc. m. 19. *Si percepto baptiſmo, de hac vita migraverit, perficietur in illo lumine veritatis, quod immutabiliter manet in æternum.* Ubi fruſtra Petavius ſcribit (a), aliquod a divina eſſentia diverſum intelligi; quod enim

Venet. edit., ubi inter alia hoc argumentum profert: lux increata eſt objectum viſionis beatificæ; lumen vero gloriæ ejus fulcrum, & adjumentum: atqui objectum ab ejus medio ſecerni debet, alias ad Dei viſionem neceſſarium non eſſet lumen gloriæ, quod a Viennenſi Synodo proſcriptum eſt: ergo &c.

Hoc tamen non ſecus ac alia, quæ ibi proferuntur, quæque contra Maignani placita urgeri poſſunt, aſſertionem noſtram non evertunt, ut ex infra dicendis probatione II. ad R. Adverſariorum, & in R. ad ob. ult. planum fiet, ubi lucem objectivam ab ea, quæ potentiam attingit, re non ſecerni oſtendemus, atque eandem eſſe divinam lucem, quæ videtur, & in qua videtur, perſpicue declarabimus. Vide R. ad Inſt. 2. ob. 1. c. 1. l. 1.

(a) *Lib.* 16. *c.* 8.

enim *immutabiliter manet*, est ipse Deus: ergo &c.

R. Patroni luminis creati, loca laudata de luce objectiva esse exponenda, non de ea, quæ perficit potentiam. Sed constat ex dictis, utramque esse eandem divinam lucem, quæ videtur, & in qua videtur, quæ conspicitur, & illuminat: ergo non differt lux objectiva ab ea, quæ potentiam attingit.

Prob. III. ratione. Lumine gloriæ opus est, ut mens creata, & finita elevetur ad objectum supernaturale, & infinitum. Sed hoc fieri nequit creato lumine; Deus enim omnem creatam potentiam supergreditur: ergo &c. II. Ex quo per similitudines rerum inferiorum nequeant superiora repræsentari, recte probat S. Thomas *a*), impossibilem esse speciem impressam creatam, Deum exhibentem ut est in se; ergo ex quo lumine inferioris ordinis superiora videri nequeant, ex. gr. candelæ lumine cælum, aut angelus, sequitur, impossibile esse lumen creatum, quo Deus videatur ut est in se. III. Lumen gloriæ mentem illustrat, movet, ac perficit: sed hæc omnia præstat solum lumen divinum, cum omnem in se virtutem, & perfectionem contineat: ergo &c. Non sufficit tamen sola præsentia increati luminis, sed requiritur etiam qualitas, & habitus: I. quia ex definitione Synodi Viennensis debet potentia elevari. II. Cum Deus ubique sit, nobisque *intimior intimo nostro* ex Augustino, quilibet viator, & etiam damnatus videret Deum, si sola præsentia visionem efficeret. III. Mens Deum videndo perficitur, & movetur; sed neutrum præstat sola præsentia: ergo &c.

Ad I. argumentum communis sententiæ R., habitum fidei &c. esse qualitatem creatam, & infusam, non quod sit entitas distincta ab anima, sed affectio, & quasi impressio divinæ virtutis, ut imago

(a) 1. *P. q.* 12.

go sigilli est ceræ dispositio, & affectio. Est ergo lumen gloriæ, & lumen increatum, & qualitas. Primum, prout mentem illustrat; secundum, prout est mentis affectio, quam efficit divinum lumen. Sic solis radii sunt simul, & lumen, & *species intentionalis*: lumen, prout illuminant oculum; species, prout feriunt retinam, & axem opticum imprimunt. Ad II. R. lumen gloriæ se tenere etiam ex parte potentiæ; non enim videretur objectum intime præsens, nisi se se in mentem imprimeret. Ad III. R., quod lumen gloriæ est quidem Deus menti affulgens, sed etiam animam afficiens, & illustrans. Jure ergo proscripti sunt Beguardi, quod vellent, solo naturæ lumine, non increato, & divino, videri Deum.

Ita conciliantur discrepantes theologi, quorum aliqui negant, absque lumine gloriæ Deum in se absolute videri posse, affirmantibus aliis. Potest enim videri sine lumine creato, & qualitate distincta realiter ab anima; nequit autem absque intima præsentia Dei moventis, & elevantis. Ad Maignani argumentum respondetur, lumen gloriæ esse divinam essentiam unitam menti beatorum, sed addi debet dispositio, & qualitas a Deo movente, & operante, quo sensu PP. testimonia a Petavio laudata exponi debent. Ad Thomassini placita.

R. Spiritum sanctum lumen gloriæ dici, quia hoc spectat ad gratiam, cujus ope fiunt opera supernaturalia. Nam Spiritui sancto tribuuntur dona gratiarum; sed sicut lumen, quod videtur, non est solus Spiritus sanctus, ita lumen, quo videtur, non est solum Spiritus sancti auxilium.

Opp. Visio beatifica est actio immanens vitalis: sed hæc requirit principium intrinsecum animæ inhærens, quod nequit Deus esse, cui repugnat inhærere: ergo &c. Confirmatur: etenim ad amandum Deum supernaturaliter requiritur in voluntate gratia intrinsece animæ inhærens: ergo &c.

R. dist. min. Requirit principium intrinsecum, quod

quod ſit forma, & qualitas diſtincta ab anima, nego; quod ſit ipſa anima cum intima Dei præſentia illam movente, & adjuvante, conc. Ad confirmationem dicimus, quod ſicut lumen gloriæ eſt Deus mentem illuſtrans, & voluntatem inflammans ad videndum, & fruendum Deum; ita gratia eſt Dei miſericordia ſanctam cogitationem, & bonum voluntatis motum operans: ſicque tam lumen gloriæ, quam gratiæ auxilium increatum dicitur, & creatum; primum, prout eſt Deus ipſe animæ illapſus, ſecundum, prout eſt animæ elevatio, ac motio, ut ſupra dictum eſt (a).

CAPUT IV.

De fide aliquorum Patrum circa poſſibilitatem intuitivæ Viſionis.

NOT. I. Chryſoſtomus ſcribens contra Eunomium, & Aetium, ait, Dei naturam adeo ſublimem, & impenetrabilem eſſe, ut angelorum ſuperet intelligentiam. Hinc Græcis monachis anſa facta eſt aſſerendi, Deum non in ſe videri, ſed in effluvio divinitatis. Cenſet Vaſqueſius (b), Chryſoſtomum, alioſque Patres vix poſſe excuſari. Dubitatur præcipue de Hieronymo, & Theodoreto, ſed hos quoque defendunt Sixtus Senen. (c), Velloſillus (d), Alexander (e), Dupinius (f), Petavius (g), & etiam Capiſuccus (h), aliique.

Not. II. Ut Patrum mens percipi valeat, videndum eſt, qua occaſione, & quibus hæreſibus emergentibus ſcripſerunt; nam aliquando in extremas partes declinaſſe viſi ſunt. Sic Cyrillus Neſtorium exagitans ad Eutychianos deflectere Joanni Antio-

(a) *Vide Auctorem.* (b) *Diſp.* 37. c. 2. & 3.
(c) *Lib.* 6. *Bibl. an.* 182.
(d) *In advert. ad T.* 1. *Chr.* q. 5.
(e) *Sæc.* 4. c. 5. *art.* 30. (f) *T.* 3. *Bibliotk.*
(g) *Lib.* 7. c. 5. & 6. (h) *In controv.*

cheno visus est: & S. P. originale peccatum, & gratiam Christi prædicantem, ad Manichæos defecisse Pelagiani criminabantur. Patres ergo orta Aetii, & Eunomii hæresi invisibilem Deum esse clamabant. Sit itaque

Propositio I. Chrysostomus non visionem Dei in se, sed solam comprehensionem negavit.

Prob. ex ipso Chrysostomo. Nam hom. 3. ad Phil. ait: *Justi cum rege sunt non per fidem, sed facie ad faciem.* Et Paren. 1. ad Theod. *Quid dicemus, quando intueri licebit ipsum regem, non per speculum, sed facie ad faciem?* In Or. S. Phil. *Hic quidem*, ait, *nemo Deum vidit, illic autem perpetuo vident.* Addit etiam hanc regulam: *Quoties audis Deum nullum vidisse, intellige, nullum esse, qui Dei substantiam exquisita ratione perceperit*, cognitione nempe infinita, quam de Patre habet Filius, ut docet hom. 14. in Jo. Ex quibus sic arguitur: Qui ait, justos videre Deum facie ad faciem, nec tamen exquisitam habere cognitionem, quam de Patre habet Verbum, is non impugnat visionem intuitivam, sed comprehensivam: sed hoc docuit Chrysostomus ex dictis: ergo &c.

Ob. I. Chrysostomus hom. 23. in Gen. ait: *Divinæ gloriæ majestatem, neque Cherubim, neque Virtutes videri possunt.* Et Hom. 14. *Id quod est Deus, non modo prophetæ non viderunt, sed neque angeli &c.*: ergo &c.

R. neg. conf. Constat enim ex scopo S. D. hæc de comprehensiva visione esse accipienda; nam hom. 14. ait: *Ipsam substantiam, qualis est, solus ejus unigenitus agnoscit, qui certam notionem, & comprehensionem habet.*

Inst. S. D. laud. hom. 14. ait: *Si* (angelos) *percontaberis, nihil ab his de divina substantia audies, sed tantum referentes, gloria in excelsis* &c.: sed si angeli viderent Deum intuitive, aliquid dicere possent: ergo &c.

R. dist. min. Possent aliquid dicere, quod per-

fecte

fecte notitiam adæquet, quam de Patre habet Filius, neg.; imperfecte, subdistinguo: quia Deum non vident, nego; quia verbis exprimi nequit, conc. Plura enim vidit Paulus, *Quæ non licet homini loqui.* Urget enim S. D. Eunomianos, qui Dei naturam unico vocabulo exprimi posse jactabant.

Inst. Vasquesius. Non ita erant insani Anomæi, ut sibi comprehensivam visionem arrogarent: ergo &c.

R. neg. ant. Nam de Eunomio ait Chrysostomus hom. 11. *Ausus est dicere, Deum novi, ut ipse Deus seipsum novit.* Et Hieron. in Matth. 11. *Erubescat Eunomius tantam sibi notitiam vindicans Patris, & Filii, quantam alterutrum in se habeant.*

Ob. II. S. D. cognitionem angelorum revelationem, & indulgentiam appellat, qualis est cognitio prophetarum: ergo &c.

R. dist. ant. Prout est gratiæ donum, non naturæ, ut Anomæi jactitabant, conc.; prout est obscura aut ænigmatica, neg. Est enim cognitio angelorum gratiæ donum, sed fide & prophetia longe præstantius.

Ob. III. Chrysostomus ita loquitur de intellectu, ut de oculo corporeo: sed hic Deum non videt: ergo nec ille.

R. dist. ant. Ita loquitur, idest eandem vim tribuit sensibus, ac menti, neg.; idest censet Deum infinitum finita mente comprehendi non posse, sicuti sensibili specie exhiberi non potest, conc.

Ob. IV. Hom. 4. ait, Deum visum ab angelis solum post assumptam humanitatem: ergo &c. R. dist. ant. In forma servi, conc.; in forma Dei, nego.

Propositio II. Immerito Theodoretus erroris arguitur circa intuitivam Dei visionem.

Prob. ex comment. ep. ad Eph., ubi Theodoretus hæc habet: *Nunc per fidem ambulant, non per speciem, tunc autem videbunt facie ad faciem.* Et in

Vit. S. Jacobi Anach. ait: *Plures Sanctorum reliquias in arca reposuit, cupiens cum eis resurgere, divinoque aspectu potiri*: ergo &c.

Ob. I. Theodoretus in Dial. Atrept. ait: *Impossibilis est etiam angelis divinæ naturæ contuitus.* Et 14. Ep. 1. Cor. *Videmus autem ejus, non quæ sub aspectu non cadit naturam, sed eam, quæ de nobis sumpta est*: ergo &c.

R. dist. ant. *Impossibilis est* &c. corporeis oculis, ut putabant Eutychiani, conc.; oculis mentis, subdistinguo: Exquisitus & plenus, qualem jactitabant Anomæi, conc.; pro modulo nostræ mentis, neg. Traditur prima pars distinctionis a Theodoreto in dialogo supralaudato, ubi postquam scripturis docuit, Deum *in terris visum esse*, & *in carne manifestatum*; ait: *Per hanc apparuit natura, quæ cerni non poterat, per hanc visus est angelis.* Hi nempe post incarnationem viderunt Deum humanitate indutum, qui non poterat divinitate comprehendi, ut dictum est supra.

Porro solam comprehensionem, quam sibi Anomæi arrogabant, angelis denegare Theodoretum, constat ex eodem dialogo, ubi ait: *Sic ergo de angelis intelligamus, quod semper vident faciem Patris, non vident divinam substantiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi potest.* Et in I. Cor. loquitur de Christi humanitate, cui illud Apostoli aptatur: *Videmus nunc per speculum* &c. Cupimus enim videre facie ad faciem Jesum Christum, quem per ænigma adoramus velatum sub speciebus in sacramento. Hinc ait apostolus, *Cupio dissolvi* &c.

Ob. II. In Comm. ep. ad Eph. Theodoretus loquitur etiam de humanitate Christi; ait enim, *Videbunt naturam pro nobis assumptam ab omni creatura adoratam*: ergo &c.

R. dist. ant. Loquitur de humanitate Christi tam fidelibus quam infidelibus aspectabili in die judicii; conc.; exclusa a justis visione intuitiva, neg.: distinguit ergo Theodoretus, & quod justi videbunt,

bunt, & quod fideles simul, & infideles videbunt. *Fideles*, ait, *vident per speculum* &c. *tunc autem videbunt facie ad faciem.* Et statim subdit: *Fideles, & infideles videbunt naturam ex nobis sumptam*: ergo fideles, & justi, præter sumptam a nobis naturam, divinam quoque videbunt.

Propositio III. Hieronymus intuitivam Dei visionem possibilem censuit.

Prob. ex Comm. in 1. Is. c. 5., ubi ait: *Angeli etiam minimorum semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in angelos profecerimus. In his verbis*, ait S. P. A. Ep. 112., *multa consideranda sunt. I. Quia & ipse* (Hieronymus) *sentit tunc nos visuros faciem Dei, cum in angelos profecerimus, quod erit in resurrectione mortuorum.*

Dices. Hieronymus ibidem ait, *Faciem Domini secundum naturæ proprietatem a nulla creatura videri*: ergo &c.

R. dist. ant. Non videri plena, & exquisita cognitione, quæ Dei infinitatem adæquet, conc.; nullo modo, nego.

Hæc autem, aliaque apud Patres tribus modis exponi possunt. I. De oculis corporeis, quibus est omnino invisibilis spiritalis substantia: *Videri enim, & videre corporum res est*, ait Orig. 1. Per. *cognosci, & cognoscere intellectualis naturæ.* II. De comprehensione, de qua ait S. P. *Ideo Deum nemo vidit unquam, quia plenitudinem divinitatis nemo conspexit.* Hoc sensu Chrysostomus, & Theodoretus Deum invisibilem prædicant. III. De statu hujus vitæ, maxime naturæ viribus (a). Traditur hæc triplex via a Sixto Senensi (b), qui eam accepit a S. Thoma, is autem ab Augustino. Primum ex Ep. 114. (c) 5. ubi ait: *Corporalibus oculis non quæritur.* Secundum ibid. c. 6. *Plenitudinem divinitatis nemo comprehendit.* Tertium c. 14., ubi docet

(a) *Vide Cap. I.* (b) *Lib. 6. Bill.* (c) *Alias* 112.

cet Deum *invisibilem esse natura*, *videri autem, cum vult, sicut vult*. Ita Ambrosii, Eucherii, Anastasii, Theophylacti, Euthymii, aliorumque, sensa facile intelliges (1).

CAPUT V.

Exponitur vera Augustini mens de visibilitate Dei per oculos corporis.

NOT. I. Corporeis oculis Deum esse invisibilem docent theologi omnes, & quidam mirantur in re tam clara dubium fuisse Augustinum. Imo Petavius (*a*) asserit, Augustinum ne tolerabilem quidem opinionem explicare. Nos autem cum Thomassino (*b*), Juenin (*c*), Gotti (*d*), Tournelio (*e*), Habert (*f*), Boucat (*g*), aliisque pronunciamus, S. P. a communi sententia non recessisse, eamque invicte firmasse.

Not. II. In eo sitam esse corporeæ visionis naturam,

(1) Quidam in suspicionem adducunt etiam Isidorum, Epiphanium, Basilium, Cyrillos duos, Nyssenum &c.; sed eos de comprehensiva visione accipiendos ex scopo verbisque colligitur. Isidorus enim negat tantum *Dei essentiam plene videri posse*. Epiphanius rejicit visionem, quæ est *speculationis infinitas*. Basilius eam negat, qua Filius, & Spiritus sanctus Dei substantiam *penitus comprehendunt*. Cyrillus Hierosolymitanus Dei visionem admittit, sed pro *mensura cujusque ordinis*. Cyrillus Alexandrinus, & Nyssenus negant Dei comprehensionem. Ille enim utitur Verbo περιδράττεσθαι, *circumplecti*, iste vero περιλαβεῖν, *undique comprehendere*: ergo &c.

(a) *Lib.* 7. *Th. D. t.* 2. *n.* 3. (b) *Lib.* 6. *c.* 15.
(c) *Diss.* 4. *a.* 3. (d) *De Vis. Dei q.* 1.
(e) *Qu.* 10. *a.* 1. (f) *Cap.* 14. §. 4.
(g) *T.* 2. *Diss.* 1. *a.* 1.

turam, ut anima se se convertat ad contemplandam rem objectam, non in se immediate, sed in imagine, quam radii a singulis objectorum punctis prodeuntes, & in tunicas, & humores inflexi pingunt in retina. Visio ergo exigit, ut exteriora objecta cernantur, eaque partibus singulis, veluti pennicillis in oculi fundo exaratis, non in se inspiciantur; id enim si fieret, non sensus, sed intellectio haberetur. Eadem enim mens & sentit, & intelligit. Sentit, & videt per oculos, dum per radiorum impulsum fertur in simulacra vi exteriori depicta; intelligit, dum ad internas ideas convertitur.

Not. III. Ætate Augustini nonnullos putasse, Deum in altera vita corporeis oculis visum iri, eamque opinionem S. P. ep. 92. a) dementiam appellasse. Quod ægre ferens quidam episcopus asseruit, carneos oculos post resurrectionem spiritales evasuros, & ad Dei visionem idoneos. Augustinus ergo studio pacis, data ad Fortunatianum ep. 148. b), veniam petiit, si quid acerbius exciderit, repetens tamen, Deum, utpote incorporeum, corporeis oculis esse invisibilem. An vero post resurrectionem spiritalia evasura sint corpora (quam opinionem priori tolerabiliorem pronunciat idem S. P., *Quia conatus mentis utcumque ferendus est volentis corpus convertere in spiritum, non in corpus Deum*) non hoc ipse definit: imo ad id refellendum invicta argumenta suppeditat. Vide etiam ep. 147. & l. 22. C. D. 29., ubi pariter in negativam sententiam inclinat. Duplex ergo distinguenda est quæstio: I. An Deus videri possit corporeis oculis, quam S. P. semper negative substinuit. II. An corpora resurgentium spiritalia futura sint, quam non definit, sed in negativam sententiam propendet. Sit ergo

Propositio I. S. P. A. non dubitanter, sed assertive,

(a) *Alias* 6. (b) *Alias* 111.

ſertive, Deum inviſibilem eſſe corporeis oculis pronunciavit.

Prob. ex ipſo Auguſtino, qui 1. Trin. 6. ait: *Videri autem Trinitas humano viſu nullo modo poteſt.* Et Lib. 8. c. 4. *Non enim eſt corpus, ut carneis oculis inquiratur.* In ſerm. D. in m. cap. 2. *Quam ſtulti ſunt*, ait, *qui Deum iſtis oculis quærunt.* Ep. 92. ad *Ital.* (a): *Deus eſt lux mentium, non iſtorum corporis oculorum. Hoc autem oculus videre corporis, neque nunc poteſt, neque tunc poterit.* Ibidem fidei merces viſio Dei promittitur, quæ ſi per corporeos oculos erit, fruſtra ad eam ſanctorum animus exercetur. Quam ſententiam ita firmiter retinuit S. P. ut in ep. ad Fortunatianum veniam quidem roget, ſi quid durius exciderit, ſed eam, inquit, *ſcripſiſſe non pœnitet, quia dixi corporeos oculos nec videre Deum, nec eſſe viſuros, ne Deus ipſe corporeus eſſe credatur. Et ne illud facie ad faciem ſic accipiatur, tamquam membris corporeis terminatus ſit Deus:* ergo &c.

Propositio II. S. P. A. omnia ſcholaſticorum argumenta, & alia clariora pro hac ſententia ſuppeditat.

Prob. Scholaſtici enim urgent ſacras litteras, ſanctos Patres, & rationes. In ſcripturis Deus dicitur *inviſibilis*: atqui non eſt *inviſibilis* mente: ergo eſt inviſibilis oculis corporis. II. Sancti Patres Ambroſius, Hieronymus &c. id expreſſe teſtantur: ergo &c. III. Rectæ rationi adverſatur, ſpiritalia eſſe objectum corporalis potentiæ. Atqui hæc etiam docuit S. P.: ergo &c. Prob. min. In ep. ad Ital. ad locum 1. Tim. 6. *Lucem inhabitat* &c., ait, *Videri ab homine non poteſt, per quod videt homo corpore corpora. Nam ſi mentibus piorum eſſet inacceſſibilis, non diceretur*, Pſalmo 33. *Accedite, & illuminamini.* Ita etiam exponit alia loca ep. 147., & 148. Ex Patribus laudat ibidem Am-

(a) *Al.* 6.

Ambrosium in Luc. lib. 1. cap. 3., ubi ait: *Nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur* &c. (a). Laudat etiam ibidem Hieronymum, scribens, *S. Hieronymus ait: Videre Deum sicuti est in natura sua oculus hominis non potest.* Et num. 9. *Alio loco dicit, non solum Patris divinitatem, sed nec Filii, & Spiritus sancti posse oculos carnis aspicere.* Ibidem enim tres affert rationes validissimas. *Omne quippe, quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum . . . non ita est Deus invisibilis* (b): ergo Augustinus omnia argumenta pro hac sententia suppeditat.

Imo quædam clariora producit. I. ab oculi natura, quæ attingit exteriora objecta in imagine radiorum ope depicta, non in se immediate, ut intellectus. Ait enim ep. 148. *Corporis oculos dixi non visuros Deum, quod non possunt cernere, nisi corpora, quæ ab eis aliquo intervallo separata sunt.* Similia habet S. Fulgentius (c). Constat ergo Deum videri non posse corporeis oculis, quia præsens est menti. II. Utitur S. P. exemplis aptissimis. Primum petit ab aliis sensibus. Ait enim ep. ad Ital. *Cur solis oculis corporis hoc donum attributum est, non cæteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit auribus percipi, & halitus erit, ut sentiri possit olfactu?* Secundum petit ep. 147. ex caritate, *quæ nec in loco videtur, nec oculis quæritur, nec tactu tenetur, nec auditur affatu; quanto magis Deus ipse, cujus hoc pignus in nobis est?* Tertium petit ibidem c. 16. ex hac ipsa disputatione. Quærit enim a Paulina, an, quæ vera esse discernit, videantur mente, vel corpore? & ubi ostendit videri mente, non sensu, ait: *Iis ergo, quæ vides, perspectis, atque distinctis, attende, quæ credis in hoc ipso sermone.* Ex quibus verbis sic arguitur: si corporeis oculis Deus in se

(a) *Vide cap.* 11. 14., & 23. (b) *Vide ep.* 148.
(c) *Inquis.* 3. *Ferrandi.*

ſe videri poſſet, poſſet etiam tangi, olfactu halituque ſentiri, poſſet videri caritas, fides, veritas, & mentis perceptio, quæ ſolo animo concipiuntur: atqui Deus tangi nequit &c.: ergo nec corporeis oculis intueri: ergo S. P. multa argumenta pro hac ſententia ſuppeditat.

Propositio III. An corpora reſurgentium futura ſint ſpiritalia, alia quæſtio eſt, quam S. P. prudenter non definit.

Prob. I. ex ipſo Auguſtino ep. 147., ubi expoſita eorum ſententia, qui *talem ſperant ſpiritalis corporis qualitatem, ut etiam ipſa, quæ caro fuerat, ſpiritus fiat*, ait: *Si ita eſt, quantum diſtat a ſuperiori opinione, & quam ſit tolerabilius, etiamſi verum non ſit, puto facillime judicari, quia conatus mentis utcumque ferendus eſt, volentis corpus convertere in ſpiritum, non in corpus Deum, ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt, quia cum videbitur, ſpiritus eum, non corpus videbit.*

Prob. II. ratione. Qui enim ait, corporeis oculis Deum eſſe viſibilem, facit Deum per localia ſpatia diviſibilem cum Antropomorphitis: qui vero putat corpus ex animali reſurgere ſpiritale, ut ſpiritum videat, nil impium de Deo ſentit, nec eum ſpatio coarctat: ergo hæc quæſtio longe diſtat a priori. Prudenter ergo S. P. quæſtionem hanc mere philoſophicam in ſuſpenſo reliquit, quæ licet falſa ſit, non facile exemplis, & ſcripturarum auctoritate convellitur. Prudenter enim ſe gerit, qui hæreſim impugnans, philoſophicas quæſtiones aut omittit, aut in adverſarios detorquet: atqui S. P. A., negans viſionem Dei per oculos corporis, Antropomorphitas impugnat, & contra eos detorquet quæſtionem philoſophicam, quam non definit; ſi enim opus eſt (ait S. P.) corporeos oculos fieri ſpiritales, ut Deum videant, jam Deus non eſt corporeus: ergo &c.

Dices. S. P. A. ea de re ſcribens ep. 197., & l. 22. de C. D. 29., ubique nutat: ergo &c. R. diſt. ant.

ant. Nutat de quæſtione philoſophica, conc.; de dogmatica, nego. Cum enim contra illum ep. 197. Epiſcopus quidam Audianus muſſitaſſet, de quo aliam habet ad Fortunatianum plenam humilitatis epiſtolam, ne Audianus opponeret eorum ſententiam, qui putant Deum videndum oculis corporis, neve alio diſputationem averteret, reſpondet S. P., ne in horum quidem ſententia ſequi, Deum eſſe corporeum. Hi enim talem ſperant corporum qualitatem, ut *quæ caro fuerat, ſpiritus fiat.* Spiritus ergo, ait S. P., Deum videbit, non corpus: ſicque premit adverſarios, tum in propria, tum in aliena ſententia. Diſputat etiam de hac quæſtione l. 22. de C. D. 29., nec ibi eam definit, non enim ei occurrerunt certa exempla, aut teſtimonia ſcripturarum; negat tamen, corporeos oculos elevari poſſe ad Dei viſionem, niſi in naturam ſpiritalem mutentur, ſemper in quæſtione dogmatica conſtans, nutans de philoſophica.

Propositio IV. Licet S. P. non definiat quæſtionem de corpore ſpiritali, oſtendit tamen ſibi non probari.

Prob. I. Ep. 147. hanc ſententiam tolerabiliorem appellat Audiana, ſed falſam: *Etiamſi*, ait, *verum non ſit.* Et c. 22. ait, per eam, aut tolli naturam corporis, aut duplicari ſpiritus eſſentiam; *Si & corpus ſpiritus erit, aut ſi unus erit ſpiritus, metuendum eſt, ne corpora ſint omnino peritura.* In libris autem de C. D. ait: *Aut ergo per illos oculos ſic videbitur Deus, ut aliquod habeant menti ſimile, quod impoſſibile eſt oſtendere, aut ita Deus nobis erit notus, ut videatur ſpiritu a ſingulis nobis, videatur in ſe ipſo, videatur per corpora in omni corpore, quocumque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie pervenientе directi*, ideſt in effectibus, in quibus cauſſa cognoſcitur, ut ait D. Th. qu. 12., & S. P. ibid.

Adde, Auguſtinum ſcripturarum loca, quæ viſionem promittunt, non de oculis corporeis, ſed men-

mentis, ubique (*a*) accipere, unde sic arguitur. S. P. A. censet sententiam de corpore spiritali tolerabiliorem, sed falsam, tollere naturam corporis, esse intellectu difficiliorem, nec usurpandam in exponendis scripturis: ostendit ergo sibi non probari.

Dices, cur ergo ita est anceps? R. I. quia erat hæc plurium etiam catholicorum sententia. II. quia nihil putandum est Deo impossibile. III. ut erudiret nos, quomodo de aliorum sententia sit judicandum; a qua æquitatis regula quam longe abierint Vasquesius, & Petavius supra laudati, facile ex dictis potest intelligi.

Ob. I. Sæpe Deus Abrahæ, Jacob, & Moysi apparuit; & Job. 19. 26. habetur: *In carne mea videbo Deum:* ergo &c.

R. neg. conf. Nam vel Deus, vel angelus in assumptis corporibus Patriarchis apparuit: aliquibus etiam ex privilegio sine internuncio manifesta, non imaginaria revelatione locutus est: quod hebraica phrasi dicitur *facie ad faciem*. An vero quidam Deum viderint oculo mentis, infra videbimus. Job autem apposite ait, *in carne*, non *per carnem*, ut notat S. P., ad significandum, etiam qui modo purgantur, quorum typus erat Job, reassumptis corporibus, Dei conspectu fruituros. Potest etiam exponi ex Augustino de Deo incarnato, & humanitate Christi, aut de resurrectione mortuorum. Subdit enim Job, *rursus circumdabor pelle mea*, idest suscitabor in hoc eodem corpore, & hisce oculis aspiciam in novissimo die Judicem universorum Christum Deum.

Ob. II. Deus potest corporeum oculum movere localiter, ejusque nervum opticum excitare: ergo potest videri. R. dist. ant. Potest &c. non efficiendo aliquam imaginem sui, conc.; efficiendo, & imprimendo speciem, & imaginem, nego. Si enim Deus fibras oculi moveat, ea excitatione percipiet ani-

(a) *Ep.* 147. *n.* 37. & 39., & 1. 22. *C. D.* 29.

animus, esse aliquam moventem caussam, sed hanc non cernet; ubi enim radiorum flexione pinguntur rerum imagines, nullam potest ibi inspicere, nisi referentem corpora colorata (a).

Ob. III. Potest intellectus creatus objectum cernere increatum: ergo & corporeus oculus spiritale. R. neg. conf. Intellectus enim percipere potest quodlibet intelligibile, quod potest uniri menti, eamque illuminare; Deus ergo, qui est *lux vera*, licet infinitus, uniri potest humanæ menti, eamque præsentia sua illustrare. *Deo junctum est*, ait S. P., *quod intelligit Deum: intelligit autem rationalis anima Deum:* ergo &c. Contra per sensus potest quidem anima externa objecta corporea sentire, quæ cum non sint per se unita menti, sed separata, in imagine, aut specie exhibentur, ad quam anima se convertens, advertit in affectione corporis sui, cui est unita; quod non poterat lumine interiori percipere. Sed nequit Deus recedere ab anima, nec membrorum lineamentis finiri: ergo &c. *Corporis oculi*, ait S. P. ep. 148., *non possunt cernere nisi corpora, quæ ab eis aliquo loci intervallo separata sunt* (b).

Ob. IV. Aqua Baptismi gratiam caussat, & ignis corporeus spiritus torquet: ergo & oculus spiritum videt. R. dist. ant. Caussat gratiam physice, neg.; moraliter, conc. R. II. neg. conf. Oculus enim est caussa princeps, & vitalis, quæ virtute sua operatur; aqua vero baptismi, & ignis inferni sunt caussæ instrumentales, nec propria virtute operantur, sed Dei omnipotentia, cujus sunt instrumenta.

Ob. V. S. P. 22. C. D. 29. ait, quod oculi *longe alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea natura.* Et infra: *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, ut videant & incorporalia:* ergo censet S. P. Deum oculis corporeis videri posse.

(a) *Vide Prop. I. c. 2. ad 2.* (b) *Vide Prop. II.*

R. dist. ant. Censet absolute, neg.; in hypothesi quod corpus spiritus fiat, subdistinguo: Et eam hypothesim probat, neg.; in suspenso relinquit, conc. (a). Nam quod ajunt aliqui, Aug. ibi quæstionem dirimere, ut in 11. Retract. 41., id plane nihil est: isthic enim quæ scripsit in lib. *De videndo Deo*, censet quidem, non retractat. De spiritali corpore in lib. de C. D. egisse fatetur; sed hanc quæstionem a prima diversam, ait se explicasse, non definisse. Explicuit autem hinc inde disputans acutissime: ergo ex lib. Retract. sententia nostra non evertitur, sed firmatur. *De videndo Deo*, ait, *scripsi librum, ubi de spiritali corpore inquisitionem distuli, utrum, vel quomodo Deus per corpus videatur; sed eam postea quæstionem in* 22. *C. D. satis explicavi* (1).

DISSERTATIO II.

De actuali existentia intuitivæ visionis.

DE hoc argumento agemus hoc loco VIII. Capitibus. Ac I. quæremus, an aliqui in hac mortali vita Deum reapse viderint intuitive? II. An saltem Elias, & Henoch? III. An visio ista ad extremum judicii diem sit protrahenda? IV. An vero ad minimum tempus? V. Quid ea de re senserint Ambrosius, Augustinus, & Bernardus? VI. Quid etiam

(1) Cum ex dictis hucusque satis constet, omnia fere theologorum momenta fuisse ab Augustino præmonstrata, concludendum est S. P. ep. 147. & l. 22. C. D. 29. aliorum sententias referre circa futura corpora beatorum, quæ aliquo sensu spiritalia futura scribit Apostolus I. Cor. 15. Ubi autem S. D. in propria sententia loquitur, scholarum sententiæ adhærere, est omnino exploratum.

(a) *Vide Prop. IV.*

etiam Joannes XXII. P. M.? VII. De inæqualitate, VIII. tandem de objecto intuitivæ visionis sermo erit.

CAPUT I.

An aliqui in hac mortali vita Deum viderint intuitive?

Contendunt nonnulli, Moysi, Paulo, aliisque sanctissimis viris in hac vita mortali Dei visionem ex privilegio fuisse concessam. Alii autem negant. Libratis ergo utriusque partis hinc inde momentis, videtur hæc quæstio ambigua, & in utramque partem disputabilis. Agitur enim de facto, cujus neque aperta sunt scripturarum oracula, neque constans Patrum traditio. Utriusque partis momenta suppeditabimus, liberam cuique dantes arenam, & quomodo in adversarios irruere possit, aut eorum tela refellere.

Propositio I. Non desunt momenta, quibus evinci potest, Moysi, aliisque sanctissimis viris Dei visionem fuisse concessam.

Prob. I. Scripturis de Moyse. Num. 12. legitur: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis servus meus Moyses; ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata Dominum videt.* Exod. 33. *Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem.* Et v. 18. *Ostendam tibi omne bonum.* De Paulo 2. Cor. 12. habetur: *Raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui:* sed ex his verbis aperte innuitur manifestatio divinitatis, de qua If. 64. *Oculus non vidit, quæ præparasti diligentibus te:* ergo &c.

Prob. II. ex Patribus. Augustinus l. 11. de Gen. ad Lit. 27. hæc habet de Moyse: *Concupierat enim videre Deum, non sicut viderat in monte* &c., sed *in ea substantia, qua Deus est, nulla assumpta corporea creatura.* Eadem habet ep. 147. Hilarius

item (*a*), Rupertus (*b*), Isidorus Hisp. (*c*), qui scribit, Isaiam a Judæis occisum, quod scripserit: *Vidi Dominum sedentem super solium*; unde Hilarius ait, *Deum propheta vidit, & gloriam ejus usque ad invidiam propheticæ dignitatis aspexit.* Basilius hom. 1. in Exam. de Moyse ait: *Qui octogesimum agens ætatis annum vidit Deum, ut erat homini videre possibile.* Ambrosius l. 2. c. 2. ait: *Hic itaque neque in specie, neque per ænigma, sed clara, atque perspicua præsentiæ divinæ cognitione dignatus.*

Prob. III. ratione. Negari non potest hoc privilegium B. M. V., quæ creaturas omnes gratiarum donis antecellit, collatum fuisse, ut scribunt Rupertus, Albertus Magnus, D. Thomas de Villanova, aliique. De Moyse vero, & Paulo ait S. Thomas 2. 2. qu. 117., congruenter manifestatam illis esse divinam essentiam: *Nam sicut Moyses fuit primus doctorum Judæorum, sic Paulus primus doctor gentium:* ergo &c.

Propositio II. Non desunt momenta, quibus suaderi potest, nemini in hac vita visionem intuitivam fuisse concessam.

Prob. I. Scripturis. Exod. 33. Moysi optanti divinam essentiam videre respondit Dominus: *Non videbit me homo, & vivet;* & v. ult. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Quibus verbis vel humanitas Christi, aut visio imperfecta, aut Dei effectus significantur. Nam Jo. 1. 18. habetur: *Deum nemo vidit unquam.* Et Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit.* Quæ verba a Joanne, & Paulo scripta sunt post ep. 2. ad Cor., ubi Apostolus narrat raptum suum.

Prob. II. ex Patribus. Missis enim Irenæo, Origene, aliisque de Millenariorum errore suspectis, Na-

(a) 1. *Trin.* 3. (b) *L.* 3. *de Vict. Verbi Dei.*
(c) *De vita & mort. SS.*

Nazianzenus (a), S. Leo (b), Gregorius Magnus (c), aliique (d) (imo S. P. A. senior factus) huic sententiæ accessere. Nam Tr. 3. in Jo. ait: *Quid vidit Moyses? Vidit nubem, vidit angelum, vidit ignem: omnis illa creatura est. Typum Domini gerebat, non præsentiam exhibebat.* L. 2. de Trin. 16. *Cum demonstretur nec desideranti hoc fuisse concessum, quis audeat dicere, per similes formas, non creaturam, sed quod Deus est, oculis apparuisse mortalium* (e)? Ex quibus constat, ait Sylvius, Augustinum non judicasse Moysen & Paulum vidisse Deum.

Prob. III. ex conjecturis. Nam in Dei visione beatitudo sita est, quæ neque amitti potest, neque a Deo subtrahi sine culpa: ergo Moyses, & Paulus fuissent in hac vita beati, nec potuissent a beatitudine excidere. II. Fuissent viatores, nec per fidem ambulassent; hæc enim tollitur revelatione eorum, quæ creduntur: ergo hæc sententia Scripturis, Patribus, & rationi nititur.

Utriusque partis momenta hucusque retulimus: nunc qua via singula dilui possint in opposita sententia aperiemus. Itaque scripturarum momenta, quibus innititur I. sententia, & præcipue illud Num. 12., exponi debent de summo inter Moysen, aliosque prophetas discrimine; illis enim per somnia, & obscure Dominus locutus est; Moysi vero familiariter, absque internuncio, & manifesta legis, rituumque significatione: idque nec per momenta, ut Abrahæ &c. sed sæpe, & summa consuetudine. Si dicas, Moysen vidisse Dominum secum loquentem, respondetur illud fuisse angelum, non Deum ex Act. 7. Unde S. P. Tr. 3. in Jo. *Moyses*, ait, *vidit nubem*,

(a) *Or.* 34. (b) *Serm. de Transfigur.*
(c) *L.* 18. *Moral.*
(d) *Apud Petav. l.* 7. *c.* 12., & *Sylv. q.* 12. *art.* 11.
(e) *Vide l.* 3. *contra Maxim.* 12. *q.* 154. *in Exod.*, *Lib.* 4. *de Symb.* 3.

nubem, vidit angelum &c. Ita etiam explicatur locus Exod. 33. Ubi nota, quod comminante Domino, se non ultra ascensurum ad populum duræ cervicis, ait Moyses: *Præcipis, ut educam populum, & non indicas, quem missurus es mecum; si ergo inveni gratiam, ostende mihi faciem tuam*, id-est, sis, quæso, ut fuisti hactenus, dux itineris nostri &c., quæ lectio obvia est, & cohæret hebraicæ, quæ habet, *Ostende mihi viam tuam.* Petiit quidem Moyses (audita promissione Domini, qui ait, *Facies mea præcedet te*) visionem beatificam, dicens: *Ostende mihi gloriam tuam;* sed respondit Dominus: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet:* ergo denegata est visio illa. Paulus vero non ait, se vidisse Deum, sed audivisse *arcana verba, quæ* &c. Visio enim Dei, utpote vivida & clara, omnem a se dubitationem, atque ignorantiam removisset, nec ita ancipitem reliquisset, ut nesciret, *an in corpore, an extra corpus* esset. Reapse post hunc raptum ad Timotheum scribit, *Deum nemo vidit unquam:* sed hoc falsum esset, si ipse vidisset: ergo &c.

Ad Patres R., non opus esse in quæstione adiaphora omnium Patrum consensu. Ceterum Augustini mens non ex lib. de Gen. ad lit. haurienda est, *ubi plura quæsita, quam inventa esse*, ait S. P. II. Retr. 24., sed in suis postremis operibus supra laudatis, in quibus satis constat, ait Sylvius, eum a priori recessisse sententia. Potest etiam intelligi S. D. de vividiori, & sublimiori contemplatione, non de plena & intuitiva visione. Quod ajunt de Isaia, verum est: sed Judæi ex verbis Isaiæ supra laudatis ansam arripuerunt, ut de eo vindictam sumerent, qui eos principes appellaverat Sodomorum, ut scribit citato loco Isidorus. Constat enim, c. 6. narrari ab Isaia visionem per extasim, quam habuit in templo, ubi judicium de rege, & populo vaticinatur; Ambrosius autem l. 5. de fide ait, oppositum evinci ex scripturis. Vel ergo dubius fuit, vel

vel exponendus est, ut Augustinus. Basilio, quem frustra ad se trahit Estius (*a*), opponimus Nazianzenum, Hieronymum, Cyrillum (*b*) &c.

Conjecturis productis R., convenientius fuisse, ut nemo ante Christum visione Dei frueretur, neve ullus in via esset simul viator, & comprehensor, nec beatitudo ad momentum, sed perpetuo impartiretur. Excipe tamen B. V. Mariam, cui plus contulit gratiarum Deus, quam ulli mortalium: licet id etiam, salva vide, & pietate, negari possit.

Ad momenta vero negativæ sententiæ R., locum Exod. 33. id unum probare, nempe denegatam ibidem Moysi visionem beatificam: sed eam postea concessam esse, evincitur ex 12. Num., ubi non solum Dei familiaritas, & arcanorum manifestatio innuitur iis verbis: *Ore ad os loquor ei;* sed etiam gloriæ participatio ex sequentibus; *& palam, & non per ænigma Dominum videt*, quod 70. reddunt καὶ τὴν δόξαν Κυρίου εἶδε, *gloriam Domini vidit*. Ubi Hebræus utitur nomine tetragrammaton, ut innuat, non angelum ibi visum, sed verum Deum. Act. 7., & Hebr. 2. per manus angelorum legem datam esse constat, non solos angelos Moysi apparuisse. Nam Deuter. 33. habetur: *Dominus de Sinai venit, & cum eo sanctorum millia*, idest cum angelorum exercitu. Ex Hilario etiam 1. Trin. 3. *Angelus Dei Deus est*. Angelus enim qui Act. 7. in rubo apparuit, Exod. 3. ait: *Ego sum Deus Abraham* &c.

Quod vero dicitur (*c*): *Non videbit me homo* &c. explicat S. P. (*d*), *Nemo videbit me vita ista, nisi quodammodo moriatur, sive exiens e corpore, sive alienatus a sensibus, ut nesciat, an in corpore, an extra sit.* Locus Jo. 1., & 1. Tim. 6. de visione comprehensiva, quam habet Filius Dei, accipi debet.

 Alias

(a) *In 2. dist. 8. §. 10.* (b) *Apud Sylvium, Petavium, Estium, Smisingium, & l' Herminier.*
(c) *Exod. 33.* (d) *L. 12. de Gen. ad lit. 27.*

Alias nec Angeli Deum viderent. Nec obstat in generalibus sententiis quosdam excipi ex privilegio, ut B. V. ab ea, quæ extat Rom. 5., *Omnes in Adam peccaverunt.*

Ad Patres R., eos non convenire in quæstione adiaphora. Nazianzenus, & Græci Patres, nec non Ambrosius, de visione comprehensiva sunt exponendi; agunt enim contra Eunomianos. Alii generice, & cum exceptione loquuntur, ac Moysi quidem breves, & ephimeras visiones tribuunt, non singularem illam, & permanentem, de qua Num. 12. Ita sibi constat ubique Augustinus. Moyses enim vidit angelum in rubo, sed vidit etiam gloriam Domini in Sina.

Ad I. Sylvii rationem R., inamissibilem esse beatitudinem sanctis collatam post mortem, & *permanenter*, ut merces, & corona; non quæ datur *transeunter*, velut specimen futuræ gloriæ. Neque ejus subtractio pœna est, cum non sit corona justitiæ, sed quasi raptus præteriens. Ad II. R. habitum non destrui, nisi contrario habitu: sed actus visionis est momentaneus: ergo non tollit habitum fidei stabilem, & permanentem (1).

CA-

(1) Moysi, ac Paulo, saltem *transeunter*, Dei visionem fuisse concessam satis liquet ex Augustino, qui ep. 112. scribit, Moysem vidisse Deum ea contemplatione, *qua concupierat videre Deum sicuti est. Quæ contemplatio, cunctis filiis in fine repromittitur.* Sed hæc est ipsa Dei visio intuitiva: ergo &c. Ubi nota, S. D. non dubitanter, aut inquirendo, sed definite loqui, & ex propria sententia: quæ itaque ab adversariis opponuntur ex Augustino, ea vel de ænigmatica, vel de visione Dei per oculos corporis accipi debent. Idem de Paulo judicium esto. *Cur enim non credamus*, ait S. P. 12. de Gen. ad lit. 28., *quod tanto Apostolo voluerit Deus manifestare vitam*

CAPUT II.

An Elias, & Henoch actuali fruantur Dei visione?

ELIAM, & Henochum adhuc vivere, & contra Antichristum in fine mundi venturos, tenet, inquit Rabanus (a), fides Christianorum. Quæritur ergo an ii saltem Dei visione fruantur.

PROPOSITIO. Henoch, & Elias probabilius Dei visione, nisi forte momentanea, non fruuntur.

Prob. Eliam, & Henoch nondum vita functos esse, tenent veteres Rabbini (b), & traditio est discipulorum Domini ex Irenæo (c), quam sequuntur Gregorius Magnus (d), Augustinus (e), aliique tam multi, ut Aretas (f) afferat, id credi a tota Ecclesia. Videtur etiam id evinci ex Apoc. 11. 3. *Dabo duobus testibus meis* &c. quem locum de Elia, & Henoch exponunt interpretes: atqui permanens beatitudo non datur, nisi post mortem: ergo &c.

Ob. I. Eccli. 44. habetur: *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum;* & 4. Reg. *Ascendit Elias per turbinem in cœlum*, ideft in paradisum sanctorum, & cælum empyreum, ut interpretatur Calmetus (g): ergo &c.

R. neg. conf. Paradisus enim est locus quilibet, ubi feliciter vivitur; sicut cælum est superior aeris pars: unde *volucres cœli*, Ps. 8. & Luc. 8.: *Hodie mecum eris in paradiso*, ait Christus latroni, nondum reseratis cæli januis. Græca, & Hebraica lectio non habet *in paradisum*. Adjecit Arabs interpres,

vitam, in qua post hanc vitam vivendum est in æternum? Sed hæc est visio beatifica: ergo &c.

(a) *Lib. de Antichr.* (b) *Ex R. David in 2. Reg.*
(c) *Lib. 5. adversus Hæres.* (d) *Hom. 27.*
(e) *Lib. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 3. &. lib. 6. c. Jul.* (f) *Apud Est. in c. 44. Eccli.*
(g) *Diss. de Patr. Henoch.*

pres, & retinuit Vulgata, eo quod Henoch ab ærumnis hujus vitæ fuerit ſublatus. Si enim de patria ſanctorum ea loca exponantur, Chriſtus non omnium primus in cælum aſcendit: ergo &c.

Dices. Athanaſius ſerm. de Aſſumpt. Domini ait: *Henochum immortalitatis terminos accepiſſe.* Tertullianus de reſ. car. c. 58. ait: *De orbe translati, & jam æternitatis candidati.* Hieronymus ep. ad Pamm. *Nondum mortui, & paradiſi jam coloni.* Bernardus ſer. 6. de Aſcenſ. *Soli jam Deo vivunt, ſoli vacant intelligendo, diligendo, fruendo.* Avitus l. 4. Carm. 6. canit:

Quamquam, qua Noe proavus conſcenderat Henoch,
Elias curſu poſt tempora longa ſecutus,
Scribitur ignitis ſcandens penetraſſe quadrigis.

R. has Patrum phraſes id unum evincere, nempe Eliam, & Henoch a mortalitatis contagione Dei providentia ſervari, & tali gratia confirmatos eſſe, ut nulla terrena cupiditate premantur. Nam omnes occaſiones ablatæ ſunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum, ut ait Bernardus loco citato; Deo ergo fruuntur, ut animæ viatorum, qui Deum ſpecialiter diligentes, angelicis dignantur conſpectibus, nec dæmonum tentationibus, nec ſenſuum pulſantur illecebris; aliquando etiam divina apparitione recreari veriſimile eſt. Si autem cum Hieronymo velis, illos in cælum aſcendiſſe cum Chriſto, quod tamen negat cum aliis Patribus Auguſtinus, nullus erit diſputationi locus.

Inſt. Paradiſus, ad quem Henoch translatus eſt, non eſt ille, quem Adamo plantavit Dominus; hunc enim aquis diluvii periiſſe valde probabile eſt: ergo eſt paradiſus Sanctorum, ubi Deo fruimur.

R. Henoch, & Eliam ad ignotam terræ regionem fuiſſe aſportatos, ubi quiete viventes expectant mundi interitum, ut & ipſi, ſoluto naturæ debito, reſurgant. An vero ſit hortus Eden, vel alius quilibet locus, noſtrum non eſt divinare.

Cete-

Ceterum nullus veterum, ait Bellarminus (*a*), tradidit, quod paradisus terrestris perierit; nec est improbabile adhuc extare, ibique mundi finem præstolari sanctos illos patriarchas, ut scribit S. P. A., qui de loco quidem alicubi, de vita mortali autem nusquam dubitat. Nam lib. de pecc. orig. 23. inter conjecturas statuit, *Cum quæritur, ubi sit nunc Elias, & Henoch, quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus vivere*: ergo &c.

Ob. II. Elias, & Henoch non sunt viatores, alias in dies eorum meritum augeretur, sicque omnium Sanctorum, & etiam B. V. M. sanctitatem excederent: ergo sunt in patria.

R. non unam esse ea de re theologorum sententiam. Negant mereri Vasquez (*b*), Suarez (*c*), Pererius (*d*), Estius (*e*), qui ajunt, illos quidem confirmatos in gratia, esse tamen extra hominum consortium, nec refici sacramentis, nec plus mereri, quam sanctos Patres in limbo, ut ait Estius, aut in purgatorio defuncti, ut scribit Vasquesius. Status enim officit, ne mereantur, non gratiæ defectus. Affirmant Abulensis, de la Haje, aliique (*f*). Nec tamen sequitur, eos plus mereri, quam B. V. M. Non enim ex diutina tantum exercitatione virtutum meritum comparatur, sed ex caritate, qua sane majorem nemo habiturus est B. V. M.: neque in iis tollitur ratio meriti, ex quo extra communem vivendi ordinem existant; ut Catharinæ Senensi, aliisque contigit, qui longo temporis spatio in extasim rapti, amplioribus meritis sunt cumulati. Quod sane de animabus corpore solutis dici nequit; cum enim non sint amplius in via, dare

---

(a) *L. de gratia primi hominis c.* 14.
(b) *L.* 2. *Disp.* 206. (c) *T.* 2. *in* 3. *p. disp.* 55.
(d) *Tom.* 1. *in Gen. l.* 7. *c.* 5. *q.* 5.
(e) *In cap.* 4. *Genes.*
(f) *Apud Sylveiram opusc.* 3. *res.* 1.

dare pœnas utique possunt per ignem, mereri autem, vel demereri, omnino non possunt.

Ob. III. Carmelitæ Romanorum Pontificum auctoritate festum celebrant sanctorum Eliæ, & Henoch. Et Ecclesia in exitu animarum illas commendat per eorum merita: ergo &c.

R. neg. conf. Invocantur enim religioso cultu, quia confirmati sunt in gratia, & creduntur amici Dei, quia eorum virtus constat Ecclesiæ judicio, quæ sane aliis viatoribus non conveniunt: iis proinde caritatis officium exhibendum est, non apotheosis triumphus. Est tamen inter hos, aliosque Sanctos discrimen aliquod; nam & iis reservatur magni gloria certaminis, & forte in particulari saltem preces nostras ignorant, ut Estio visum est.

CAPUT III.

An Sanctorum animabus post judicii diem clara Dei visio sit differenda?

NOT. I. errasse in hac parte I. Cerinthum hæreticum, II. Papiam Hieropolitanum Episcopum, III. aliquos etiam Patres priorum sæculorum, ut Irenæus, Justinus, Nepos, Lactantius, aliique. Cerinthus circa ann. Christi 80. inter alios errores docuit, post resurrectionem futurum in terris Christi regnum apud instauratam Jerosolymam, justis inter carnales voluptates versantibus. Quod cum narrent Cajus (*a*), Dionysius Alexandrinus, aliique, constat Cerinthum Chiliastis ortum dedisse.

Not. II. circa an. 116. Papiam vixisse, quem Irenæus auditorem Joannis appellat, & Polycarpi sodalem. *Perexigui judicii hominem* eum vocat Eusebius l. 3. c. 39. Qua de re ejus elogium, quo, c. 36. ejusdem historiæ, vir disertissimus, & eruditissimus dicitur, cum desit in vetustissimis MSS., adsci-

(a) *Apud Euseb. lib.* 3. *H. E. c.* 28.

adſcitium, & ſpurium cum doctiſſimo Valeſio dicendum eſt. A Cerintho autem in eo differt Papias, quod ille carnales, hic vero ſpiritales delicias in Chriſti regnum invexit.

Not. III. Patres tertio loco laudati, licet expreſſe non meminerint regni mille annorum, cenſent tamen ad extremum judicii diem differri beatitudinem animarum. Quod etiam docuit ſæcul. V. Vigilantius, & in Florentina Synodo Græcorum nonnulli, nec non Calvinus, & Lutherus: contra quos ſit

Prop. I. Mille annorum regnum a Cerintho, & Papia excogitatum, futile eſt, & anile figmentum.

Prob. I. Scripturis. Matt. 22. habetur: *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut angeli Dei: neque enim ultra mori poterunt:* ergo ſunt inutiles nuptiæ, & connubia, quæ humani generis conſervationi deſerviunt. II. Rom. 14. 17. *Non eſt regnum Dei eſca, & potus*, in quibus, ut Apoſtolus ait, *non eſt pax, neque gaudium in Spiritu ſancto.* Quæ duo loca urgent Cerinthum: Papiam vero quod ſequitur I. Theſſ. 4. *Nos, qui vivimus, rapiemur obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Ubi non mille annorum, ſed ſempiternum Chriſti regnum poſt Chriſti deſcenſum repromittitur, juxta illud Luc. 1. 33. *Regni ejus non erit finis.* Quæ verba Synodus Conſtantinopolitana ſymbolo inſeruit contra Apollinariſtas Millenariis addictos: ergo jure Millenariorum hæreſis, ut ſcripturis contraria, in Concilio Romano an. 373. a Damaſo proſcripta eſt.

Prob. II. ex Patribus. Auctor libri de cæleſti Hierarchia, & Hieronymus ep. ad Hedibiam, eam *fabulam* vocant. Origenes (a), ſcribit, exortam eſſe ex intellectis judaico ſenſu ſcripturis. S. Ephrem (b) ſtultam appellat inſaniam. Cajus loco citato

(a) *Lib. 2. de Princ. c. 12. & Prol. in Cant.*
(b) *Opuſc. 3.*

citato narrat, *Cerinthum, qui portenta finxerat, veluti ab angelis sibi ostensa, intromisisse hanc doctrinam, post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, & in nuptialibus festis mille annorum spatium transactum iri.* Eusebius ibid. hujus opinionis auctorem facit Nepotem quemdam Ægypti Episcopum, qui *nescio quod mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in hac terra fore affirmabat. Hunc ergo Dionysius in libris de promiss. acriter impugnat. Quæ opinio*, ait S. P. 20. C. D. 7., *esset utcumque tolerabilis, si spiritales deliciæ affuturæ sanctis crederentur; nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Nunc autem Ecclesiæ judicio hæc Papiæ, aliorumque opinio proscripta est.

Prob. III. ratione. I. Absurdum est, post expletas Mosaicæ legis figuras, & Danielis de perpetua abominatione prophetiam, expectare instaurationem Jerusalem, templi, & sacrificiorum, & a legis servitute liberatos rursus legalium vetustati subjicere: ergo &c. II. *Nullo modo possunt, nisi a carnalibus credi*, ait S. P. ibidem, in Christi regno ciborum luxus, gulæ, ac ventris ingluvies: ergo &c. III. Spiritales deliciæ in terreno Christi regno nullæ sunt, quidquid Papias, aliique somniaverint; ibi enim Sancti inebriabuntur ab ubertate domus Dei: cujus visio unica erit, & vera voluptas; nam *apud eum est fons vitæ, & in lumine ejus videbimus lumen* (a): ergo &c.

Ob. I. Christus Matt. 19. ait: *Centuplum accipiet* &c.: ergo, præter vitam æternam, Sanctis reddendum est centuplum divitiarum, voluptatum, &c. quæ pro Christo dimiserunt.

R. neg. conf. Sensus enim est, ait Hieronymus l. 3. in Matt. c. 19. *Spiritalia recipiet, quæ merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius comparetur;* nempe superabundantia gaudii in tribulationibus, affluentia bonorum in paupertate spiritus,

(a) *Ps.* 35. 9. & 10.

ritus, ut exponunt Origenes, Theophylactus, aliique. Et sanctus Pater epist. 89. ad Hilarium exponit *centuplum in hoc sæculo*, per illud 2. Cor. 6. *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Cum ergo centuplum in hac vita reddatur, &, ut Marcus ait, *in tempore hoc* (a), non designatur ibi regnum Chiliastarum.

Ob. II. Matt. 2. 6. habetur: *Beati, qui esuriunt* &c., *quoniam saturabuntur*: ergo cibus repromittitur.

R. dist. conf. Spiritalis, conc.; corporalis, nego; talis enim ibi satietas repromittitur, qualis est fames, ac sitis. Deinde fames ibidem figurate vehementem appetitum significat; saturitas vero plenum gaudium animarum. Hinc Ps. 16. legitur, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Ob. III. Luc. 22. *Ego dispono vobis regnum, ut edatis, & bibatis*: ergo &c. R. neg. conf. Nam edere, & bibere metaphorice usurpatur pro frui, atque oblectari; his enim verbis felicitas populari sensu apud Judæos designabatur, ut Prov. 9. *Comedite panem meum, & bibite vinum* &c. Is. 65.: *Servi mei comedent, & bibent.* Quidam exponunt hunc locum de mensa Eucharistica, quæ in *regno Dei*, quod est Ecclesia, ministratur. Adde his figuris describi apostolicam dignitatem in mensæ consortio, & potestatem in judicando; dicitur enim, *ut edatis, & sedeatis super thronum.*

Ob. IV. Matth. 26. 29. ait Christus: *Non bibam amodo de hoc genimine usque in diem, cum illud bibam novum vobiscum in regno patris mei*: ergo &c.

R. neg. conf. Vinum enim metaphorice lætitiam significat, & caritatem, ut 2. Cant. 4. & Zach. 9. 17. Nec aptior Christo proferri potuit analogia. *Vinea* enim Ecclesia dicitur (b), Christus *botrus*

(a) *Græce* εντῷ καιρῷ τῷ τῷ.
(b) *Isaiæ* 5. *Jerem.* 2. *& Matth.* 21.

trus (a), & *vitis* (b), Pater *agricola* (c), fideles *palmites* (d). Cohærent ergo ſcripturæ, ſi vinum ſpiritaliter accipiatur, ideoque novum dicitur, id-eſt præſtantius, quam vinum commune. Quo ſenſu Sanctorum patria *nova Jeruſalem* dicitur, non terrena, ſed quæ *ſurſum eſt Jeruſalem.* Alii exponunt de Chriſti epulis poſt reſurrectionem, de quibus Petrus Act. 10.: *Manducavimus, & bibimus cum illo.* Quo ſenſu regnum Patris Eccleſia eſt. Novum vero dicitur, quia novum eſt & inauditum, Chriſtum incorruptibili corpore fuiſſe epulatum.

Ob. V. Apoc. 20. 2. habetur: *Apprehendit draconem, & ligavit eum per annos mille; &* v. 3. *Miſit eum in abyſſum, donec conſumentur mille anni:* ubi prædicitur Antichriſti perſecutio, & v. 4. Judicium; habetur enim, *Et vidi ſedes*, & poſt judicium regnum mille annorum: *Et regnaverunt cum Chriſto mille annis:* ergo poſt judicium futurum eſt regnum mille annorum. II. Prædicitur ibidem duplex reſurrectio v. 5. *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec conſumentur mille anni: hæc eſt reſurrectio prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei, & regnabunt cum illo mille annis:* ergo poſt reſurrectionem erit regnum juſtorum mille annorum. Secunda reſurrectio prædicitur v. 13. *Et mors, & infernus dederunt mortuos ſuos, & judicatum eſt de ſingulis* &c.; poſt hæc mors ſecunda, & impiorum ſupplicium. III. Regnum mille annorum, de quo c. 20. 6., non ſignificat cæleſtem gloriam: ergo &c. Prob. ant. Hæc enim poſt damnationem reproborum futura eſt; illud vero multo ante, ut habetur cap. ſequenti: ergo &c.

R. ad I. neg. conſ. Nam v. 4. non deſcribitur judicium faciendum poſt reſurrectionem ſanctorum

Mar-

(a) *Cant.* 13. (b) *Jo.* 3. (c) *Ibidem.*
(d) *Gal.* 4.

Martyrum, cum nulla ſit ibi memorata reſurrectio, & *omnes manifeſtari oporteat ante tribunal Chriſti* (a). Ad II. diſt. ant.: & nomine reſurrectionis primæ innuitur reſurrectio corporum, neg.; animæ beatitudo, conc. Nam præſens animarum gloria reſurrectio prima appellatur. Sicut enim duplex mors, ita duplex eſt reſurrectio. Prima eſt ſeparatio animæ a corpore; ſecunda eſt in ignem damnatio. Sic etiam prima reſurrectio eſt animæ beatitudo (b), ſecunda eſt, dum corpora reſurgent in noviſſimo die. Sed quia vita æterna non gaudent animæ impiorum, ideo dicitur: *Cæteri mortuorum non vixerunt &c. Hæc eſt reſurrectio prima.* Ad III. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Sancti poſt reſurrectionem conſecuturi ſunt gloriam conſummatam & plenam duplici ſtola induendi, & beatitudine animæ & corporis cumulandi (cum ſola anima nunc Deo fruantur) conc.; ſecus, neg. Ad IV. diſt. ant. Dicuntur ſacerdotes legis Moſaicæ, neg.; Dei & Chriſti, id eſt prædeſtinati, conc. Legitur enim Apoc. 1. *Fecit nos regnum & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo* (c). Grotius hunc locum ingenioſe exponit. Ait enim, Sanctos regnare cum Chriſto per honores iis ab Eccleſiis exhibitos, præſertim Conſtantini M. ævo, reſtituta Eccleſiæ pace circa ann. 311. Mille annis poſt Mahumetis impietas ab Ottomanis in Aſiam, & Græciam invecta eſt, unde mala innumera Eccleſiæ evenere; ideo dicitur, conſummatis m. annis, ſolvendum Satanam, & ſeducturum gentes Gog, & Magog, ideſt Aſiam, & Syriam, ubi primitus Ottomani dominati ſunt, & ubi erant 7. Eccleſiæ, quibus ſcripta eſt Apocalypſis. Ita regnum

(a) *Matt.* 25. & 2. *Cor.* 5.
(b) *Hebr.* 11. 35., & *Dan.* 12. 2.
(c) *Vide auctorem hunc locum fuſius exponentem.*

gnum SS. Martyrum vere annis mille perduravit. Vide Grotium Comment. in Apoc. (1)

CAPUT IV.

An saltem ad minimum tempus animabus Sanctorum Dei visio sit differenda?

A Millenariorum errore quam longe abest quorundam PP. opinio, qui animabus justis Dei visionem ad tempus differri putabant. De qua sit

Propositio. Animabus plene purgatis neque ad minimum tempus differtur Dei visio.

Prob.

(1) Opponi potest hoc loco Ezechielis vaticinium c. 40., ubi nedum prædicitur templi reædificatio; sed ejus etiam traditur accurata descriptio, quæ, cum nec primo, nec secundo templo (quibus longe præstat) aptari queat, de solo templo in regno Chiliastarum excitando accipi debet, cujus sancti erunt *sacerdotes*. Respondetur tamen, descriptionem Ezech. 40. utrique templo percommode aptari posse. Primo quidem a Salomone extructo, ut ex illius descriptione Judæi, zelo divini honoris succensi, aliud simile excitarent. Nec obstat multo ampliorem esse descriptionem templi Ezech. 40., quam quæ de primo templo extat lib. 3. Regum; constat enim successores Salomonis ejus templum multo amplius progressu temporis reddidisse. Convenit etiam Ezechielis descriptio secundo templo a Zorobabele reædificato, quod quidem longe augustius, & gloriosius fuit primo ob Messiæ præsentiam, *qui domum istam gloria* adimplevit. Hoc vero templum licet mole angustius priore, quod altius erat secundo cubitis 60., ab Herode Ascalonita auctum, *jactisque aliis fundamentis, ad altitudinem cubitorum* 120. (quæ mensura plane congruit cum Ezechielis descriptione sup. laudata) evectum fuit.

Prob. I. Scripturis. Pſ. 126. habetur: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini:* atqui ſomnus pro morte ſæpe uſurpatur, ut Pſ. 3.: ergo &c. Eccli. 11. 28. habetur: *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas.* II. Cor. I. *Si terreſtris domus* (corpus nempe) *diſſolvatur, habemus domum æternam in cælis.* Et v. 8. *Voluntatem habemus peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Philip. I. *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:* ubi græce habetur ἀναλῦσαι, *redire*, nempe *ad Deum, qui dedit illum* (a). Act. 7. Stephanus *vidit gloriam Dei*; addit Eccleſia, *vidit, & introivit.* Apocal. 7. 9. Sancti dicuntur ſtantes *ante thronum Dei, & in conſpectu agni* (b). Cap. 14. *Opera illorum ſequuntur illos* (c). Addunt alii verba Luc. 23., *Hodie mecum eris in paradiſo*; ſed ea ſatis ambigua cenſent Petavius (d), & Juenin (e). Nos medium iter incedimus, & cum Petavio dicimus, incertum eſſe, quo loco latronis anima recepta ſit; eam tamen ex tunc fuiſſe beatam, & regni participem, quod expetierat dicens, *memento &c.* Cum enim Deus ubique ſit, ibi eſt paradiſus, ubi ſe Deus videndum, & guſtandum præbet (f). Ex quibus ſic arguitur: Statim ac dormiunt juſti, & eorum corporea domus diſſolvitur, fiunt Domino præſentes, redeunt ad creatorem, aperiuntur iis cæli, & ingrediuntur, ibique mercedem recipiunt: ergo nec ad minimum tempus iis differtur viſio intuitiva.

(a) *Eccli.* 52. 7. (b) *Græce* ἐπὶ *cum genitivo, quod eſt* ſupra, ſeu prope & juxta; *ergo non procul.*

(c) *Ubi Vulgata habet* amodo, *Græca habet* ἀπάρτι, jam, nunc.

(d) *L.* 7. 14. (e) *Diſſ.* 4. *a.* 2.

(f) *Vide Bellar. l.* 1. *de Beat. SS. c.* 3. *Janſen. & Maldon. in* 23. *Luc.*

Prob. II. ex PP. I. Ecclesiæ sæculo Hermas l. 3. Past., quem librum uti canonicum aliqui laudarunt, docet, omnes, qui pie obeunt, pœnitentibus exceptis, jam in cælo coronari (*a*). Clemens ep. ad Corinth., quam genuinam agnoscit Clericus (*b*), de Petro ait: *Martyr effectus, discessit ad debitum gloriæ locum.* Ignatius in Epistolis a Vossio editis, quas eruditi omnes contra Dallæum ut germanas defendunt, ep. ad Rom. ait: *Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci.*

II. Sæculo, præter Papiam (*c*), & Justinum, qui dubius fuit; diserte veritatem catholicam tradidere Polycarpus ep. ad Philipp.; & Ecclesia Smyrnensis (*d*) de eo canit: *Devicto injusto præside, immortalitatis corona recepta, cum omnibus justis exultans Deum glorificat.* Athenagoras in Apol. *Persuasi sumus, nos hac mortali vita defunctos, meliorem esse victuros, ut apud Deum, & cum ipso simus.* In Actis vetustissimis S. Symphorosæ (*e*) hæc ipsa habet de viro, ac fratre: *Passi mortem pro nomine Christi nunc cum æterno Rege vita æterna fruuntur.* Lucius Martyr Urbicio gratias agit, quod malis sibi illatis, *ad optimum Patrem esset migraturus.* Justinus, licet oppositum senserit, fatetur tamen, contra se stare multos, *qui puræ piæque Christianorum sunt sententiæ.* Ubi contra omnium exemplarium fidem recentiores Chiliastæ negantem particulam intrudunt, quam non patitur sensus verborum Justini, qui quidem, & a se admitti Chiliastarum regnum, & multos, *qui puræ sunt sententiæ*, illud rejicere, non diffitetur (*f*).

III. sæculo, Clemens (g), Dionysius Alexandr. (*h*), Ori-

(a) *Vide Tom.* 1. *PP. Apostol. Cotelerii.*
(b) *Ad ann.* 69. (c) *De hoc vide Cap. præc.*
(d) *Ap. Eus. l.* 4. *H. E.* 15. (e) *Ap. Ruinart. p.* 20.
(f) *Vide Auctorem.* (g) *L.* 5. *Strom.*
(h) *Adv. Iren. & Nepot. Ægypti Episc.*

Origenes (a), Methodius M., & Cyprianus, qui in Exhort. ad Martyr. c. ult. ait: *Quanta est securitas claudere in momento oculos, & aperire eos statim, ut Deus videatur, & Christus. Terris repente subtraheris, ut in regnis cælestibus reporteris.* Irenæus, licet Millenariis addictus, tamen l. 5. adv. Hær. non diffitetur, plures esse, qui oppositum sentiunt. Estius (b) laudat pro hac sententia Irenæum, sed fallitur: is enim affirmat, animas recipi in Paradiso, in quo Deus ab initio hominem posuit, quo & Paulum, & Latronis animam censet fuisse asportatam, ibique manere Ss. animas usque ad consummationem, auspicantes incorruptelam. Possunt tamen Justinus, & Tertullianus (c) in sensu catholico exponi, si dicamus Sanctorum animas in Paradisum recipi, in loco invisibili quiescere, ad infernos descendere, non quasi in aliquo pœnarum loco detineantur; sed ut ibi sint apud Deum, qui ubique est, ibique vivant, & gaudiis perfruantur æternis. Ita ut non de statu, sed de loco PP. illi dissentiant, ut observat Vossius (d), qui tamen errat, dum ait, idem sentire Calvinum. Is enim l. 3. Inst. expresse docet, Ss. beatitudinem *pendere ab exspectatione adventus Christi, & gloriæ coronam eo usque differri.*

IV. sæculo, excepto Lactantio cl. grammatico, & rhetorico, sed inexperto Theologo, aliisque paucissimis, omnes nobiscum sentiunt. Athanasius (e) scribit, Ammonis animam visam esse in cælum ferri. Basilius Or. de Gordio Martyre ait: *Erat enim affectus, velut Angelorum manibus commissurus, qui statim ipsum assumptum ad beatam vitam translaturi essent.* Nyssenus Or. fun. in Pulcheriam,

(a) *L. 2. Periarch., l. 6. cont. Cels., & Hom. 5. in divers.*
(b) *In 4. sent. d. 45.*
(c) *Scripsit libros de anima factus jam Montanista.*
(d) *Disp. 6. de Statu anim.* (e) *In Vita Antonii.*

Si a te, ait, *puella migravit, ad Dominum recurrit, tibi oculum clausit, sed sempiterno lumini aperuit.* Nazianzenus Or. 20. Basilium precatur, ut sese post obitum excipiat, ut simul Trinitatem valeant contemplari (*a*). Chrysostomus in 2. Cor. ait: *Beati, & ter beati, qui illis bonis fruuntur.* Et Or. de S. Polygonio: *Civitatem suam relinquens, in alteram, quæ est Dei, civitatem ascendit.* Mitto S. Ephrem, Hieronymum (*b*), Cyrillum Alex. (*c*), Monologium Græcorum, Hymnos Prudentii, aliaq. ap. Coccium &c. (*d*). Ex quibus sic arguitur. Illud de fide tenendum est, ex Lirin. (*e*) & Aug. (*f*), quod per universam custoditur Ecclesiam, & semper, ubique, & ab omnibus traditum est, licet unus, vel alter aut imperitus, aut errans oppositum senserit; maxime si is oppositam doctrinam puram, & catholicam fateatur: sed hujusmodi est dogma istud, ut patet ex dictis: ergo &c.

Prob. III. ratione. I. Deus statim post mortem impiis supplicium infligit, ut constat de Epulone (g): ergo statim post mortem reddit justis coronam; nam Deus non magis ad puniendum, quam ad retribuendum est pronus. II. Vanum non est, aut a suo fine absonum desiderium illud, quo Sancti cupiunt *dissolvi, & esse cum Christo:* ergo impleri debet visione beatifica. III. Si visio Dei differatur ad ultimum judicii diem, non melior est conditio fidelium post Christum, ac veterum PP.; nihil profuit Christi descensus ad inferos; nihil Christi nativitas, passio, mors, ut plebis suæ facinora relaxaret; nec obitus martyrum natalis dies est appellandus, nec ritu solemni ab Ecclesia celebran-

---

(a) *Vide Or. 10., & 11. in Cæsarium fratr. & Gorgoniam sororem.*

(b) *Cont. Vigilant. & ep. ad Marcell.*

(c) *In lib. ad Reginas.* (d) *In Thesauro.*

(e) *In Com. n. 2.* (f) *L. 2. de Bapt. c. 7.*

(g) *Luc. 16.*

brandus. Merito ergo Florentina (*a*) ac Tridentina (*b*) Synodus ſtatuit, hanc propoſitionem de fide eſſe.

Ob. I. Matth. 20. 8. dicitur: *Cum ſero factum eſſet*, ideſt in fine mundi, reddita eſt merces operariis: ergo &c.

R. I. neg. conſ. *Sero* enim non mundi finem deſignat, ſed vitæ. Verum etſi mundi finem deſignat, de completa animæ, & corporis beatitudine exponi debet.

R. II., hanc parabolam accipi poſſe de Eccleſia, quæ vinea Domini dicitur in ſcripturis. Alios enim vocavit Deus ad Eccleſiam primo mane, ideſt a mundi exordio per legem naturæ; alios circa horam 3., media mundi ætate, per legem Moyſis; alios cum *ſero eſſet*, ideſt finis captivitatis, & culpæ, per legem evangelicam. Cum iis *convenit ex denario diurno*, quia in lege Moyſi propoſita erat merces temporalis, vita longæva, Chanaan poſſeſſio &c. Nil tale dictum poſtremis, quia mercedem evangelicæ legis, *nec oculus vidit*, *nec auris audivit*. Hanc primi gentiles amplexi ſunt Moſaicæ legi non addicti, ideoque ajunt: *Nemo nos conduxit*. Sæpe enim hiſce comparationibus vocatio gentium, & regnum Dei deſignatur.

R. III. neg. conſ. Senſus enim eſt, Gentiles ultimo ad Eccleſiam adſcitos non minorem recepturos eſſe mercedem, quam Judæi, qui ſub legis ſervitute portarunt pondus diei, & æſtus. Dicitur merces rependi ſub veſperam, quia tantum poſtremo legis evangelicæ tempore cælum per Chriſtum fuit reſeratum.

Ob. II. Matth. 25. 34. legitur: *Venite benedicti, poſſidete regnum* &c. ergo ante non poſſidebant.

R. diſt. conſ. Non poſſidebant beatitudine completa, conc.; incompleta, neg. Nam de impiis, qui cruciantur in gehenna, dicetur, *Diſcedite in ignem*

(a) *Seſſ. ultima.* (b) *Seſſ. 25.*

ignem &c., quod de completo supplicio, ideſt etiam corporis, intelligendum eſt.

Ob. III. Hebr. 11. 39. de Sanctis veteris Teſtam. ait Apoſtolus, *Non accepiſſe repromiſſiones, ut non ſine nobis conſummarentur*: ergo uno eodemque tempore omnes in cælum aſſumi debent.

R. neg. conſ. Nam Apoſtolus ibi intelligit poſſeſſionem terræ Chanaan, non cæleſtem gloriam; illa enim primis Patriarchis repromiſſa, eorum poſteris tradita eſt: unde de Davide &c. dicitur, *Adepti ſunt repromiſſiones*: ſed hoc verum non eſſet, ſi intelligeret, gloriam poſt diem judicii eſſe conferendam: ergo &c. Recte ait Apoſtolus, *ne ſine nobis conſummarentur*; non enim ſine nobis, & ante Chriſti redemptionem participes fuerunt gloriæ cæleſtis; nec erunt completæ beatitudinis animæ, & corporis, pro qua *ſecti ſunt, mortui ſunt &c.* Addit, *Deo pro nobis melius aliquod providente*, quia ad tolerantiam paſſionum, præter fidem, nobis datur exemplum Chriſti, & uberior gratia, neque expectanda eſt repromiſſio, ut Patriarchis; hoc enim ſi eſſet, Deus non melius providiſſet. Dices, Apoſtolus ait: *Nunc autem meliorem appetunt patriam, ideſt cæleſtem*: ergo &c. R. diſt. ant. Et τὸ *nunc* refertur ad tempus præſens, neg.; ad tempus, quo vivebant Sancti illi, conc. Ibi enim τὸ *nunc* locum habet adverſativæ particulæ: *Sed*, ut notant theologi, & patet ex præcedentibus, *confitentes, quia peregrini ſunt ſuper terram; qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere.*

Ob. IV. In II. ad Tim. 4. legitur, *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die &c.* ergo &c. R. diſt. conſ. *Reddet in illa die coronam*, ideſt completam beatitudinem, conc.; incompletam, neg.

Ob. V. I. Cor. 14. habetur: *Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit; quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra*: ergo ad reſur-

furrectionis tempus omnis fides, & spes nostra rejicienda est.

R. neg. conf. Nam de cælesti gloria ibi ne verbum quidem: id solum vult Apostolus, veram esse Christi doctrinam; si enim falsa esset, non surrexisset a mortuis. Inde vero omnia hæc consequuntur: Si Christus non resurrexit, falsa nos docuit; si falsa nos docuit, vana est fides nostra: ergo nondum redempti sumus: ergo perierunt, qui dormierunt in Christo. Si vero resurrexit, & vera nos docuit, certa spes manet, ut per ipsum justificati, resurgamus & nos, & seminato corpore animali, spiritale resurgat.

Ob. VI. I. Jo. 3. *Cum apparuerit .... videbimus eum sicuti est*: ergo antea non videbimus. R. neg. conf. Nam verba illa, *cum apparuerit*, ad præcedentia referri debent, *nondum apparuit quid erimus*; idest quo modo futuri sumus in meliori illo sæculo; at de Christi adventu nihil penitus. Si autem ea verba referantur ad Christum, respondetur, quod *similes ei erimus* corpore, & anima, juxta similitudinem Christi capitis nostri. Ut enim docet S. P. A. (*a*), ex visione beatifica etiam in corpora Ss. gloria immortalitatis redundat.

Ob. VII. Apoc. 6. 9. legitur, *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei; & clamabant: Usquequo non vindicas sanguinem nostrum*: ergo nondum visione Dei fruuntur.

R. neg. conf. Nam altaris nomine intelligitur humanitas Christi. Sancti ergo subtus altare sunt, idest infra conditionem corporis gloriosi ipsius Christi; nondum enim reassumpta corpora glorificantur, ut corpus Christi. Animæ vero, cum sint *ante thronum Dei* (*b*), *& datæ sunt singulis stolæ albæ* (*c*), idest gloria animæ, ut exponit Bernardus, Dei visione fruuntur. Clamant utique & quia magnum

(a) *In ep. ad Diosc.* (b) *Apoc. c. 7. 15.*
(c) *C. 5. v. 11.*

gnum habent resumendi corpora desiderium, & quia Deo conformes, non solum caritate flagrant, sed etiam zelo justitiæ. Addit cl. Auctor, cælum assimilari templo (a): ibi victimæ ex Apostolo (b) sunt justi, & martyres. Sicut ergo victimarum sanguis ad limen altaris fundebatur, non extra; ita mactatæ pro Christo animæ ad ejus pedes procumbunt, non extra, sed intra cæli cardines, habentes Dei testimonium, & characterem martyrii, quod poscit æquitatem vindictæ.

Ob. II. Mac. 12. 44. habetur: *Nisi enim eos resurrecturos speraret, superfluum videretur orare pro mortuis:* ergo nisi sit resurrectio, nulla erit felicitas animarum. R. dist. cons. Nisi sit resurrectio prima, qua a peccatis solvantur, conc.; secunda in die judicii, subd. Non erit felicitas completa, conc.; incompleta, neg. Resurrectio enim sæpe sumitur pro vita æterna, ut etiam Drusius, & Glassius observant: de hac habetur Ps. 1. *Non resurgent impii* &c. De secunda vero loc. cit. habetur, *Nisi resurrecturos speraret;* nam resurrectio secunda potius creditur, quam speratur, nec eam defunctis apprecamur.

Ob. IX. Liturgias græcas, & latinas, quæ Sanctis precantur retributionem, gloriam, requiem: ita Ecclesia Romana in festo S. Leonis, & Marcelli: & nunc etiam in Canonæ Missæ oramus *pro omnibus in Christo quiescentibus:* ergo nondum fruuntur Dei visione. R. dist. ant. In illis Liturgiis exoratur gloria accidentalis, idest nominis exaltatio, & virtutum imitatio, conc.; essentialis, nego; gloria enim græce Δόξα a δοκέω, *videor*, existimationem, opinionemque significat. De hac oravit Christus Jo. 17., *Clarifica me tu Pater;* eaque, nedum SS. Martyribus, sed etiam SS. Triadi exoratur, dum dicitur, *Gloria Patri &c.* idest gloria

---

(a) *Apoc.* 21. 22., & 11. 19.
(b) *Philipp.* 2. 17., & 2. *Tim.* 46.

ria laudis accidentalis, non gloria essentialis. Requies vero exoratur, cum indiscriminatim pro omnibus defunctis oramus, quibuscum purgantes animas complectimur. Hoc sensu Villelmus Abbas pro S. P. Augustino (quem inter cælites venerabatur, & pro Patritio, & Monica orabat (*a*). Si vero etiam Sanctis petitur requies (quod pene absolevit) gloria corporis petitur, in qua plena quies animarum sita est.

Ob. X. Hilarius in Ps. 120. ait, justorum animas *in sinu Abrahæ locari*, & nondum recipi in regno Dei: & in Ps. 130. docet eas in inferos descendere. Chrysostomus Hom. 39. *Sine corpore*, inquit, *anima illis bonis non fruetur:* ergo &c. R. nego cons. Licet enim Hilarius regnum Christi secernat a regno Dei, ab eo tamen, & a sinu Abrahæ visionem Dei non excludit. Nam in Ps. 65. ait, *Martyres in cælestis domicilii habitaculum introisse.* At in Ps. 130. putavit, animas exemplo Christi ad inferos descendere, & loca lustrare, *quæ Christus sua præsentia honestavit;* ibi tamen non consistere, *sed transire in cælestem Jerusalem*, ut ait in Ps. 141. Chrysostomus loquitur ex hypothesi, quod corpora non resurgant, quo sensu locum Apostoli supra (*b*) exposuimus (*c*).

Ob. ultimo. Anima non meretur sine corpore: ergo nec coronatur. R. neg. ant. Plura enim agimus per solam animam. II. Hæc est caussa princeps, corpus vero instrumentalis. III. Illa per se capax est felicitatis, non istud.

CA-

(a) *Vide not. ad lib. 9. Confess. c. 13. edit. Maur.*
(b) *In ℞. ad 5.*
(c) *Vide Vellosill. in adv., Sixtum Sen. in 6. Bibl. an. 264., Petav. l. 7. c. 18. n. 4., & Estium in 4. sent. dist. 45. §. 6.*

CAPUT V.

Quid hac de re senserint Ambrosius, Augustinus, atque Bernardus.

NOT. I. Differt hæc quæstio de animarum statu a quæstione de loco. Unde Vives in Comment. l. 12. C. D. 9. ait: *Non dubitat de earum gloria ante judicium, sed de loco gloriæ ; nam ubique possunt esse beatæ, cum ubique sit Deus.* Post Lugdunensis, & Tridentinæ Synodi definitiones, ex fidei formulis, Ecclesiæ precibus &c. persuasum est nobis, in cælum recipi Sanctorum animas; sed nondum accedente tanto lumine, prudenter ajebat Ambrosius, aliique, eas in abditis receptaculis versari.

Not. II. Cum animæ sint per se formæ corporis, ægrescunt quodammodo, & languent ab eo sejunctæ ; sollicitat enim illas naturale suorum corporum desiderium: quo appetitu, ait S. P. l. 12. Gen. ad lit. 35., *Retardatur quodammodo anima, ne tota intensione pergat in illud summum cælum.* His prænotatis sit

Propositio I. Catholico dogmati de animarum beatitudine non adversatur Ambrosius.

Prob. ex lib. 10. in Luc., ubi ait: *Unde te evocem Petre? de cælo, ubi jam choro insertus es Angelorum.* Ep. 54. de SS. Gerv. & Prot. ait: *Quorum anima in cælo, corpus in terra.* Ep. 59. ad Thess. *Acholius possessor civitatis æternæ, quæ in cælo est.* l. de Bono Mort. c. 11. *Hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei :* ergo S. Ambrosius censuit Ss. animas cum angelis Deo frui.

Ob. I. Ambrosius de Bon. Mort. ait, Ss. animas recipi in quibusdam promptuariis, ibique manere coronam, ergo &c.

R. dist. ant. Ait manere coronam, ideft completam beatitudinem etiam corporis, quam semper optant ob inditam inclinationem ad ipsum, conc.; incompletam, ideft animæ, nego. Promptua-

ria enim illa sunt diversæ *mansiones in domo Patris* (*a*).

Ob. II. Ibidem c. 10. laudat eorum sententiam, qui ajunt ex 4. Esdr., animas ad infernum descendere: ergo &c.

R. dist. ant. Laudat pro tempore ante Christi mortem, conc.; post Christi mortem, neg. Nam infra ait, eas rapi in superiora habitacula: cæterum etiam extra cælum possent animæ Deo frui, ut supra dictum est (*b*).

Ob. III. Ib. c. 11. septem lætitiæ ordines statuit, & nullibi Dei visionem admittit, imo ait, animas ibi gloriam suam prævidere: ergo &c. R. neg. ant. De quinto enim ordine ait Ambros. *Quintus ordo exultationis uberrimæ habet suavitatem, quod ex hoc carcere in lucem libertatemque pervenerint, & repromissam possideant hæreditatem*, & infra, *ut videant faciem Dei*; prævident ergo gloriam corporis, quam nondum habent, non animæ, quam possident.

Ob. IV. l. 2. de Abel, & Cain ait, *Solvitur corpore anima, & adhuc futuri ambigua suspenditur*: ergo &c.

R. neg. cons. suspenduntur enim animæ, quæ e corpore exeunt, expectatione sententiæ. Quæ erant in Limbo, de Christi reparatoris adventu suspensæ erant: quæ in purgatorio, de duratione pœnarum: quæ in cælis, de die extrema, *de qua nemo scit*; non vero de gloriæ hæreditate, quam possident.

Propositio II. S. P. A. non de gloria animarum sanctarum, sed de loco prudenter dubitat.

Not. Ante Augustini ævum certa non erat traditio de loco animarum. Irenæus, Origenes, & Tertullianus putabant εἰς ἅδην, *in infernum* descendere. Infernus vero modo accipiebatur prout solis reprobis convenit, modo pro abdito loco, ubi

(a) *Vide sup. locum Ambr. ex l. de Bono Mor.*
(b) *Vide R. ad Ob. X. Cap. præc. ad loc. Hilar.*

ubi animæ quiescunt, quo sensu laudati Patres in infernum Sanctorum animas locant. Inferni situm alii in Abrahæ sinu, alii in *promptuariis*, alii in paradiso statuunt a cælorum regno distincto. Quibus notatis assertio nostra prob. Cautus enim est, & prudens, qui nondum traditione explorata, ait, animas vel in Abrahæ sinu recipi, aut in secreto Patris, nec definit, ubi sint hujusmodi habitacula: sed Augustini ævo incertum erat, quo loco Sanctorum animæ consisterent: ergo &c.

Inclinat tamen S. P. in eorum sententiam, qui putant, justorum animas statim in cælum recipi. Nam l. 20. C. D. 15. ait, eas non descendere ad inferos, nec detineri custodia, ut putarunt Lactantius (*a*), & Novatianus (*b*). Et l. 2. Quæst. Evang. sinum Abrahæ, animarum requiem, & regnum cælorum indiscriminatim usurpat. Hinc Estius (*c*) censet, Augustinum diversis vocibus unum designasse habitaculum, ubi Deus videtur, adeoque nec de loco hæsitasse. Quod vero S. P. de gloria animarum sanctarum non dubitet, constat. Nam Pelagianos redarguens (*d*), qui parvulis non renatis vitam æternam, non regnum cælorum assignabant, ait, illos utrumque adipisci, si post Baptismum decedunt. Sed regnum cælorum, & vita æterna est ipsa Dei visio per Augustinum (*e*): ergo &c. Hinc. l. 9. Conf. 7. de Nebridio ait: *Et nunc ille vivit in sinu Abrahæ, & bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua felix.* Et tract. 124. in Jo. ait, dilectum discipulum, non in sepulcro dormire, sed ad summam pervenisse felicitatem.

Ob. I. S. P. serm. 259. ait, post judicium celebrandum esse sabbatismum *in terra.* Et l. 12. C. D. 9. in receptaculis animas statuit: ergo &c.

R. ad

(a) *L.* 7. *c.* 20. (b) *De Trin. c.* 1.
(c) *In* 4. *dist.* 45. (d) *L.* 4. *c. Jul.* 8. *Serm.* 14. *de verbis Ap.* 3., *& l.* 1. *de Præd.* 13.
(e) *Tr.* 21. *in Jo.*

R. ad I., Aug. ibi juxta nonnullos teneri Chiliastarum errore (1), a quo postea resipuit: praetera τὸ, *in terra*, quod ex Mſ. Vaticano ſuppletur, non extat in germanis codicibus. Ad II. R. in lib. de C. D. de loco anceps eſt, non de gloria, vel forte ibi cæleſtes manſiones intelligit.

Ob. II. S. P. in Pſ. 43., & alibi (a) docet, reſervari ſingulis gloriam poſt reſurrectionem, cum Chriſtus apparuerit: ergo &c. R. diſt. ant. Ait reſervari gloriam completam, conc.; incompletam, neg. Vel loquitur de prædeſtinatorum eccleſia, quæ ſolum poſt judicium triumphos aget; vel de vehementi & expedita viſione, quam non retardat naturalis inclinatio ad corpus.

Propositio III. Non recedit a catholico dogmate S. Bernardus, & injuria carpitur a Durando.

Prob. Nam ſerm. 19. de diverſ. ait: *Sanctorum animas intueri divinitatis eſſentiam.* Et lib. de dilig. Deo ait: *Immerſas* (animas martyrum) *ex toto* (credimus) *immenſo illi pelago æterni luminis.* In vit. S. Malach. *Hodie*, inquit, *Malachias in conſortium angelorum recipitur, pari felicitate lætatur, nulla materia prægravatur, quominus pergat totus in Deum.* Serm. 5. dedicat. Sanctorum ait: *Poſt multos agones jam nunc triumphant in cælis coronati.* Serm. de Sancto Victore: *Jam cælos ingreſſus, nunc revelata facie ſpeculatur gloriam Dei.* Unde ſic arguitur. Docet Bernardus, juſtos videre divinitatis eſſentiam, æterno lumine perfundi, lætari cum angelis, triumphare in cælis: ergo &c.

Ob. I. Bernardus ſerm. 2. de Sanctis ait, quod ante diem

(1) Ab hoc tamen errore vindicat ſanctum doctorem vir clariſſimus Joannes Cadonicus Cremonenſis Eccleſiæ Canonicus in ſuis vindiciis Auguſt., in quibus demonſtrat, ſermonem illum in Pſ. 43. non eſſe Auguſtini.

(a) *Ep. ad Fortunatian. & Tract. 49. in Joan.*

diem judicii non convertentur in requiem suam: ergo &c. R. dist. ant. *Non convertentur* &c. per consummatam, & *plenam* beatitudinem etiam corporis, conc.; per inadæquatam, & animæ, neg. Ait enim ibidem: *Gaudium habent Sancti in spiritu suo, gaudium habituri & in ipso corpore suo: & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam.*

Ob. II. Serm. 3. tres status distinguit; primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei post diem judicii: ergo &c. R. dist. ant. e domo Dei excludit beatitudinem completam, conc.; incompletam, neg. ait enim: *Acceperunt stolas suas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Stola prima est felicitas, secunda gloria corporum.* Sunt ergo in atriis Sanctorum animæ, sed una stola indutæ, alia sine nobis non induentur.

Ob. III. Bern. ibidem ait, animas illas rugam habere: ergo non possunt recipi in ecclesiam triumphantem, quæ rugam non habet.

* R. dist. ant. Habent *rugam*, idest maculas, aut sordes, neg.; idest inclinationem ad corpus, *sine quo compleri lætitia, & consummari beatitudo non potest*, conc. *Siquidem viget in iis desiderium hoc naturale, ut necdum tota eorum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur, ut rugam faciat, dum inclinatur desiderio sui*, ait ibidem S. Bernardus.

Ob. IV. Serm. 4. ait, Sanctorum animas ante resurrectionem stare sub altare Dei: ergo &c. R. neg. conf. Altaris enim nomine intelligitur humanitas Christi (a).

Ob. V. Ibidem ait, Sanctos Dei visione fruituros, cum super altare post diem judicii locabuntur: ergo ante non fruentur.

R. dist. ant. Ait fruituros Dei visione uberiori, & completa, conc.; incompleta, neg. Vide responsionem ad tertium.

Ob.

(a) *Vide* ℞. *ad* 7. *cap.* 6.

Ob. VI. Ex ejus ferm. 52. animæ Sanctorum ante refurrectionem *non inebriabuntur ubertate domus Dei*: ergo Deo non fruuntur. R. ut fupra dift. conf. Scribit enim ibidem S. D. Sanctorum animas, *jam bibere, quia jam per fpeciem contemplantur; fed inebriari non poffe, quia a perfectiffima divinitatis contemplatione retardantur, dum refurrectionem fui corporis præftolantur*: quibus verbis nil clarius: ergo &c.

CAPUT VI.

De Joannis XXII. doctrina circa beatitudinem animarum fanctarum.

Joannem XXII., ut privatum doctorem, catholicum dogma impugnaffe, eft omnium ferme fcholafticorum opinio, Okami præfertim, Gerfonis &c.; nos tamen a vulgari opinione recedimus. Sit ergo

Propositio. Jo. XXII. neque ut privatus doctor afferuit, fanctorum animas Dei vifione carere.

Prob. ex hiftoria. Anno 1331. non a Joanne, fed ab aliis cœpit hæc quæftio agitari (*a*), cumque affirmantem fententiam de fide effe aliqui afferent; Joannes rem maturius excutiendam ratus, pro negativa fententia plura momenta collegit, eaque in procerum conventu ann. 1332. recitavit, a theologis expendenda. Michael Cæfenas, & Okamus pfeudopontifici addicti objecerunt, *Joannem dogmatizatum effe, quod fancti non videbunt ufque ad diem judicii faciem Dei*: fed contra Joannis calumniatores fcripfit infignis doctor Ulricus, probans Joannem fcholarum more dubia propofuiffe, quæ expenderent eruditi (*b*). Quod Parifienfi Academiæ adeo fuit exploratum, ut hæc ad Joannem fcripferit: a fanctitate fua plures auctoritates adductas

(a) *Raynald. ad ann.* 1333. *n.* 45.
(b) *Ibid. ad ann.* 1331.

ductas esse, *semper recitando, & nihil determinando.* Anno 1333. scripsit Pontifex ad Francorum regem, petens, ut Magistris, & Baccalaureis Parisiensibus nuntiari faciat, *ut quilibet disputare valeat, quod sibi juxta doctrinam evangelicam disputandum videbitur, donec aliud ordinatum per sedem fuerit apostolicam; sic enim ad veritatem poterit perveniri.* Anno 1334. collecta hinc inde momenta stricte præcepit ad trutinam revocari, datis Rothomagensi Archiepiscopo, & Reginæ Francorum epistolis, in quibus ait, a se sub pœna excommunicationis *injunctum S. R. E. Cardinalibus, Prælatis, & doctoribus, ut super illa studeant, nobisque quod eis videtur, exponant.* Et in consistorio eodem anno 1334. declaravit, se nihil unquam de hac quæstione determinasse, & si quid a se prolatum fuisset, præter intentionem excidisse (*a*). Imo ante mortem, quæ accidit eodem anno 1334., jussit, ut coram S. R. E. Cardinalibus legeretur sequens scriptura: *Credimus, quod animæ purgatæ sint in cælo, & vident Deum, & divinam essentiam facie ad faciem, quantum status, & conditio patitur animæ separatæ* (*b*). Hinc theologi Parisienses de Joannis sententia a rege rogati responderunt, *non asserendo, aut opinando, sed solum recitando* a sanctitate sua fuisse prolatum *quidquid in hac materia dixit* (*c*). Omitto fidei confessionem ad Armenos, & Bullas canonizationis S. Thomæ Aquinatis, & S. Ludovici Tolosani (*d*). Ex quibus sic arguitur: Joannes XXII. recitavit tantum historice negantis sententiæ momenta, ut quæstio a theologis maturius discuteretur, nihil definiens, aut asserens, nec

(a) *Ex Bened. XII. in dipl.* Benedictus Deus. *Ex Ptolomæo Lucensi l. 24. Hist. & ex MSS. Vatic. n.* 4008.

(b) *Ex Jo. Villano l.* 11. *Hist. Flor. c.* 19.

(c) *Ex auctogr. Paris. in Archiv. Fr. Præd.*

(d) *Apud Raynaldum, Gotti, aliosque.*

nec opinando scribens, ut constat ex dictis; ergo neque ut privatus doctor erravit. II. Juenin, Tournely, aliique Galli theologi, expensa theologorum Parisiensium protestatione, fatentur Joannem nihil ex cathedra definiisse, errasse tamen ut privatum doctorem; sed in ea declaratione constat Joannem, nedum nihil ex cathedra definiisse, sed quidquid scripsit, non asserendo, aut decernendo, sed solum opinando scripsisse: ergo &c. III. Licet Joannes negantis sententiæ momenta collegerit, voluit tamen, ut pro utraque parte omnia ex æquo discuterentur (*a*): ergo Joannes incertus erat, & hinc inde fluctuans, veritatem, quam denique assecutus est, inquirebat.

Ob. I. Raynaldus ad annum 1331. scribit, Joannem pro negativa sententia dogmatizatum fuisse: ergo &c. R. neg. ant. Raynaldus enim ait, quod ita calumniabantur hostes Joannis, quod probat ex Ulrico, & MSS. Vaticano.

Ob. II. Joannes omni favore excepit Gerardum Generalem Minorum, sed dure Valesium, qui ob confutatam publica concione Joannis sententiam, in carcerem conjectus est: ergo &c. R. neg. conf. Valesius enim a fidei quæsitoribus in vincula conjectus est, non quod Joannis sententiam impugnasset, id enim permiserat Pontifex (*b*), sed quod e suggestu oppositæ sententiæ dira fuerit precatus (*c*). Gerardo autem nil præstitit Pontifex, quod tanti viri merito impar esset.

Ob. III. Durandus, annuente Pontifice, in jus vocatus, nonnisi regis patrocinio judicium declinavit: ergo &c. R. neg. conf. Joannes enim æquo animo Durandi scriptum excepit, tradens theolo-

 gis

(a) *Ex Epistola ad Reginam, & ad Rothomag. Arch.*

(b) *Ex Epistola ad Gall. reg.*

(c) *Ex Bzovio ad ann.* 1331.

gis examinandum (*a*), nihilque in ea propoſitione cenſura dignum notatum eſt. At male audiit Durandus propter doctrinas inſertas, inter quas illa erat: ex contemplatione humanitatis Chriſti nullum animabus gaudium accedere; tum ob alia nova aſſerta, quorum alia probata, alia proſcripta ſunt.

Ob. IV. Joannem hunc errorem tradidiſſe ſcribunt Gobelinus (*b*), Krantius (*c*), Bzovius (*d*), Ciaconius (*e*), Ptolomæus Lucenſis (*f*), Adrianus (g), Gerſonius (*h*) &c.: ergo &c. R. neg. conſ. Hi enim falſo rumore omnes decepti ſunt, cum multæ fuerint in Joannem malignantium linguæ, ut conſtat ex diplomate Benedicti XII. His autem opponimus auctoritatem theologorum Pariſienſium (*i*). Deinde Bzovius ibi ait, Joannem diſſerendo, non aſſerendo, nec decernendo, in negativam ſententiam inclinaſſe. Ciaconius vero ait, Joannem omnibus theologis juſſiſſe, ut quid de ea re ſentirent, diligenter inquirerent, affirmando, ſe nihil, niſi diſputandi gratia, efferre. Ptolomæus Lucenſis, & Adrianus videntur ancipites: ille enim l. 24. c. 43. ait: *De hoc dubium ſecerat*; is vero habet, *fertur*, *dicitur*. Gerſonius ſermo, ſi germanus eſt, Pariſienſis Academiæ teſtimonio rejicitur.

Ob. V. Jo. XXII. morti proximus errorem ejuravit: ergo erraverat. R. neg. ant. Declarat enim Joannes, ſe plura in hac quæſtione allegaſſe, *non intendens aliquid determinare, aut decidere; & ſi forte in ſuis ſermonibus aliqua viderentur a vero aliena, ea præter intentionem a ſe fuiſſe prolata.* Qua

(a) *Ex MS. Vatic. n.* 208.
(b) *In Coſmodrom. Aet.* 6. *c.* 71.
(c) *L.* 8. *Vandaliæ c.* 16. (d) *Ad ann.* 1331.
(e) *In vita Jo. XXII.* (f) *Ad an.* 1335.
(g) *In* 4. *ſent. de Sacr. Conf.* (h) *Serm. in die Paſch.*
(i) *Vide ſupr. in prob. prop.*

Qua declaratione voluit Joannes *linguis malignantium obviare : ne quis ſiniſtre interpretari poſſet, ſenſiſſe aliquid, quod obviaret fidei orthodoxæ* (a). Sed etſi Joannes ut privatus doctor, in ea, nondum tunc definita ſententia, haud recte ſenſiſſet, nihil præjudicii Cathedræ infallibilitati emerſiſſet; nullam quippe conſtitutionem ea de re emiſit, Okami vero auctoritatem, quippe qui fuerit Romanorum Pontificum hoſtis infenſiſſimus, flocci facimus.

CAPUT VII.

De inæqualitate viſionis beatificæ.

Jovinianus Stoicis addictus, ſicuti nullam meriti, ita nec retributionis inæqualitatem agnovit. Hunc impugnavit circa annum 392. duobus libris D. Hieronymus. In eundem ſcopulum incidunt Novatores, qui juſtificari homines putant per eandem Chriſti ſanctitatem.

Propositio I. Inæqualis gloria meritis inæqualibus rependitur.

Prob. I. Scripturis. Jo. 14. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; unde Tertullianus in Scorp. ait : *Quomodo multæ manſiones, ſi non pro varietate meritorum?* I. Cor. 3. *Unuſquiſque mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem*; & c. 15. *Stella*, inquit, *a ſtella differt in claritate*. II. Cor. 9. *Qui parce ſeminat, parce & metet*. Idem evincitur ex parabola ſeminis, quod fructum dedit, aliud 100. aliud 50. aliud 30. &c. Accedit definitio Trid. Syn. ſeſſ. 6. c. 16.

Prob. II. ex Patribus. Chryſoſtomus hom. 41. in I. Cor. *Non omnes iiſdem potiri præmiis, ſignificatur illa ſimilitudine ſtellarum.* Ambroſius l. 5. in Luc. *Etſi unum regnum, diverſa tamen ſunt merita in regno cælorum.* Nazianzenus Or. 34. ait: *Prout illo-*

(a) *Ben. XII. in ſuo dipl.*

illorum est ordo, plus minusque Deum cernunt. S. P. A. Tr. 67. in Jo. *Multæ mansiones diversas meritorum in vita æterna significant dignitates.* Idem tradunt Fulgentius (*a*), Prosper (*b*), Gregorius Magnus (*c*), aliique.

Prob. III. rationibus Hieronymi. I. Ecclesia militans triumphantem exhibet, quique in ea servatur ordo, in cælo servatur: sed in Ecclesia militante alium gradum tenent Pontifices, alium sacerdotes, levitæ &c.: ergo in triumphante aliam, atque aliam hierarchiam constituunt angeli, archangeli &c. II. Nisi in cælis unus esset major altero, frustra dixisset Christus: *Qui vult major esse, sit omnium minor:* ergo &c. III. Gloria cælestis est merces reddita juxta laborem: ergo major Paulo rependi debet, qui *plus omnibus laboravit* (*d*). IV. Impares sunt reproborum pœnæ ex Apoc. 18. *Quantum exaltavit se, tantum date illi tormentum:* ergo impar est retributio (*e*).

Ob. I. Operarii, Matth. 20. acceperunt *singulos denarios:* sed hoc designat æqualitatem mercedis: ergo diversis meritis eadem merces rependitur.

R. dist. min. Designat æqualitatem retributionis, quoad substantiam, nempe vitam æternam, conc.; quoad modum, & intensionem gaudii, neg. *Unus denarius*, ait cit. loc. Hieronymus, *non unum est præmium, sed una vita, & una de gehenna liberatio*; & S. P. serm. 59. de V. D. 4. *Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus.*

R. II. neg. min. Sive enim accipiatur parabola de sanctis veteris Testamenti, sive de diversis justorum generibus, fieri potest, ut plures, qui novissi-

(a) *De fide ad Petrum.* (b) *In sent.* 360.
(c) *L.* 4. *moral. c.* 31.
(d) *Ex Hieronymo l.* 2. *c. Jovin.*
(e) *Ex Greg. l.* 9. *moral.* 39.

vissime venerunt ad fidem, ad antiquiorum patriarcharum meritum, gloriamque pertingant, ut de B. V. M., & Apostolis dici potest.

Ob. II. Gloriæ inæqualitas invidiam pareret, & majoris præmii cupiditatem: ergo rejici debet.

R. neg. ant. Invidia namque arcetur a perfectissima caritate, quæ *non æmulatur. Quantum enim quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet,* ait Prof. 25. S. Anselmus. Cupiditatem vero pellit perfecta spiritalis satietas, *sicut corporalis omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint*, ait Pomerius de Vit. cont. Aliud exemplum profert S. P. l. 22. C. D. 30. de oculo, qui digito non invidet, aut vicissim.

Ob. III. Pœna damni, cum sit privatio, non suscipit magis & minus, & eadem pœna puniuntur damnati: ergo eadem gloria coronantur electi. R. dist. ant. Pœna damni non habet magis & minus, ratione sui, conc.; ratione adjuncti, & inimicitiæ Dei, ex sequenti cruciatu, quo plus, minusve tristantur, dum percipiunt se divinæ essentiæ contemplatione privari, neg. Deinde visionis privatio, cum sit carentia, æqualis est in omnibus ratione sui, & inæqualem pœnam infligit ratione mæroris: visio autem, cum sit mentis apprehensio, per se animas Sanctorum exhilarat, & gaudium parit.

Ob. IV. Beati omnes vident Deum, ut est in se: ergo æqualiter. R. dist. ant. Vident pro modulo suo, conc.; eadem vi intelligentiæ, & eodem caritatis ardore diligunt, neg. (a).

Propositio II. Caussa moralis inæqualitatis visionis est meritum efficiens lumen gloriæ, quod pro meritorum ratione tribuitur.

I. Pars constat ex dictis; merces enim meritum sequitur, & tanto *amplius alius alio Deum videbit,* quan-

(a) *Vide ℟. ad Ob. 2.*

quanto amplius in hac vita cum dilexit, ait Fulg. L. de Trin. (a). Prob. II. pars. Beati Deum vident, & amant, non vi intellectionis, & amoris nativi, sed vi luminis gloriæ illustrantis, & inflammantis. Quando enim caussa secunda supernaturali virtute operatur, ab hac tantum exoritur major, aut minor operationis excellentia: ergo visio, & amor Beatorum a sola inæqualitate luminis gloriæ habet inæqualitatem. II. Scotistæ eam repetunt ab inæqualitate intellectus, eo quod intellectus sit activa potentia, & cum lumine gloriæ unam totalem causam constituat: sed hæc ratio nulla est: ergo &c. Prob. min. Perfectio, e. g., fidei actus, licet ab intellectu, & gratia oriatur, non ab intellectus acumine, sed a sola gratia perfectionem nanciscitur: ergo, licet visio Dei sit ab intellectu, & lumine gloriæ, non habet ab intellectu majorem intensionem, quia ille non naturali virtute Deum videt, sed ea, quam ipsi lumen gloriæ largitur. Hinc a Guillelmo, & Stephano Paris. hæc Prop. proscripta est (*b*): *Cui meliora fuerint naturalia, necessario major erit gloria.* III. Ex opposita sententia sequitur, meritis non semper gloriam respondere; nam habens idem meritum, & intellectum hebetiorem minus gauderet, quam qui mente præpollet: ergo &c.

Ob. I. Cum æquali gratia unus alio intensius diligit Deum: ergo cum æquali lumine Deum videt alio perfectius. R. dist. ant. Et perfectio dilectionis pendet a gratia, non a vi naturæ, conc.; secus, neg. Potest quidem voluntas gratiæ resistere, sed si opus bonum exerceat, tota perfectio meriti erit a gratia. Deinde in hoc statu datur etiam gratiæ inæqualitas, & qui intensius operatur, majori gratiæ vi præmovetur.

Ob. II. Si duæ sint caussæ, & una perfectior altera,

(a) *Vid. Aug. locum in* ℟. *ad I. Obj.*
(b) *Ann.* 1240. *&* 1267.

tera, erit effectus perfectior: sed tales sunt intellectus, & lumen gloriæ: ergo si intellectus sit efficacior, erit visio vividior. R. dist. maj. Si sint ejusdem ordinis, ut duo equi eandem rhedam trahentes, conc.; si diversi ordinis sint, ut arbitrium, & gratia intellectus, & lumen gloriæ, & una agat virtute alterius, neg.

Ob. III. Vegetior oculus eodem lumine melius videt: ergo perfectior intellectus eodem gloriæ lumine videt lucidius. R. neg. conf. Nam oculus, & lumen sunt ejusdem ordinis, mens autem, & lumen gloriæ diversi.

Ob. IV. Licet eodem Spiritus S. afflatu scripserint Paulus, & Lucas, tamen quia Paulus naturalibus scientiis erat imbutus, ejus scriptura libros Lucæ antecellit: ergo a pari. R. dist. ant. Antecellit styli venustate, conc.; veritatis oraculo, neg.; & retorqueo argumentum; licet enim Paulus, utpote magis eruditus, politiori stylo scripserit, tamen veritatis oraculo alios non vicit: ergo a pari (*a*).

CAPUT VIII.

De beatificæ visionis objecto.

NOT. I. Duplex est intuitivæ visionis objectum, primarium nempe, & secundarium. Illud per se videtur, & ratione sui; tale est SS. Trinitatis mysterium, quod facie ad faciem beati vident, nos autem fide credimus. Vident etiam beati essentiam Dei, ejusque attributa, scientiam, omnipotentiam &c., de quibus l. 2. dictum est. Objectum secundarium illud est, quod cum sit a Deo distinctum, non videtur per se, sed ratione alterius, ut creaturæ per Verbum conditæ, terra, cælum &c. spectant enim omnia ad ordinem universi, cujus beati sunt partes. In illa ergo arte, in qua immutabi-

(a) *Vide Auctorem.*

tabiliter continentur, omnia divini luminis participatione cognoſcunt. Vident ſe ſe invicem: *Nec erit*, ait *S. P.* (*a*), *quod ſuis quiſque aperiat, abſcondat alienis, ubi nullus erit alienus.* Unde & cogitationes ſibi invicem ſponte revelant, ut ſolent amici. Norunt etiam, quos nunquam noverunt. Ex iis, quæ in terris fiunt, ea beatis innoteſcunt, quæ propius ad eos ſpectant. Pontifices vident Eccleſiæ ſtatum, reges regnorum viciſſitudines, parentes familiæ conditionem &c. Nota ſunt exempla Eliæ (*b*), & Oniæ (*c*). Recte enim proviſum eſt a Deo, ut pro nobis intercedant ejus amici. Vident etiam damnatorum pœnas, ut gaudeant de evaſione malorum. Futura autem, & contingentia, præſertim judicii diem, & ſecreta cordium, non norunt, niſi ſibi ea invicem aperiant, aut Deus revelet.

Not. II. Circa primarium objectum quæritur, an divinitus fieri poſſit, ut una perſona ſine alia videatur, aut eſſentia ſine attributis? Affirmant Scotiſtæ, Paludanus, L'Herminier &c. negant Auguſtiniani, ac Thomiſtæ, Sylvius, Habert, Juenin &c. Circa ſecundarium objectum variæ inſtituuntur quæſtiones, quæ ex dictis facile reſolvuntur. Sit itaque

Propositio. Neque abſoluta potentia fieri poteſt, ut eſſentia ſine attributis, aut una perſona ſine alia videatur.

Prob. I. Scripturis. Jo. 14. 9. habetur: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Reſpondent Scotiſtæ, ea verba a PP. exponi de cognitione per fidem, vel de ordinaria, non de abſoluta potentia: ſed contra ſic arguitur: cum eadem ſint Patris opera, ac Filii, qui credit in Filium, neceſſe eſt ut credat etiam in Patrem: ergo quia eadem eſt veritas

(a) *Ep.* 6. (b) 2. *Paralip.* 21.
(c) 2. *Mach.* 14.

tas, & lux Patris, & Filii, opus eſt, ut videns Patrem, videat quoque Filium.

Prob. II. ex Patribus. Auguſtinus in Pſ. 85. ad ea verba: *Neſcitis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt;* ait: *Me viſo videtur Pater, & Patre viſo videtur Filius. Patris, & Filii ſeparari non poteſt viſio:* & 2. Trin. 8. *Neuter ſine altero poteſt oſtendi, unum quippe ſunt.*

Prob. III. ratione. I. Quæ perſonis divinis conveniunt ratione naturæ, ſunt inſeparabilia; non enim potuit, e. g., Pater ſine Filio mundum condere; ſed perſonarum divinarum una eſt veritas, & intelligibilitas, quæ ex æquo in ſingulis reperitur: ergo &c. II. Scotus ſupponit in Deo diſtinctionem formalem, qua videatur ſecundum unam formalitatem, non ſecundum aliam: ſed hanc rejecimus l. 2. c. 3.: ergo &c. III. Ad viſionem intuitivam requiritur, ut videatur tota ſimul plenitudo divinitatis: ſed ſi videatur una perſona ſine alia, non videtur tota ſimul: ergo &c.

Ob. I. Poteſt incarnari una perſona ſine alia: ergo & videri. R. neg. conſ. Incarnatio enim fit hypoſtaſi, quæ multiplex eſt; conſtituitur enim relatione, non abſoluta proprietate; viſio autem habetur ratione ſummæ, & indiſtinctæ cognoſcibilitatis, quæ non alia eſt divinæ ſubſtantiæ, & relationum, ſed eadem, & inſeparabilis. Tum quia incarnatio eſt unio divinæ, & humanæ naturæ in eodem ſuppoſito, non prout natura divina eſt in ſe, ſed prout eſt in Verbo: viſio autem intuitiva eſt unio intentionalis mentis cum Deo prout eſt in ſe. Cæterum hoc argumento ſententia noſtra firmatur; ſi enim Patris, & Filii, ut una eſt natura, una eſſet hypoſtaſis, Filius ſine Patre incarnari non poſſet, ſicuti nequit Filius incarnari abſque Deo *ſapiente*, *bono*, &c. qui eſt ab ejus perſona indiſtinctus. Cum ergo ratione viſibilitatis, nullum ſit in Deo diſcrimen, non erit viſio ratione aliqua ſeparabilis.

Ob. II. Poteſt eſſentia communicari ſine paternitate: ergo & videri. R. neg. conſ. Paternitas enim eſſentialiter, non perſonaliter communicatur; repugnat enim communicari, quod per ſe dicit diſtinctionem ab alio, at non repugnat eſſentiam ſine perſonis videri. Imo ſi videatur in ſe, utrumque videri debet, eo quod utrumque eſt in ſe una, & eadem veritas, & ſubſtantia (a).

Ob. III. In illo priori, quo Pater Filium gignit, eſt perfecte beatus, necdum tamen Filium videt: ergo &c. R. S. P. (b), quod in Patre, & Filio oſtenditur ordo, non *quo alter ſit prior altero, ſed quo alter ſit in altero;* talis eſt ergo beatitudo, quale illud *prius*, nempe cogitationis noſtræ figmentum.

Ob. IV. Divina eſſentia, cum ſit ſummum bonum, eſt per ſe ſola ſufficiens beatitudinis objectum: ergo eſſet plene beatus, qui eam ſolam videret. R. diſt. ant. Eſt ſufficiens objectum, & una res ſimpliciſſima, cum attributis, & Perſonis, conc.; ab iis ſeparabilis, neg. Quod ergo videri nequeat Dei eſſentia ſine relationibus, repetitur ex divinæ eſſentiæ ſimplicitate a relationibus indiſtinctæ; Pater enim eſt omnipotens, nec tamen ſine Filio, ac Spiritu ſancto mundum creare potuit, quia nempe virtus creandi eſt in tribus Perſonis indiſtincta. *Non enim tres omnipotentes, ſed unus omnipotens.* Ex quo ergo tres Perſonæ ſint una res ſumma, ſimplex, & impartibilis, requiritur inſeparabilitas viſionis.

Ob. V. Videri poſſunt abſoluta ſine relativis, e. g. color abſque inhærentia, quantitas in Euchariſtia ſine modo exiſtendi, humanitas Chriſti abſque ejus ſubſiſtentia: ergo &c. R. diſt. ant. Videri poſſunt, ubi non ſint una, & eadem res ſimplex, ut in exemplis productis, conc.; ſecus, neg. Color enim ſubjectum connotat, a quo eſt ſeparabilis, quan-

(a) *Vide Auctorem.* (b) *C. Maximin. l. 3. c. 14.*

quantitas panis connotat Christi corpus, a quo distinguitur, humanitas Verbi personam, a qua assumitur. Color ergo, quantitas, & humanitas Christi possunt absolute videri absque relatione ad aliquod a se distinctum: in Deo autem absoluta, & relativa sunt eadem indivisibilis veritas. Deinde retorqueri potest argumentum; non potest enim in se videri color absque figura, & magnitudine, quae ab eo sunt indistincta: ergo nequit videri Deus, quin videantur personae, attributa, & quidquid est a Deo indistinctum (a) (1).

Ob. VI. Contingentia rerum possibilium a Dei omnipotentia non secernitur, & tamen videns omnipotentiam non videt omnes creaturas possibiles: potest ergo videri essentia sine attributis, aut una Persona sine alia, licet sint indistincta. R. dist. ant. Et beati vident omnipotentiam absolute in se ipsa, idest Dei naturam potentem omnia producere, conc.; vident connotative, idest creaturas a Deo sejunctas, & ab eo producibiles, neg. (b).

Ob. VII. Deus est Beatorum speculum voluntarium: ergo potest eis unam personam sine alia exhibere. R. dist. ant. Est speculum voluntarium absolute, quia libere, & ex gratia se se manifestet, conc.;

(1) Cum Deus sit sua essentia, sua virtus, sua potentia &c. qui illum videt *ut est in se*, videt etiam divinae naturae unitatem, trinitatem personarum, perfectionem attributorum, neque hujus incommutabilis substantiae, quae est suum esse, potest separari visio beata; si enim Deus est sua unitas, sua trinitas, &c. nequit videri *ut est in se*, nisi videatur ut unus, ut trinus &c. alias non videbitur ut est in se. *Siquidem ubi non unius separatur natura, & substantia, visio separari non potest*, ait S. P. A. in Ps. 84.

(a) *Vide Auctorem.*
(b) *Vide Prop. 2. c. 2. diss. 1. Lib. 3. ℣. ad ult.*

conc.; in hypothesi quod se se manifestet, subdist. Est speculum voluntarium exhibendo perfectiones a se indistinctas, quæ sunt primarium beatitudinis objectum, neg.; manifestando creaturas a se diversas, quæq. objectum sunt secundarium, conc. (a). Atque his tertio huic libro finem facimus, in quo si quædam obscure, & involute sunt pertractata, ea clarius manifestabuntur in ea civitate Sanctorum, ubi *tenebræ non sunt ullæ*, quippe *lucerna ejus est agnus.*

LIBER IV.

In quo de scientia Dei disputatur.

AD eam accedimus Dei proprietatem investigandam, de qua clamat Apostolus Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Sunt enim revera *incomprehensibilia judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Has tamen inaccessibiles vias hoc libro percurrere in animo est, idque duplici dissertatione, quarum I. existentiam, objectum & proprietates divinæ scientiæ investigabit, II. vero rationem, aut modum, quo objecta ipsa pertingit.

DISSERTATIO I.

De existentia, objecto, ac proprietatibus scientiæ Dei.

SCIENTIÆ nomine non eam hoc loco intelligimus constantem notitiam, sensuum ope, aut discursu comparatam, quæ cum sit imperfecta, nequit in Deo locum habere; sed permanentem concipimus absque hæsitatione cognitionem, cui nec error subesse potest, nec animi fluctuatio. Dei scientia sic accepta quatuor Capitibus eo, qui sequitur, ordine sermo erit.

CA-

(a) *Vide not. 1. hujus cap,*

CAPUT I.

De existentia divinæ scientiæ.

DIVINAM scientiam soli negare audent Athei, qui Deum terrenarum rerum prævidentiam, curam, ac regimen habere inficiantur. Iis itaque revincendis sit

PROPOSITIO I. In Deo est omnis scientiæ plenitudo.

Prob. I. Ex scripturis. I. Reg. 11. 3. *Deus scientiarum Dominus est, apud ipsum est sapientia, ipse habet consilium, & intelligentiam.* Ps. 138. *Tu agnovisti omnia novissima, & antiqua.* Esther 14. *Qui habes omnem scientiam.* Rom. 11. *O altitudo divitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei:* ergo &c. Prob. II. ex PP., quos sequenti Prop. laudabimus. Prob. III. ratione I. Deus est id, quo melius excogitari non potest: ergo sapientissimus est; nam sapientia vel maxima perfectio est. II. Perfectiones creaturarum continentur in Deo eminenter: ergo & scientia. III. Deus est substantia vivens expers corpore: sed vita hujus substantiæ est intelligendi facultas: ergo est in Deo intelligendi facultas, adeoque scientia; cum in Deo actus, & potentia non distinguantur. Prob. IV. Ethnicorum auctoritate, Platonis (*a*), Procli (*b*), Jamblici (*c*), Simplicii (*d*), Arriani (*e*), Menandri (*f*), qui Deum oculum vocat omnia cernentem. Adde etymon hujus nominis *Deus*, quod a θεάομαι *specto, cognosco* derivatur, unde veteres Deos suos Δαίμονας appellabant, quasi scientes a δαίω, *scio.* Ægyptii denique auream oculi imaginem in templis appendebant in signum providæ, & omnia lustrantis divinitatis.

Opp. Scripturæ loca supra laudata metaphorice acci-

(a) *In Parmenide.* (b) *C.* 21.
(c) *Segm.* 1. *c.* 15. (d) *In epist.*
(e) *In disput.* (f) *Ap. Clem. Alex.* 5. *Strom.*

accipienda sunt, quo sensu corporea membra Deo tribuuntur. Hinc S. P. A. q. 2. ad Simpl. docet, scientiam pertinere ad ea, quæ sensibus corporis exprimuntur: ergo in Deo non habet locum.

R. neg. ant. Nam corporea membra extensionem important, quæ spiritali substantiæ repugnat: atqui non ita se habet scientia, quæ per Augustinum q. 2. ad Simpl. definitur: *Vivacitas certæ, & inconcussæ veritatis, una, atque æterna contemplatione cuncta cernentis:* ergo scientia Deo non repugnat. Augustinus vero loc. cit. negat tantum in Deo scientiam, qua sensa, & intellecta memoria retinemus, cum neque Deus sentiat, neque in eo sit mutabilitas, ut in homine, qui de una cogitatione in aliam transit.

Propositio II. Divina scientia est eadem Dei substantia connotans intelligibilia objecta.

Prob. I. Scripturis. Prov. 8. 2. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*, ubi divina sapientia veluti res subsistens describitur. Hinc recte ex his verbis probatur Verbi cum Patre indivisa substantia. Sap. 7. 22. sapientia dicitur *spiritus sapientiæ sanctus, unicus, subtilis &c.* Prob. II. ex PP. August. Tr. 99. in Jo. ait: *Non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia, qua scit, aliud essentia, qua est, sed utrumque unum est.* Cyrill. l. 33. Thes. *Cum confessione omnium simplex sit, non aliquid ab eo diversum ipsius cogitatio.* Accedunt Bernardus (a), Sinesius (b), aliique. Prob. III. ratione. Si enim Deus foret sapiens participatione veritatis, non perfectione substantiæ, esset compositus, & mutabilis, quod Deo repugnat: ergo Deus est substantialiter sapiens.

Ex quibus sequitur, I. divinæ sapientiæ convenire omnia divinæ naturæ attributa. Unde dicitur Sap. 7. *Spiritus intelligentiæ sanctus*, idest nulla contagione inquinatus, *unicus, & multiplex*, idest sim-

(a) *De Consid.* (b) *De Insomniis.*

ſimplex, & ubique diffuſus, *certus*, hoc eſt erroris expers, *ſubtilis*, & cuncta pervadens, alia movens, & *omnibus mobilibus mobilior*, *candor lucis æternæ*, *omnia potens*, *in ſe permanens &c.* Sequitur II., varias divinæ ſcientiæ partitiones in Scholis adhibitas exponi poſſe relate ad diverſa connotata. Dicitur enim ſapientia, prout res æternas, & altiſſimas ſcrutatur: dicitur *ſcientia*, prout alia a ſe percipit: dicitur *ſpeculativa*, ſi reſpicit objectum non operabile, ut ſunt res poſſibiles: *practica* vero appellatur, ſi opus reſpiciat, e. g. mundi productionem. *Libera* ea eſt, quæ a libero Dei decreto pendet, ut creaturarum exiſtentia: ſecus *neceſſaria* eſt, ut *ſcientia* poſſibilium. Si res ſpectat non exſtituras, dicitur *ſimplicis intelligentiæ*, & poſſibilia item complectitur. Si vero eas reſpicit in aliqua temporis differentia exiſtentes, dicitur *ſcientia viſionis*. Inter ſcientiam *viſionis*, & *ſimplicis intelligentiæ* mediam quandam aliqui ſtatuunt, quæ futura conditionata reſpicit, de qua poſtea.

CAPUT II.

De objecto divinæ ſcientiæ.

OBJECTUM divinæ ſcientiæ illud eſt, circa quod ipſa Dei ſcientia verſatur: cumque verſari poſſit circa Deum ipſum, creaturas poſſibiles, præteritas, exiſtentes, futuras, peccata, cogitationes &c. ſingula diſtinctis propoſitionibus percenſebimus. Sit itaque

PROPOSITIO I. Deus ſemetipſum cognoſcit, atque comprehendit.

Prob. Scripturis. Jo. 10. 15. ait Chriſtus: *Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem*. I. Cor. 11. *Spiritus Dei ſcrutatur etiam profunda Dei*. S. P. 15. Trin. 14. *Novit omnia Deus in ſe ipſo, novit in Filio*: ergo &c.

Prob. II. ratione. Deus enim eſt prima mens: ergo habet pro objecto præſtantiſſimum intelligi-

 bile,

bile, adeoque seipsum. Quod vero seipsum comprehendat, patet; comprehensio enim est infinita cognitio, in qua nihil latet videntem: atqui Deus spiritus est, qui scrutatur etiam profunda Dei: ergo &c. II. Sapientiæ Dei non est numerus: atqui esset, nisi seipsum comprehenderet: ergo &c. III. Dei scientia nil est præstantius: sed absque hac comprehensione esset aliquid Deo præstantius: ergo seipsum comprehendit.

Ob. I. Scientia, & omnipotentia sunt unum: sed hæc non habet Deum pro objecto: ergo nec illa, R. dist. maj. Sunt unum re, conc.; ratione objecti, & connotati, neg. R. II. neg. conf. Scientia enim est actio immanens, omnipotentia est actio transiens: ergo objectum scientiæ potest esse intrinsecum cognoscenti.

Ob. II. Quod comprehenditur, *finitur*, ut docet S. P. 12. C. D. 18.: atqui Deus est infinitus: ergo &c. R. dist. ant. Finitur negative, idest nihil latet videntem, conc.; positive, scilicet attingitur ultimus ejus terminus, subdistinguo: in objecto finito, conc.; in infinito, neg.

Propositio II. Deus cognoscit possibilia, futura, præsentia, atque præterita.

Prob. Scripturis. Eccli. 23. 29. *Domino, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Hebr. 4. 13. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus* (a): ergo &c. Prob. II. ex Patribus. Clemens Alexandrinus 4. Strom. ait: *Deus omnia novit, non solum quæ sunt, sed etiam futura.* S. P. A. 12. C. D. 20. ait, *In una Dei sapientia esse immensos thesauros rerum intelligibilium*: ergo &c. Prob. III. ratione. Nihil enim fuit, est, aut erit, quod non pertineat ad vim effectricem Dei, ad ejus artem, & voluntatem: ergo nihil est, quod divinam lateat scientiam.

Ob. I. Hieronymus I. in Hab. ait: *Absurdum est,*

(a) *Vide Prop. I. c. 1.*

est, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat, quot nascantur culices, quotve moriantur: ergo Deus de minimis non habet scientiam.

R. dist. conf. Non habet scientiam simplicem, neg.; providam, subdistinguo: peculiarem, ut de nobis, conc.; universalem, neg. Subdit enim S. D. *Non simus in nos ipsos injuriosi, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Et ep. 3. miratur creatoris solertiam in *minutis quoque animalibus, formica, culice, vermiculis* &c.: ergo &c.

Ob. II. Futurorum cognitio præscientia dicitur: sed hæc in Deo non est per Augustinum *a*): ergo &c. R. dist. min. In Deo non est præscientia mutabilis, conc.; immutabilis, qua omnia novit, quasi nunc gerantur, neg. Quippe *negare Deum præscium futurorum, insania est*, ait idem Augustinus (*b*).

Ob. III. Paritur cognitio a potentia, & objecto: ergo si Deus cognoscit creaturas, hæ sunt caussa divinæ scientiæ. R. dist. ant. Paritur ex objecto tanquam termino, conc.; tanquam vi effectrice, neg.

Propositio III. Deus cognoscit futura quælibet contingentia, & conditionata.

Not. Futura contingentia ea sunt, quæ non habent necessariam connexionem cum suis caussis, sed vel a libera hominum voluntate pendent, ut peccata; vel extra ordinem eveniunt, ut monstra. Conditionata illa sunt, quæ reapse non erunt, forent tamen, si conditio poneretur, ut pœnitentia Tyriorum, si Christi miracula vidissent; vel reapse erunt, posita conditione, ut Petri negatio, si ab ancilla tentabitur. His prænotatis

Prob. de futuris contingentibus contra Crellium, Wolzogenium, aliosque Socinianos, I. ex Scripturis. Ps. 32. habetur: *Qui intelligit omnia opera eorum.*

(a) *Lib. 2. ad Simpl. q. 2.* (b) 5. *C. D. c.* 97.

eorum. Sap. 8. *Signa, & monstra scit, antequam fiant, & eventus temporum, & sæculorum.* Is. 48. *Scio, quia prævaricaberis*, & c. 41. *Annunciate, quæ ventura sunt, & sciemus quia dii estis:* ergo &c.

Prob. II. ex PP. Aug. 5. C. D. 9. ait, *Deo certus est omnium ordo caussarum.* Orig. ap. Euf. 3. P. E. *Quidquid futurum est, id Deum multo ante prænosse, is demum intelligat, qui excellentiam divinæ mentis intelligit.* Cyrill. Alex. 4. in If. *Deo natura convenit habere & præteritorum, & futurorum notitiam.*

Prob. III. ratione. Deus enim sæpe hæc futura prædixit, v. g. regnorum eversionem, templi abominationem &c. ergo prænoverat. *Cujus rei tot habemus testes*, ait Tertullianus (*a*), *quot Prophetas.* Deinde Deus est sapientissimus artifex: ergo novit, ait Ambrosius (*b*), suorum operum virtutem, efficientiam &c. (*c*).

De futuris conditionatis habetur Sap. 4. 2. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus:* ergo præscivit Deus, illos in crimina prolapsuros, si diutius viverent. I. Reg. 23. quærenti Davidi, *Si tradent*, eum, *viri Ceilæ*, respondet Dominus: *Tradent.* Matt. 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes &c. pœnitentiam egissent.* Hinc S. P. l. de D. Persev. c. 11. ait: *His, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus noluit subvenire, non subvenisse;* & l. de Cor. & Gr. 8. *Respondeant cur illos Deus, cum pie viverent, de vitæ hujus periculis non rapuit? An eorum mala futura nescivit? Nihil horum, nisi insanissime dicitur.* Idem tradunt S. Prosper (*d*), Cyrillus (*e*), Gregorius M. (*f*), Bernardus (*g*), Chrysostomus &c. (*h*)

Ob. I. Jerem. 26. habetur: *Si forte audiant, & con-*

(a) *L. 2. c. Marc. c. 5.* (b) *L. 5. de fid.*
(c) *Vide Prop. præced.* (d) *In R. 8. ad excerpt.*
(e) *L. 3. c. Jul.* (f) *L. 33. mor. c. 17.*
(g) *Serm. de Innoc.* (h) *L. 1. ad Stag.*

convertantur. Ezech. 2. 5. *Si forte audiant, & quiescant.* Joel. 2. 14. *Quis scit, si convertantur.* Matt. 21. *Verebuntur filium meum:* ergo &c.

R. neg. conf. Hæc enim *Deus humano loquitur affectu*, ait Hieron. in Matth. 14., ut liberum *homini servetur arbitrium.* Aliquando sollicitudinem significant, ut Exod. 32., *Si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* Aliquando sunt expletivæ particulæ, *quasi, utique, sane;* ut Jo. 8. *Si me sciretis, utique Patrem meum sciretis.* Quandoque non dubitationem, sed rei difficultatem designant, ut Phil. 3. *Si quomodo occurram ad resurrectionem.* Hinc S. P. tr. 27. in Jo. ait: *Cum dicitur a Deo verbum dubitationis* (cum Deum nihil lateat) *arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

Ob. II. Contingentia non habent determinatam veritatem: ergo a Deo non prævidentur. R. dist. ant. In mente Dei, neg.; in caussis secundis, subd., pro futuro tempore, quo haud dubie vel evenient, vel non, neg.; pro præsenti, conc. Contingentia esse determinata *in actu signato* demonstrant dialectici: nullus enim dicturus est, *quod quæ nunc sunt, antequam fierent, eventura non fuerint*, ait Boethius 5. Conf.: ergo quando contingentia futura erant, habebant determinatam veritatem *in actu signato*, & pro præsenti tempore (a).

Inst. Futura contingentia non habent determinatam veritatem, nisi disjunctive, quatenus vel erunt, vel non erunt: ergo & Deus disjunctive futura cognoscit. R. dist. ant. Non habent veritatem relate ad mentem humanam, quam latet nexus caussarum, conc.; relate ad Deum, qui omnia unico intuitu perlustrat, neg.

Ob. III. S. P. A., S. Prosper, Fulgentius &c. scientiam conditionatorum rejiciunt: ergo &c. R. dist. ant. Rejiciunt in sensu Pelagii, qui ait homines prædestinari ex præscientia bonorum operum

(a) *Vide Arimin. dist. 8.*

rum naturæ viribus efficiendorum, & ſenſu Semipelagianorum, qui docebant, ex duobus parvulis hunc, non illum ſalvari, eo quod Deus præviderit hunc, non illum ſibi obtemperaturum, conc.; in ſenſu Catholico ſupra explicato, neg.

Prop. IV. Deus ſcrutatur intimas cordium cogitationes, & quæcumque peccata.

Sequitur ex dictis, & prob. ſcripturis. Pſal. 68. habetur: *Deus, tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea a te non ſunt abſcondita.* Pſ. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longe.* Jer. 17.: *Ego Dominus ſcrutans cor.* Accedunt S. Ephrem Syrus (a), Ambroſius (b), Hilarius (c), Proſper (d), & S. P. Aug. qui l. 3. de lib. Arb. 4. ait: *Deus prævidet eos, qui propria voluntate peccabunt:* ergo &c. Prob. etiam ratione. Cogitationes enim vel bonæ, vel malæ ſunt; ſi bonæ, ab eo præmovente fiunt; ſi malæ, ab eo permittente: ergo a Deo videntur.

Ob. I. Habac. 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum.* Matth. 25. *Neſcio vos:* ergo &c. R. diſt. ant. *Ne videant malum*, ſcientia practica, & approbationis, conc.; ſimplici, & ſpeculativa, neg. Subdit ibid. Propheta: *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces, devorante impio juſtiorem ſe?* ideſt cur pateris? cur permittis? Phraſis Matthæi frequens eſt in ſcripturis; *neſcire* enim dicitur Deus, quos pro ſuis non agnoſcit.

Inſt. Geneſ. 22. ait Dominus Abrahæ: *Nunc cognovi quod times Deum:* ergo ante non noverat. R. neg. conſ. Senſus enim illorum verborum eſt, Deum experimento comprobatam feciſſe Abrahæ virtutem. Antea enim dixerat (e), ſe optime ejus fidem noviſſe. Sic etiam hunc locum exponunt S. P. A. l. 1. Trin. 12. & l. 83. q. 60. Ambroſius l. 5. de F. c. 7. Hilarius 9. Trin. &c.

Ob. II. Peccata nihil ſunt: ergo carent cognoſcibi-

(a) *Tract. de vit. Spir.* (b) *L. 1. de Off. c. 14.* (c) *In Pſ. 137.* (d) *Sent. 379.* (e) *Gen. 18.*

scibilitate. R. dist. conf. Carent cognoscibilitate intrinseca, qua cognoscantur ut aliquid positivum a caussa efficiente productum, conc.; cognoscibilitate extrinseca, qua videantur ut quid privativum in caussa a bonitate deficiente, neg. (a).

CAPUT III.

An Dei præscientia cum animarum libertate consistat?

Ex opinione Democriti, qui cuncta inevitabili necessitate contingere existimabat, Priscillianus quidam fabulam suam de siderum impulsu mutuam accepit: quo ex fonte venenum biberunt Joannes Us, aliique, qui libertatem arbitrii evertere conati sunt. Tullius vero, ne fatalem hanc necessitatem cogeretur admittere, divinam substulit præscientiam, sicque *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos*, ait Aug. 5. C. D. 9. Sit itaque

Prop. Ex divina præscientia non sequitur inevitabilis rerum eventus.

Prob. I. Deus unico intuitu videt præterita, futura, ac præsentia, nec illi est aliquid futurum, aut præteritum, sed omnia præsentia sunt: atqui scientia præsentium, aut præteritorum nullam infert necessitatem: ergo neque infert præscientia futurorum (b). II. Ex quo Deo infallibiliter certus sit ordo caussarum omnium, non infertur libertatis exitium, cum in eo ordine sint caussæ liberæ, & ipsæ hominum voluntates: ergo Deus cognoscit in illo ordine multa fieri a caussis liberis, & ab hominum voluntate (c). III. Videt Deus, quæ ipse est facturus, idque non infert Dei operibus necessitatem, alias omnia ejus opera essent æterna, nihilque

(a) *Vide Auctorem.* (b) *Ita Anselm. de Concord., Boethius l. 5. de Cons. Pr. 4. S. P. A. l. 3. de lib. Arb. 4.*

(c) *Ita S. P. 5. C. D. c. 10.*

hilque Deus operaretur in tempore: ergo neque ſcientia Dei tollit indifferentiam operum ſecundarum cauſſarum (*a*). IV. Non repugnat plura fieri, quæ poſſent non fieri: ergo nec repugnat ſciri aliquid eſſe contingenter futurum. Quod enim ita fiet, ut poſſit non fieri, eſt futurum contingens. Confirmatur: Non pugnant hæ duæ propoſitiones: *Judas magiſtrum tradet*, & *Judas poterit magiſtrum non tradere*: ergo nec iſtæ pugnant: *Prævidit Deus Judam traditurum eſſe magiſtrum*, & *Judas poterit eum non tradere*: ergo non implicat, Deum prævidere futuram Judæ proditionem, & tamen Judam libere magiſtrum tradere (*b*).

Ob. I. S. P. l. 3. de lib. Arb. 4. ait: *Aliter fieri non poteſt, quod Deus præſcivit*, alioquin falli poſſet divina præſcientia, quod eſt abſurdum &c. Idem docet Anſelmus (*c*): ergo ſi Deus futura prænoſcat, omnia neceſſario evenient.

R. diſt. conſ. Neceſſario evenient, relate ad ſcientiam Dei, & primam cauſſam immutabilem, conc.; relate ad cauſſas proximas, & mutabiles, neg. Non enim pugnat, eandem rem, ſi ad diverſa referatur, dici neceſſariam, & contingentem. Idem eſt ſenſus verborum Auguſtini & Anſelmi; cum enim Deus omnia videat unico intuitu, & relate ad æternitatem nil ſit futurum, recte docent laudati PP., fieri non poſſe, quin eveniant, quæ Deus prævidit. Hanc neceſſitatem vocat Anſelmus ibid. *ſequentem poſitionem rei*; Scholaſtici vero *neceſſitatem conſequentiæ*, *&* in *ſenſu compoſito*.

Ob. II. Præſcientia Dei eſt certa, neceſſaria, & immutabilis: ſed poſita præſcientia, ſequitur neceſſitate conſequentiæ, e. g., peccatum: ergo hoc neceſſario ſequitur. *Quod enim ſequitur ex antecedenti neceſſario, neceſſarium eſt*, ex vulgari axiomate.

R. neg.

(a) *S. P. A. l.* 3. *de lib. Arb.* 4.
(b) *Vide Auctorem.* (c) *In Concord.*

R. neg. maj. Nam divina præſcientia non dicitur abſolute, ſed connotative, adeoque mutabilis eſt, & contingens: diſtinguendum eſt tamen inter certitudinem, & neceſſitatem futurorum. Non enim pugnat, hæc eſſe certa, & infallibilia, Dei præſcientia ſuppoſita, licet neceſſaria non ſint, ſi ad cauſſas proximas comparentur. Axioma illud a Sixto IV. damnatum putant Gonzalez, aliique in propoſitionibus Petri de Rivo. Negant alii; ſed abſolute prolatum de quolibet antecedenti neceſſario falſum eſt. R. D. Thom. 1. p. q. 14. futurum contingens neceſſarium eſſe, prout ſubeſt divinæ ſcientiæ, non prout eſt in ſe; ſed hanc reſponſionem reprobat Ariminenſis, ab eaque recedit Eſtius, quamvis S. Thomæ addictiſſimus. Hujus ergo argumenti: Deus præſcit, e. g. Petrum peccaturum: ergo peccabit; nego ant. eſſe abſolute neceſſarium.

Inſt. Præſcientia Dei eſt æterna, & relate ad futura eſt præterita: ergo eſt abſolute neceſſaria. R. diſt. 1. p. maj. Eſt æterna relate ad divinam ſubſtantiam, conc.; eſt æterna, ideſt æterna ſunt, quæ prævidentur, neg. Ubi enim agitur de attributis Dei relate ad extrinſeca connotata, ex æternitate nunquam infertur abſoluta neceſſitas. Sic æterna eſt creatio, relate ad divinam ſubſtantiam, & tamen libera; æterna voluntas, & gratiæ præparatio, ſed libera (a).

Ob. III. Præſcientia Dei eſt cauſſa futurorum: ſed poſita cauſſa, neceſſario ſequitur effectus: ergo &c. R. diſt. maj. Eſt cauſſa, ut præſcientia eſt, neg.; ut voluntas, ac providentia, ſubdiſtinguo; cauſſa neceſſitatis legi adſtricta, neg.; libera, conc. Non omnem præſcientiam eſſe cauſſam rerum, conſtat ex Auguſtino l. 3. de lib. arbitrio 4. *Deus omnia, quorum ipſe auctor eſt, præſcit, non tamen omnium, quæ præſcit, auctor eſt.* Cum ergo a theologis

(a) *Vide Auctorem.*

logis dicitur, fcientiam Dei eſſe cauſſam rerum; id de fcientia practica intelligendum eſt.

Ob. IV. Suppoſita Dei præſcientia, non poteſt res non evenire: ergo neceſſario evenit. R. diſt. conſ. Neceſſario evenit neceſſitate ſimplici, & abſoluta, neg.; neceſſitate conditionis, & conſequentiæ, conc. *Duæ ſunt neceſſitates*, ait Boethius Prof. ult. *ſimplex una, ut omnes homines eſſe mortales, altera conditionis, ut ſi aliquem ambulare ſcias, eum ambulare neceſſe eſt.* Hæc autem non infert neceſſitatem. Vide Boethium loc. cit.

CAPUT IV.

De præſentia creaturarum omnium in immutabili æternitate.

Obſerva, rem aliquam in æternitate multipliciter poſſe conſiſtere. I. Quod hæc omnia ſimul comprehendat; quæque diverſo tempore peraguntur, immenſæ ejus durationi reſpondeant, ut ſingulæ lineæ circuli ad centrum referuntur. II. Dici poteſt res eſſe in æternitate, itaut ante ſæcula, nedum in cauſſa, ſed in ſe res extiterint; quod melius dixeris ab æterno, quam in æternitate conſiſtere. III. A Thomiſtis dicuntur creaturæ Deo in æternitate præſentes, quia exiſtunt quidem in propria ipſarum natura, non comparate ad ſe, quatenus ſunt in aliqua temporis differentia, ſed comparate ad æternitatem, in qua nulla eſt ſucceſſio temporum. Sit itaque

Propositio I. Primo modo ſupra explicato creaturæ omnes ſunt in æternitate præſentes.

Prob. I. ex Patribus. Ambroſius l. 1. de Fide 7. ait, *Deo, quæ ſunt futura, præſentia ſunt, & ei, cui præcognita ſunt omnia. ventura perfecta ſunt.* S. P. A. 15. Trin. 7. ait, *Et præterita, & futura cum præſentibus cuncta præſentia* Deo eſſe. Et l. 2. ad Simpl. ait, *Quid futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora?* Gregorius Magnus l. 20. Mor.

Mor. 23. ait: *Scimus, quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt.*

Prob. II. ratione. Si æternitati non essent omnia præsentia, non omnia simul comprehenderet, adeoque non esset æternitas. Deinde nulla sunt loca, quæ immensitati non respondeant: ergo nec tempora, quæ æternitati non congruant.

Prop. II. Nulla creatura a Deo cognoscitur secundo modo in æternitate, sive ab æterno consistens.

Prob. Deus videt creaturas eo modo, quo productæ sunt: sed nulla creatura producta est ab æterno: ergo &c.

Prop. III. Creaturæ non videntur ab æterno in propria natura, neque in mensura superiori relate ad æternitatem, neque in propria mensura relate ad se.

Prob. I. ex Augustino L. 5. de Gen. ad lit. 18. ait: Creaturæ, *antequam fierent, & erant, & non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua natura.*

Prob. II. ratione. Non enim existit creatura in sua natura, nisi ponatur extra suas caussas: sed hoc fit in aliqua tantum differentia temporis: ergo &c. Deinde repugnat, aliquid existere in sua natura, & esse præsens in superiori mensura, idest in arte conditoris, quæ est ipsa Dei omnipotentia (a).

Ob. I. Deus omnia videt præsentia, & omnia æternitati coexistunt: ergo Deo sunt omnia physice coexistentia ab æterno. R. neg. conf. Aliud est enim videre omnia præsentia, aliud æternitati coexistere, aliud physice præsens esse ab æterno. I. est præsentaria notione omnia sive sint, sive non sint, adæquare. II. est inter creaturam, & æternitatem nullum intervallum versari, unde æternitas, quæ a rebus nulla temporis intercapedine sejun-

(a) *Vide Auctorem.*

jungitur, vere futuris rebus coexistit: sicut cuilibet loco divina immensitas. At rem existere ab æterno in propria natura, est semper in se fuisse extra ideam Dei, quod est absurdum: ergo &c.

Ob. II. Deus omnia videt in æternitate præsentia: ergo sunt actu apud Deum in æternitate.

R. dist. maj. Deus videt &c. res omnes ab æterno existere, nego; prout in aliqua temporis differentia eventuræ sunt, conc. Deus enim in creaturarum serie tam præsentes, quam futuras unico intuitu videt: non sequitur tamen jam universas accessisse ad eam temporis differentiam, sine qua extare non possunt (*a*).

Ob. III. Divina scientia est immutabilis: ergo habet semper objecta præsentia. R. dist. ant. Est immutabilis, relate ad divinam substantiam videntem, conc.; ad rem subjectam, neg. Scientia enim dicitur mutabilis, vel immutabilis a principali objecto, quod in Deo est ars omnipotentiæ plena omnium rationum immutabilium, *Ibi*, ait S. P., *novit omnia Deus, quæ fecit per ipsam, & ideo non decedit aliquid, vel succedit scientiæ Dei.*

DISSERTATIO II.

De medio divinæ scientiæ, quo nempe Deus creaturas intuetur.

MEDII nomine heic intelligitur id, in quo, tamquam in ratione prius cognita, Deus ea novit, quæ per scientiam suam attingit: nimirum possibilia, præterita, futura cujusvis ordinis, & peccata. Singula distinctis capitibus percensebimus.

CA-

(*a*) *Vide Auctorem.*

CAPUT I.

Oſtenditur Deum in ideis ſuis & immediate univerſas creaturas inſpicere.

NOT. I. Deum in ideis ſuis cuncta introſpicere certum eſt. Quid vero ſint ideæ iſtæ inquirunt theologi. Nos cum Auguſtino 12. C. D. 20., *incommutabiles rationes rerum intelligibilium* appellamus, eæque ſunt a Dei ſapientia indiſtinctæ. Cum autem res non exhibeant ut futuras, niſi artificis propoſitum, & voluntas acceſſerit, etiam præfinitionem complecti debent, ut ideæ ſint futurorum, non poſſibilium. Hinc Græci Patres ideas definiunt παραδείγματα, ſive *exempla*, & rationes ſubſtantiarum efficientes: eaſque ut imagines divini intellectus, non ut placita voluntatis ſpectamus; & quærimus, an poſſibilia, quæ divinarum idearum notione videntur, ſint immediate cognita?

Not. II. Objecta in ſe ipſis ex D. Thoma (a) dupliciter videri poſſunt: per *ſpeciem propriam*, ut cum oculus *hominem videt per ſpeciem hominis;* & per ſpeciem continentis, ut pars in toto. Ariminenſis autem docet videri in ſe ipſo, quod videtur nullo vertente medio inter facultatem, & objectum, ut videntur in mente rationes intelligibiles, & ab oculo interius exaratæ corporalium rerum imagines.

Propositio I. Deus videt omnia in ſe ipſo in incommutabili rerum intelligibilium ratione.

Prob. ex Aug. 15. Trin. 14. *Novit omnia Deus in ſeipſo.* Reapſe in Dei ſapientia ſunt infiniti theſauri rerum intelligibilium, ut artifex novit quidquid elaborate poteſt efficere.

Propositio II. Deus videt creaturas in ſeipſis immediate in ſenſu Ariminenſis (1).

Prob.

(1) Ab hac ſententia merito recedit clariſſimus Auctor in ſchol. cap. 5. l. 4., ubi cum noſtra-

(a) *Qu.* 15. *art.* 5.

Prob. Ubi nullum intercedit medium diſtinctum, videtur objectum in ſe immediate: atqui inter Deum, & creaturas non intercedit hoc medium; Deus enim non cognoſcit per ſpeciem a ſe diſtinctam: ergo &c.

Ob. I. S. P. A. 4. Gen. ad lit. 23. ait: *Omnis cognitio, qua creaturam in ſe ipſa novimus, nox dici poteſt;* & 11. C. D. 7. *Cognitio creaturæ in ſe decoloratior eſt, quam cum in Dei ſapientia cognoſcitur:* ergo Deus non videt creaturas in ſeipſis.

R. neg. conſ. Dicitur enim nox, & decoloratior cognitio creaturæ, vel quia recipit determinationem a re creata, & mutabili, vel quia nondum relata eſt ſancta delectatione in laudem creatoris. Quæ duo in cognitione, qua Deus videt creaturas in ſe ipſis, non habent locum; non enim ei advenit

ſtratibus aliis tradit, videri a Deo creaturas in ſeipſo, tamquam in cauſſa earum effectrice, ut Prop. I. dictum eſt. Creaturæ enim, priuſquam fierent, in hujus cauſſæ virtute præcontinebantur, ut docet S. P. A. l. 15. Trin. Videt ergo Deus omnia in ſua omnipotentia, ac voluntatis decreto, quæ ſunt cauſſa univerſorum, adeoque in ſeipſo; nam omnipotentia, ac voluntas Dei ſunt ipſe Deus. Cumque objectum *motivum* divinæ ſapientiæ ſit ſumma veritas, dicendum eſt, verum aut falſum a Deo cognoſci in ſeipſo, prout eſt ſumma veritas, cum qua verum congruit, & cui repugnat, quod falſum eſt. Hinc S. P. lib. 83. quæſt. qu. 49. *Sacrilegum* putat *aſſerere, quod Deus exeat extra ſe ad aliquid cognoſcendum.* Non quod nihil intueatur, quod ſit extra ſe, *Sed quia quod eſt extra ſe, non intuetur, niſi in ſeipſo*, ut explicat D. Thomas. Hinc D. Ambroſius ait: *Licet omnia proſpiciat Deus, nihil tamen extra ſe intelligere, ſed omnia in ſe intueri dicitur.* Deus ergo, concludit S. P. de Gen. ad lit. c. 15., *vidit omnia, non præter ſeipſum videns, ſed in ſe ipſo.*

nit ex earum præsentia accidentaria cognitio, nec potest, nisi in se delectari: ergo non est in Deo nox &c.

Ob. II. S. P. A. lib. 83. quæst. qu. 46. ait: *Non enim extra se quidquam intuetur Deus; hoc opinari sacrilegum est:* ergo &c.

R. dist. ant. Non videt extra se, ideſt omnia videt sapientia sua, a qua rerum ideæ sunt indistinctæ, conc.; hoc est non percipit res a se distinctas secundum proprias ipsarum rationes, neg. Refellit ibidem S. P. Platonicorum sententiam, qui putabant mundum archetypum constitutum, itaut illum extra se productum Deus in creatione respiceret, quod *opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum rationes in mente divina continentur, non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt.* Ex quibus constat, Augustini verba non fideliter ab adversariis recitari, & alium habere sensum, ac ipsi contendunt.

Ob. III. Quod cognoscitur in se immediate, est objectum scientiæ princeps & motivum, sed creaturæ nequeunt esse objectum *motivum* divinæ scientiæ: ergo &c. R. dist. maj. Si videatur per speciem propriam, conc.; per alienam, neg. Objectum quippe motivum est, quod attingitur ratione sui: sed Deus non videt creaturas per ideas adscititias, neque per species creaturarum: ergo &c.

Ob. IV. Perfecte continentur creaturæ in omnipotentia Dei, non tamen ut sunt in se ipsis: ergo perfecte videntur in Verbo, licet non videantur immediate in se ipsis.

R. neg. conf. Repugnat enim, Deum infinitum, & simplicem *formaliter* in se continere res compositas & finitas; sed rem perfecte cognoscere, non est illam in se *formaliter* continere, sed *objective*, ideſt eam percipere quocumque modo percipi potest. Si enim eadem esset ratio utriusque, quia Deus nequit habere malitiam, non judicaret peccata, neque

neque spiritalis corporalia videret, ut infinitus finita, quod falsum est.

CAPUT II.

An futura libera ordinis naturalis videat Deus in decretis prædeterminantibus.

NOT. I. D. Thomæ discipuli physicæ prædeterminationis assertores in quavis creaturarum operatione ita eam necessariam putant, ut sine ipsa nihil agere valeant. Ajunt, nullum indifferens solis naturæ viribus in certum actum prodire posse, & tamen creaturarum dependentiam a Deo, earumque libertatem his limitibus contineri. Contra Soc. Jesu Theologi docent, has præfinitiones a Bannesio inductas, antiquis Theologis ignotas fuisse, ad Jansenii, & Calvini dogmata accedere, & libertatem evertere. Nos medium iter incedimus, & cum Thomistis propugnamus efficaces præmotiones in operibus supernaturalibus status naturæ lapsæ, rejicimus tamen in operibus, naturalibus, & in statu naturæ innocentis ut minus necessarias.

Not. II. Non negamus tamen præmotionem generalem, qua Deus mentem perpetuo illuminat ideas exhibendo, & voluntatem in bonum generatim inclinat: sed controversia est de speciali motione, & ad certum actum. Defendimus etiam concursum simultaneum, quo Deus res regit a se productas. Neque physicam præmotionem ob vocis novitatem rejicimus; nam quævis hæresis novas quæstiones & vocabula invexit, ut constat de *Homousio*, *Transubstantiatione*, aliisque vocibus ab Ecclesia consecratis. Quamvis enim physicæ præmotionis nomen sacrorum Canonum auctoritate non sit probatum, in omnium tamen ore versatur, eoque & nos utemur, ubi specialem Dei motionem exponemus. Absit autem, ut Calvinismi, aut Jansenismi nota Thomistas inuramus. *Quem enim in-*

venient inter Thomistas Janseniani, qui concedat ita necessarium consensum motioni gratiæ, ut necessarius est amor beatificus, quandiu durat visio? ait optime Annatus, licet physicæ præmotionis impugnator. Nulla item censura sunt inurendi scientiæ mediæ assertores, cum nihil in celebri Congregatione de auxiliis sub Clemente VIII., & Paulo V. ab Ecclesia fuerit definitum. Et quod profertur Pontificium decretum, quo scientia illa media proscribitur, cum ex præscripto juris non fuerit promulgatum, fidem non mereri sancivit (*a*) Innocentius X. (1). Jure ergo a Paulo V., & Urbano VIII. vetitum est, ne se mutuis dicteriis proscindant theologi. Nec tamen probari possunt qui D. Thomam veluti vulgarem scriptorem contemnunt; hunc enim Scholarum principem reverentur celebriores Academiæ, Salmanticensis, Duacensis, Lovanien-

(1) Quod ait hoc loco cl. Auctor, de fide *publica* accipi debet, quam decretum a Clemente VIII., & Paulo V. exaratum non mereri, declaravit Innocentius X. supra laudatus; ne forte quis existimaret, hanc controversiam illo decreto fuisse definitam, proscriptam scientiam mediam, & jus cuique esse factum, ut eam, veluti ab Apostolica sede damnatam, penitus execraretur. Ceterum *privatam* illam & peculiarem fidem, quam in se inspectum decretum illud habere potest, ut a Rom. Pontificibus habitum, præviis tot discussionibus celeberrimæ Congregationis, illi decreto non denegat Innocentius X. Eadem ergo huic decreto fides habenda est, quam haberi fas est omnibus ferme sacrarum Congregationum decretis, quæ in earum tabulariis asservata, nullam fidem *publicam* faciunt in foro Ecclesiæ, nisi Rom. Pontificis auctoritate cognita fuerint, & confirmata.

(a) *Anno* 1654.

vanienſis, Patavina, & Pariſienſis. Ab eo tamen, ubi opus eſſet, imo ab ipſo Auguſtino, ſi alicubi erraſſe deprehendi poſſet, recedendum eſſet debita reverentia. His prænotatis ſit

Propositio I. Deus non prædeterminat actiones liberas naturales, nec prævidet in efficaci decreto.

Ita unanimiter contra Thomiſtas theologi ferme omnes: & prob. I. Præmotio phyſica propugnatur a Thomiſtis, vel ad ſalvandam dependentiam cauſſæ ſecundæ a prima, vel ut virtus indifferens creaturæ determinetur ad actum: ſed neutro ex capite hæc præmotio requiritur: ergo &c. Prob. min. Non requiritur ad I. Stat enim perfecta dependentia, ſi creatura inceſſanter a Deo illuminetur, & ad bonum generali præmotione inclinetur, & ſimultaneo concurſu regatur. Sic enim cauſſa ſecunda ſine prima nihil operatur: ergo ſalvatur perfectiſſima dependentia ſine phyſica præmotione. II. Cauſſæ ſecundæ ita ſupremæ ſubordinantur, ut hæc ad earum actus concurrat juxta cujuſque exigentiam: ſed neceſſariæ, utpote ad unum ordinatæ, neceſſitate impelluntur: ergo liberæ, & indifferentes egent ſola præmotione verſatili. III. Eſſentialis dependentia creaturæ convenit eſſentiali neceſſitate: ergo, ſi hoc titulo phyſica prædefinitio admittitur, quæ fiunt a creatura, neceſſario, & eſſentialiter erunt determinata. IV. Ex parte actus primi non datur prædeterminatio, licet eſſentialiter a prima cauſſa dependeat: ergo hæc præmotio ratione dependentiæ non requiritur. Poteſt utique universorum Dominus, ſi velit, creaturam in quovis ſtatu prædeterminare, & ſicut ad opera ſupernaturalia prædeterminat lapſam, ſic innocentem creaturam potuiſſet ad opera naturalia præmovere, abſque libertatis exitio: non eſt tamen concedendum, Deum id omne præſtitiſſe, quod potuit. Creaturæ dependentia in eo ſita eſt, ut moveatur indifferenter, ſi ſit indifferens; nam ſi cauſſa ſecunda ita a

prima

prima dependeat, ut nihil possit, nisi determinetur, eadem erit conditio caussæ liberæ, & necessariæ, quæ ad unum est essentialiter determinata. Sed etsi daremus, quamlibet præmotionem, cum indifferentia consistere, rejici tamen deberet, eo quod in naturalibus operibus necessaria non est, in malis etiam noxia. Quod autem præmotio illa necessaria non sit, ut caussa secunda prodeat in actum, patet; nam indifferentia, quæ exigit determinari, est passiva, ut saxum, quod ab alio movetur: atqui indifferentia creaturæ est activa, non passiva: ergo &c.

Prob. II. Prædefinitio futurorum necessaria non est ad infallibilitatem divinæ scientiæ, *Potest enim esse*, ex Augustino (*a*), *sine prædestinatione præscientia*: ergo frustra admittitur decretum efficax, ut Deus certo futura libera prænoscat. Confirmatur. Patres enim, qui de futurorum contingentium præscientia loquuntur, nullibi divinæ efficientiæ meminere, nisi in operibus supernaturalibus: imo aliqui docent, non ideo Deum aliqua prænoscere, quia prædestinata sunt, sed contra, quia futura erant, ideo fuisse præscita (*b*): ergo &c.

Prob. III. ab exemplis, quibus actus liberos in ideis rerum a Deo videri suadetur. Nam si videam ferocem equum sessorem non ferentem, hunc casurum prænosco: vel si alium videro stricto gladio in proximum furentem, occidendum præsentio, licet nec habenas equi moderer, nec iratum provocem ad necem: ergo a fortiori videt Deus sine præmotione, qui naturam condidit, & *scrutatur corda.*

Propositio II. Non est ab hac sententia alienus Divus Thomas.

Prob. I. S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 3. scribit: *Deus movet voluntatem, sicut universalis motor, ad universale objectum, quod est bonum, sed homo se determinat ad hoc, vel illud bonum. Interdum specia-*

 liter

(a) *De Præd. Sanct. c.* 10. (b) *Vide Auctorem.*

liter Deus movet ad aliquod bonum, ſicut in his, quos movet per gratiam: ergo docet S. Thomas, voluntatem creatam ſola præmotione generali moveri, qua ſeipſam determinat.

R. Thomiſtæ, ſanctum Doctorem motionem univerſalem appellare prædeterminationem naturaliter ſecundis cauſſis applicatam, motionem vero ſpecialem eſſe gratiam victricem. Verum D. Thomas gratiæ tantum tribuit, quod moveat ad aliquod determinate volendum, in motione vero generali ait, hominem determinare ſeipſum: ergo &c. Ita hunc locum exponit Cajetanus; & D. Thomas q. 1. de Potentia art. 4. ait: *Quod licet cauſſa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per cauſſam proximam determinatur.* II. D. Thomas l. c. Gent. c. 28. duplicem indifferentiam diſtinguit: prima eſt, quando potentia *nondum conſecuta eſt ſuam perfectionem, per quam ad unum determinari poſſit.* Quod explicat exemplo *intellectus dubitantis, qui nondum aſſecutus eſt principia, ex quibus ad alterum determinetur.* Altera eſt indifferentia ad utrumlibet, *cum operans perfectam habet virtutem, ſed a neutro dependet*, ut artifex, *qui pro lubitu diverſis utitur inſtrumentis.* Docet autem D. Thomas, primam indifferentiam eſſe ab altera cauſſa determinandam, non ſecundam; adeoque Deum, licet ſit indifferens, & liber, non determinari ab alia cauſſa, quia habet in ſe plenam virtutem: atqui per D. Thomam habet homo ſufficientiam operativam virtutis ad actus naturales: ergo &c. Hinc Ferrarienſis ait, quod *ſi aliquid ſit indeterminatum per modum agentis liberi, ipſum ſe ratione ſuæ libertatis determinare poteſt.* III. D. Thomas 1. p. q. 14. docet, contingentiam effectuum in ſua cauſa certo præſciri non poſſe, ſed tantum *conjecturaliter*; Deum vero ideo cognoſcere in ſua cauſſa, non quia præmovet, ſed quia Dei contuitus fertur ſuper omnia, prout ſunt ei ab æterno præſentia. *Omnia*, inquit, *quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolum*

lum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate. Ubi ne verbum quidem habet de adjuncto decreto de illis producendis, ut volunt Thomistæ.

Plana est ergo hujus loci expositio, si dicas, Deo ratione æternitatis omnia esse præsentia, nedum rationes rerum, & ideas, sed liberas etiam voluntatis determinationes. Videt proinde contingentia in illis rationibus, ut supra dictum est. Nullibi tamen decreta prædeterminantia commemorat. Cum ergo asserit S. Thomas, Deum futura cognoscere, eo quod sit eorum prima caussa; tripliciter hoc potest intelligi: I. Quia omnes caussæ se se movent virtute universalis motionis, in qua novit Deus liberam illarum motionem. II. Quia aliquando prædeterminat per gratiam. III. Quia omnia sunt ei ab æterno præsentia.

Ob. I. S. P. Aug. l. de Prædest. SS. c. 10. ait: *Prædestinatione ea præscivit*, Deus, *quæ fuerat ipse facturus*: atqui Deus omnia operatur in nobis; ergo omnia novit in effiaci decreto. II. L. de Corr. & Gr. 14. scribit, *Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi nostras*: potest ergo Deus determinare actus nostros, sicut & nos. III. L. 26. c. Faust. ait, illud esse sine dubio futurum, *quod* Deus *vult*: ergo &c. IV. Electio Saul & David fuit actus naturalis: atqui S. P. ait, Deum inclinasse ad eam Israelitas *omnipotentissima potestate*: ergo &c.

R. ad I. dist. min. Operatur vel physica, vel generali præmotione, conc.; semper speciali, neg.; quæ enim sola indigent præmotione generali, ut opera naturalia, a Deo non determinantur, nisi prout fiunt: adeoque caussæ necessariæ ad unum determinantur, liberæ virtute sibi a Deo collata. Hinc patet R. ad secundum. Ad tertium neg. cons.; non enim omnis voluntas est prædeterminans. Ad quartum neg. conseq. Aliud est enim posse Deum, salva libertate creaturæ, prædeterminare caussas

secundas etiam ad actum naturalem, ut de Israelitis fatentur nostrates (licet id fieri negent in omnibus indiscriminatim), aliud, has ita a Deo pendere, ut nequeant sine prædeterminatione in actum prodire. R. II. neg. maj. Deus enim inclinavit corda Israelitarum, ut se subderent Regi cum bona voluntate, quæ a Deo præparatur. Subdit enim S. P., Israelitas ex bona voluntate fecisse, *quod fecerunt corde pacifico*: ad hoc autem præmotionem non negamus.

Ob. II. Deus est prima caussa cujusvis effectus: sed talis non est, nisi per efficacem præmotionem: ergo &c. Pr. min. Exigit enim ratio primæ caussæ, ut sit primum movens: ergo exigit etiam, ut sit primum determinans. II. Absque ea præmotione non salvatur perfectissima dependentia, cum magis dependeat, quod specialiter, quam quod generaliter determinatur. III. Id etiam exigit ratio supremi dominii, quo Deus specialem in creaturis potestatem exercet. IV. Cum generalis præmotio determinetur a voluntate, voluntas erit prima caussa hujus determinationis, relate ad motionem divinam: sed hoc est absurdum: ergo &c. V. Caussæ secundæ sunt instrumenta primæ: sed instrumenta a primo agente determinantur: ergo caussæ secundæ determinantur a prima.

R. neg. min. Salvatur enim in Deo ratio primæ caussæ per solam præmotionem generalem, quia per hanc Deus incessanter creaturam illuminat, ad bonum inclinat, & simultaneo concursu illam adjuvat. Ad I. prob. min. R.; etiam per nos Deum esse primum prædeterminans, eo quod voluntatem ante omnem ipsius motionem inclinet ad bonum in communi, cujus vi rationalis creatura seipsam ad bonum in particulari determinat. Ad secundum neg. antec. Salvatur enim perfectissima dependentia caussæ secundæ, si hæc nequeat in actum prodire, nisi a prima facultatem recipiat; hoc tamen ordine, ut caussa necessaria ad unum determinetur, libera

libera ſit indifferens ad utrumlibet: quæ libertas, cum ſit a voluntate creatoris, eaque poſſit creatura ſpoliari, non tollit dependentiam, ſed adſtruit. Ad III. neg. antec. Nullum enim infertur præjudicium ſupremo Dei dominio, ſi cauſſæ liberæ ſola univerſali motione indigeant; alioquin, ſi eodem pacto Deo ſubjiciantur, erunt omnes neceſſariæ; nam hæc eſt major dependentia, quam ſi ponantur in *manu conſilii ſui.* Ad IV. neg. maj. Nam cauſſa ſecunda eo ſenſu determinat Dei concurſum, quatenus eo utitur, vel abutitur, prout lubet, nec ipſa efficacem reddit Dei concurſum, ſed cum eo ſuam efficaciam exercet. Ad ultimum diſt. maj. Sunt inſtrumentum activum, & vitale, conc.; paſſivum, & inanime, neg. Creaturæ enim non opus habent, ut determinentur, quemadmodum malleus, & ſerra, ſed propria libertate ſe ſe determinant.

Ob. III. D. Thomas (*a*) docet I., omnes cauſſas ſecundas a prima moveri, & voluntates noſtras cognoſci a Deo per hoc, quod ſit nobis cauſſa volendi. II. (*b*) aſſerit, Deum cauſſas ſecundas inclinare. III. (*c*) ait, cauſſam contingentem determinari ad effectum ab aliquo exteriori. IV. Dei voluntate, nedum res produci, ſed etiam modum, quo producuntur, decerni (*d*).

R. ad primum neg. conſ. Deus enim eſt cauſſa effectuum contingentium I. per ejus præmotionem generalem; II. quia omnis operatio tribuitur Deo, qui dedit ipſi virtutem. Ad ſecundum diſt. ant. Ait, cauſſas ſecundas inclinare, prout inclinatio naturalis eſt indita ab auctore naturæ, non ex fatali neceſſitate, conc.; prout omnes indiſcriminatim ad unum determinat, neg. (*e*). Ad tertium neg. conſeq. Vult enim ibi D. Thomas, cauſſam contingentem

(a) *I. P. qu.* 105. *ar.* 4., *&* 3. *c. Gent. c.* 56.
(b) *I. P. q.* 6. *a.* 2. (c) *In II. phyſicorum.*
(d) *Ita Maſſoulieus in opere de divina motione.*
(e) *Vide Prob. I. Propoſ. II.*

gentem determinari ad differentiam caussæ primæ, quæ ab alia non inclinatur ad bonum in communi. Ad quartum dist. ant. Modum determinavit, quia Deus alias decrevit liberas condere, alias necessarias, conc.; quia ad unum omnes determinavit, neg. Hæc malumus respondere, quam D. Thomam, ut vulgarem scriptorem, dimittere.

Ob. IV. In principio indifferenti videri nequeunt certo & infallibiliter res futuræ: ergo &c. R. dist. ant. In principio indifferenti passive, conc.; active, subdist. Videri nequeunt a creaturis, quibus præsens non est determinatio caussæ liberæ, conc.; a Deo, cujus oculis omnia patent; neg.

CAPUT III.

An Deus prævideat mala culpæ in decreto prædeterminante ad materiale peccati.

THOMISTÆ, ne Deum faciant auctorem peccati, distinguunt in opere malo actionem, ac deficientiam caussæ secundæ. Quod enim peccatum sit *factum, dictum, aut concupitum contra legem Dei*, pertinet ad substantiam actus, & dicitur materiale peccati; quod vero sit dissonum a lege æterna, est ejus formale. Cum ergo ex doctrina physicæ præmotionis cogantur asserere, præfiniri peccatum, prout actio est, ut a Calvino declinent, negant, a Deo prædeterminari illius actionis malitiam (a). Alii (b) negant, a Deo præfiniri substantiam actus mali, licet Dei concursum immediatum ad illum admittant. Alii (c) media incedunt via, & docent, Deum prædeterminare actum malum sufficienter, non *positive efficaciter*. Non omnes ergo Thomistæ hac

(a) *Ita Alvarez, Lemos, Ledesma, Gonet, Salmantic., Gotti, aliique.*

(b) *Zumel, & Gonzalez ap. Ledesmam, & Alvarez.*

(c) *Bancel.*

hac de re, neque de mente D. Thomæ conveniunt. Extra Thomiſtarum caſtra nemo eſt, qui hanc ad materiale peccati præmotionem admittat, de mente D. Thomæ parum ſolliciti. Nos vero, licet a Thomiſtis etiam in hac parte recedamus, ſumus tamen in D. Thomam obſequentiſſimi.

Propositio I. Deus non videt mala culpæ in decreto efficaci illius actus, cui adnectitur peccati malitia.

Prob. I. ex Auguſtino de Præd. SS. 10. *Prædeſtinatione Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus; præſcire autem poteſt etiam, quæ non facit, ſicut quæcunque peccata.* L. 3. de lib. Arb. 4. *Non omnium, quæ præſcit, auctor eſt, quorum autem non eſt auctor, juſtus eſt ultor.* Idem docet Proſper (a), Fulgentius (b) &c.

R. Thomiſtæ, Auguſtinum, aliosque PP. exponendos de malitia, non de actione, ſeu materiali peccati. Verum nuſquam agnovit S. P. A. actus mali indeclinabilem præmotionem. I. Enim negat, actum illum præſciri prædeſtinatione: ſed hoc falſum eſſet, ſi prædeſtinaret actionem, cui malitia adnexa eſt, nec verum eſſet dari præſcientiam ſine prædeſtinatione: ergo &c. II. Auguſtinus abſolute pronunciat, Deum non prædeſtinare opera mala, nec ullibi actum a malitia ſejungit: ergo &c. III. Deus permittit peccata, non facit: facit autem, qui eſt auctor actionis, cui neceſſario peccatum adnectitur: ergo &c. IV. Deus nedum punit malitiam, & averſionem a Deo pœna damni, ſed etiam actionem phyſicam, & converſionem ad creaturas pœna ſenſus: ſed, ſi auctor eſſet hujus actionis, non eſſet ejus ultor: ergo. V. Auguſtinus, aliique exponunt ſcripturæ loca, ubi Deus dicitur mala facere, per ſubtractionem gratiæ, non per præmotionem actus: ergo &c.

 Prob.

(a) *In R. ad Obj. Gall.*
(b) *L. 1. ad Mon. 1. c. 19.*

Prob. II. ratione. I. Præmotio non requiritur ad bona opera naturalia (*a*): ergo multo minus ad mala. II. Deus non eſt auctor peccati: ſed auctor eſſet, ſi peccati actum præmoveret: ergo &c. Prob. min. I. enim ex hac præmotione peccatum ſequitur indeclinabiliter: ergo &c. II. Diabolus peccatum ſuadens eſt auctor peccati: ergo a fortiori eſſet Deus, ſi illud præfiniret. III. Poſita lege de non occidendo, ſi Deus necem phyſice præmoveret, Deo obtemperaret qui fratrem occideret: ergo vel non peccaret, vel Deo volente peccaret.

R. Thomiſtæ, Deum velle actionem peccati, non malitiam, diabolum vero malitiam ipſam; adeoque hunc, non Deum auctorem eſſe peccati. Sed operam ludunt; qui enim vult opus malum, vult etiam neceſſario malitiam, alias quis poſſet oculos effodere, hoſtem configere, nec cauſſa eſſe cæcitatis, aut necis. Adde, quod malitia peccati, cum non ſit entitas, non ſit directe, & per ſe, ſed ratione actus poſitivi: qui ergo hunc efficit, eſt ſaltem indirecte cauſſa malitiæ. III. Nec voluntas creata vult malum, ut malum eſt, ſed ſolum actum, cui malitia adnexa eſt, & tamen eſt cauſſa peccati. IV. Diabolus intendit quidem malitiam, ſed ea plerumque ab actione peccati, puta ab homicidio, furto &c. præſcindi nequit: erit ergo qui exiſtimet, Thomiſtarum doctrinam cohærere opinioni Chryſippi, qui teſte Tullio (*b*) docuit, indeclinabilem eſſe præmotionem cauſſarum ſecundarum, malum tamen tribuendum cauſſis proximis, non ſupernis, quia ab his eſt ſolus actus, ab illis vero defectus. Calvinus, & Democritus docent, cauſſam primam prædeſtinare actus malos, & hos abſoluta neceſſitate evenire; Thomiſtæ contra defendunt prædeſtinationem actus, non malitiæ, quam in cauſſam proximam refundunt; diſtant ergo toto

(a) *Per Prop. I. cap. præc.* (b) *De Fato.*

toto cælo ab hæresi Calviniana. Videri tamen poterit alicui Calvinus alter Democritus, & physicæ præmotionis assertor alter Chrysippus.

Propositio II. De Thomas certo non adstruit physicam præmotionem ad materiale peccati.

Prob. I. Q. 80. 1. 2. a. 1. ait: *Peccatum actus quidam est, unde potest aliquod directe caussa esse peccati, per quem modum aliquis directe est caussa alicujus actus, per hoc, quod proprium principium illius actus movet ad agendum:* unde infert, voluntatem esse directe caussam peccati, quia se interius movet ad actum, diabolum vero indirectam, quia exterius suadet. Si ergo Deus ad agendum moveat intrinsece efficaciter præmovendo, erit per D. Thomam auctor peccati. II. q. 49. I. p. a. 1. ait, quod agens producens aliquam formam, est caussa, saltem per accidens, corruptionis alterius, quia ex ea sequitur necessario alterius formæ privatio: ergo si Deus physicam actionem prædefiniat, ex qua sequitur privatio debitæ rectitudinis, erit caussa, saltem per accidens, istius privationis. III. 1. p. q. 19. a. 10. ait: *Malum culpæ Deus nullo modo vult, sed malum pœnæ vult volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum:* ergo non vult Deus mala culpæ præfiniendo physicam actionem. IV. in c. 9. ep. ad Rom. ait, Deum caussare malitiam, quia aliquem *permittit ruere in peccatum ob præcedentes iniquitates.* Et q. 5. de Verit. docet, circa mala non aliam dari providentiam, quam *permissionis:* ergo &c.

R. Thomistæ, S. D. negare præmotionem ad malitiam, non ad actionem; sæpe in ejus libris repeti, Deum esse primam caussam cujusvis actionis, nedum permittendo, sed etiam movendo: ab eo memorari prædeterminationem in 5. dist. 36. & alibi (a). Verum nec ista ullius sunt momenti. Nam p. 2. q. 80. ait, esse caussam peccati, qui movet ad actum, ut voluntas creata, quæ tamen non intendit

(a) *Q. 2. art. 3., & q. 3. de Ver. art. 1.*

tendit malitiam. Nec poterat S. Thom. clarius loqui, quam dicendo, Deum nullo modo velle peccata, & hæc spectare ad solam providentiam *concessionis*. Recte autem dicitur, actus physicos peccatorum esse a Deo, licet ab eo præmoveantur generali præmotione, & concursu. Meminit quidem S. D. *prædeterminationis* rerum faciendarum juxta ideam Dei, & est decretum producendi tum res liberas, tum necessarias; meminit q. 3. de Veritate prædeterminationis efficientis substantias rerum, & hæc prædeterminatio est ordo creaturæ in suum finem; sed prædeterminationis ad materiale peccati nullibi meminit.

Ob. I. Act. 2. 2. legitur, Jesum *definito consilio, & præscientia Dei traditum.* Et c. 4. 27. Pilatum, & Herodem convenisse *facere, quæ manus, & consilium Dei decreverunt fieri:* sed occisio Christi summum scelus fuit: ergo &c.

R. dist. maj. Et Jesus *traditus est consilio, & præscientia* prædeterminante passionem Christi, ut maximum suæ caritatis opus, conc.; prædeterminante Judæorum perfidiam, aut crucifixorum crudelitatem, neg. Decrevit itaque Deus mundi reparationem, cumque præscientia sua voluntatem Judæorum videret, qui summo odio Christi doctrinam prosequebantur, hac veluti oblata occasione, redemptionem hominum perfici voluit: sicque ex parte Dei, & prædeterminatio passionis, & permissio culpæ Judæorum eodem momento statuta est; nostra autem cogitatione præfinitio passionis permissionem peccati præcedit. Hinc Act. 2. simul ponitur definitum consilium, & præscientia, eo quod non fuerit citra præscientiam judaicæ perfidiæ crucifixionis decretum. Recte ergo dicitur c. 4. *decreverunt fieri*, non illos facere, ut constet, decretam a Deo passionem, non Judæ, aut Pilati scelera. *Non enim furentium manus in se immisit Dominus, sed admisit*, nec *præsciendo quod faciendum esset, coegit, ut fieret:* ita S. Leo post Origenem, Justi-

Justinum &c. Mitto etiam Calvinum uti hoc argumento, ut probet, Deum auctorem esse peccati. Unde patet, quam præter rem eo utantur Catholici.

Ob. II. Ex Thomistarum sententia non sequitur, Deum auctorem esse peccati: ergo &c. Prob. ant. I. Ubi plures caussæ ad eumdem effectum concurrunt, vitium refunditur in caussam proximam; unde ad terrena corpora refertur, non ad solem, quod monstra gignantur. Sic pedem claudicantem, non animam moventem, citharam dissonantem, non expertum fidicinam, puerum scribillantem, non magistrum dirigentem culpamus: atqui Deus est caussa remota, non proxima: ergo &c. II. Deus vitiato corpori animam infundens, non est caussa originalis peccati, quod ex ea infusione consequitur: ergo &c. III. Impio ministro sacrilegium tribuitur, non Deo sacramentorum auctori. IV. Ex præmotione generali, & simultaneo concursu non sequitur, Deum auctorem esse malitiæ: ergo neque ex physica præmotione.

R. neg. ant. Ad I. prob. dist. ant. Refunditur in caussam proximam, si hæc ante determinationem caussæ remotæ sit ad vitium determinata, ut in productis exemplis, conc.; secus, neg. & retorq. arg. Si cithara ex ligni vitio sonum reddat asymphonum, aut claudus sit fibrarum ligamento impeditus, non est lyristes caussa dissonantiæ, nec anima auctrix inæqualis gressus. Si vero aut ille chordas nimium laxet, aut tendat, vel hic sibi nervum abscindat, soni & gressus non recti isti auctores dicendi sunt: ita, si Deus concurrat cum voluntate creata, quæ non a Deo, sed a seipsa determinatur, non erit caussa malitiæ: erit autem, si ipse actum determinet. Deinde vitium physicum instrumento tribuitur, morale autem caussæ determinanti. Ad II. neg. cons., & disparitas est, quia animæ productio non est per se connexa cum peccato originali, sed ex corporis infectione consequitur Adami voluntate polluti: contra malitia peccati ex

actione per se vetita promanat: quare, si anima corpori non infecto uniretur, ut Adæ innocenti, macula non contraheretur: unde retorqueo argumentum: Deus auctor esset peccati originalis, si corpus pollueret, ex quo animæ reatus traducitur: ergo esset actualis caussa peccati, si actionem præfiniret, ex qua peccatum consequitur. Ad III. neg. cons. Sacrilegium enim non est consecrationi per se connexum, sed oritur ex indignitate ministri, quam Deus permittit, non prædeterminat (a). Ad IV. neg. cons. Nam universalis motio est indifferens, & ab indifferenti, prout indifferenti, neque bonum determinate fit, neque malum. Quod si voluntas universali præmotione se se inclinet ad bonum, id etiam a caussa præmovente dependet, quia se se determinat virtute agentis universalis, & inclinatione sibi indita ad bonum: si vero flectatur ad malum, id non adscribitur præmoventi, quia malum non est a caussa movente, sed deficiente: concursus autem simultaneus non præcedit determinationem voluntatis, sed est ejus regimen, & conservatio, quam Deus nequit, ex lege providentiæ, subtrahere, quin creaturæ in nihilum abeant.

Ob. III. Etiam mala a Deo præordinantur: ergo præfiniuntur. R. dist. ant. Præordinantur a Deo permittente, cohibente, ulciscente &c., conc.; prædefiniente, aut impellente, nego.

Ob. IV. Deus est prima caussa etiam peccatorum, prout actiones sunt; nam quidquid est, in quantum est, bonum est. Hinc S. P. 3. Trin. ait, Deum esse primam caussam omnium motionum; & Anselmus (b) ait, Deum in malis prædestinare, quod sunt essentialiter, non quod mala sunt. Eadem tradit S. Thomas (c): ergo &c.

R. neg.

(a) *Vide Auctorem.* (b) *L. de Cas. diab. c.* 20. *& in Conc. præsc. & lib. c.* 2.

(c) *Q.* 20. *l. p. art.* 4.

R. neg. conſ. Conſtat enim ex capite præcedenti ſalvari rationem primæ cauſſæ, ſine præmotione ad actus liberos. Proloquium illud: Quidquid eſt &c. valet in actionibus liberis, quoad poteſtatem, non quoad voluntatem. *Apoſtolus* enim *dicit, non eſt poteſtas, niſi a Deo. Nuſquam legimus, non eſt voluntas, niſi a Deo; alioquin etiam peccatorum auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas, niſi ab illo.* Hæc Auguſtinus (a). Anſelmus ibidem ait: Diabolum *nec velle aliquod, nec movere potuiſſe voluntatem, niſi eo permittente, qui fecit illas naturas ſubſtantiales, & accidentales.* Docet ergo, actiones malas prædeterminari eſſentialiter, eo quod a Deo præfinitum ſit, eſſentiam creaturæ rationalis eſſe liberam, ut ipſo permittente, & ſubtrahente auxilium, ſi velit, peccet, ſi nolit, in juſtitia permaneat: non poſſit tamen bonum abſque gratia. S. Thomam a ſuis invitum trahi, ſcripſit olim Campanella, ejuſque teſtimonia facile explicantur. *Nil vetat ergo*, ait Du Hamel (b), *quominus cum Ægidio ſtatuamus, Deum futura omnia in ſuis ideis, in ſua eſſentia, ut in cauſſa libera, continere.*

CAPUT IV.

An futura ordinis ſupernaturalis naturæ innocentis prævideantur in decreto abſoluto.

NOT. I. Tertium diſſidium inter nos, & S. Thomæ diſcipulos, eſt de operibus ſupernaturalibus naturæ innocentis, in quibus illi efficacem, nos verſatilem gratiam admittimus, adeoque ſanctorum angelorum perſeverantiam ſine prædeterminante decreto dicimus fuiſſe prævifam. Stant pro Thomiſtis Reginaldus, Eſtius, Sylvius, Contenſonius, Serrius &c. Nobiſcum ſentiunt Lupus, Noriſius, Bellelli, Poncius, La-Foſſe, Vanroy, Piette &c. Effi-

(a) *De Sp. & Lit. c.* 31.
(b) *L.* 4. *de Scientia c.* 5.

Efficacem gratiam, etiam in ſtatu innocentiæ, admittunt ex noſtris Caſalius, Coquæus, Gavardi, Girken, quos nobis Serrius opponit: ſed neque hi omnes efficacem gratiam prædeterminantem agnoſcunt, & a Thomiſtis quam longe abſunt. Argentinas vero, & Ægidius, de quo infra, haud recte a Serrio laudantur.

Not. II. Auguſtiniani ſyſtematis hæc ſumma eſt. Adamo & angelis non opus fuit adjutorio gratiæ efficacis. Ex illis, qui ſteterunt, ſe ſe ad perſeverandum libero arbitrio inflexerunt. Supernaturalis gratiæ auxilium in utroque ſtatu requiritur, ſed, ut ſit per ſe efficax, & prædeterminans, exigit infirmitatis conditio, & vulnus naturæ. Uno verbo, perſeverantia creaturæ innocentis adnexa eſt conditioni indifferenti, non inferenti, ſub qua eam Deus ab æterno præviderat. Quoniam vero adverſarii, ſuppreſſo nomine, nos Janſenianos appellant, eo quod Janſenius Arnaldus, aliique Janſeniſmi nota traducti de hoc argumento ſcripſere, ac novitatis vocabulo opinionem noſtram ſugillant; eam nec novam eſſe, & a proſcripto dogmate quam longe abeſſe oſtendemus. Fuit ergo opinio veterum theologorum, quatuor eſſe gratiarum genera: habitualem nempe, quæ naturam perficit, conſervationem ipſius habitus, cooperationem Dei, & præmotionem generalem in naturalibus operibus, & ſpecialem in ſupernaturalibus, & motionem quandam per auxilium excitans, quod faciat hominem velle, & prioribus donis bene uti. Nos ergo, poſt Adæ lapſum, omnibus hiſce donis muniri: at creaturam innocentem, cum nullis concupiſcentiæ fluctibus jactaretur, utpote conditam cum bona voluntate, & amore caſto, potuiſſe per ſolam præmotionem indifferentem, abſque efficaci gratia perſeverare. Ita docent Ariminenſis (a), Jo. Major (b), Driedo

(a) 2. *diſt.* 29. *q.* 1. *Concl.* 2. & 3. (b) *Ibidem.*

do (*a*), Curiel (*b*), Bellarminus (*c*), aliique. Et hæc noſtra eſt de gratia naturæ innocentis accepta ab antiquis opinio; quam ex recentioribus tuentur Patres Maurini, Thomaſſinus, Vitaſſe, Macedo, Habert, L'Herminier, Juenin &c., eamque Hennus (*d*), & Bellarminus (*e*) communem appellant. His prænotatis ſit

Propositio I. Innocens creatura non indiguit gratia efficaci, nec ejus perſeverantiam novit Deus in decreto prædeterminante.

Prob. ex Auguſtino l. de corr. & gr. c. 10. 11. 12. (1). Cum enim Adrumetini monaſterii quidam monachi, lecta Auguſtini de gratia efficaci, & de gratuita electione ſententia, contra illam inſurgerent, laudatum librum ſcripſit Auguſtinus, quem S. Proſper plenum vocat divinæ auctoritatis, & Noriſius, & Maurini Patres, auream clavem librorum contra hoſtes gratiæ Dei. In eo libro ſolvit S. P. oppoſitionem Adrumetinorum dicentium, nullum eſſe corripiendum, ſi divinæ legi non obtemperet; excuſari enim poſſunt, quod deſtitutus ſit illa gratia, ſine qua opus non perficitur ſalutare. Ait ergo Aug., Deum ita hominem conſtituiſſe, ut naturam ſimul conderet, & gratiam conferret, qua poſſet in accepta ſtare juſtitia, ſi vellet: hac gratia ſtetiſſe angelos aliquos, alios vero libero arbitrio peccaſſe: hac etiam Adamum ſtare potuiſſe: recte corripi, qui gratia ad perſeverandum neceſſaria

(1) De Auguſtini locis ex lib. de corr. & gr., quibus præſertim ſe premi ſentiunt adverſarii, alibi ſermo erit, nimirum l. 12. ubi de gratia primi hominis diſputabitur: ibique recentiſſimi ſcriptoris animadverſionibus occurremus.

(a) *De Concord. c.* 3. (b) 1. 2. *q.* 19. *art.* 10. *dub.* 2.
(c) *L.* 1. *de gr. primi hom.* 4.
(d) *De princip. act. hum. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *art.* 3.
(e) *loc. cit.*

ria destituuntur, quia illam receperunt in Adam, qui peccando se posterosque omnes infecit: subventum esse huic infirmitati uberiori gratia, quæ dat etiam velle; hanc tamen uni, non alteri, justo Dei judicio, conferri. Qui ergo non habet perseverantiæ donum, eo caret in pœnam peccati, & juste corripitur. Hæc est summa Augustinianæ doctrinæ. Sed, si natura innocens indigeret gratia efficaci, non solvisset S. P. Adrumetinorum objecta; ideo enim per Thomistas Deus Adamo gratiam non contulit, quia est donorum suorum supremus dominus: atqui S. P. A. hanc obviam responsionem non adhibuit: ergo &c. Quia vero Thomistæ ineptum putant hoc argumentum

Prob. ex Augustino loc. cit. ubi ait: Deum sic *ordinasse angelorum, & hominum vitam, ut prius ostenderet, quid eorum posset arbitrium, deinde quid posset gratiæ beneficium.* Intellige arbitrium cum auxilio *sine quo:* hoc enim si iis defuisset, *non utique sua culpa cecidissent*, ait ibidem S. D.: sed, si gratia efficaci indiguissent, nullum esset hujusmodi discrimen: ergo &c.

R. Thomistæ, ex his non excludi gratiam efficacem. Tam sanum, quam infirmum arbitrium stare, & cadere sua libertate, nec inde peti status utriusque discrimen: ostensum esse in Adæ lapsu, quid possit arbitrium sibi relictum: in perseverantia angelorum, quid valeat gratia suffultum.

Verum, etsi in utroque statu libere quis peccet, & mereatur, si tamen utrobique necessaria sit gratia efficax, quid valeant arbitrii vires non constabit. Si enim duo pari ope indigeant, ut idem pondus ferant, quinam ex iis vi prævaleat non cognosces: cognosces autem, si alter majori, alter minori ope indigeat: ergo &c. Deinde c. 11. ait S. P. *Tale erat adjutorium, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Et infra: *Dederat adjutorium, sine quo non posset permanere, si vellet, ut autem vellet,*

in

in ejus libero reliquit arbitrio: ergo Adam habuit solum auxilium, *sine quo:* sed hoc non est prædeterminans: ergo &c. R. Thomistæ: Adamo utique collatum auxilium, *sine quo*, sed controversiam institui, non de gratia Adamo necessaria, ut *posset*, sed, ut perseveraret reipsa; sed hæc est gratia efficax: ergo &c. Verum S. P. ibidem ita statuit discrimen inter hominem innocentem, & lapsum, ut illum dicat accepisse *posse non peccare*; sanctos autem, ad quos pertinet gratia liberationis, etiam ipsam perseverantiam, ipsum velle, sive adjutorium, *quo:* eo quia in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: *Libera nos*, *& non habent tranquillitatem, in qua constituerat primum hominem:* ergo adjutorium *quo* non erat homini recto necessarium. Deinde ait S. P., potuisse Adam per liberum arbitrium (versatili gratia suffultum) perseverare, sicut per ipsum angeli boni steterunt: ergo gratia Adamo collata sat erat nedum, ut posset, sed etiam, ut actu perseveraret, sicuti per eandem gratiam angeli sancti reapse steterunt. Pergit S. P. ibidem: *Ille*, Adam, *in bonis erat*, *sancti vero in malis sunt*, *ex quibus clamant: libera nos. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis* &c. *ille vero nulla tali rixa sua pace fruebatur; proinde potentiore gratia indigent isti.* Quibus verbis demonstrat S. P., primum hominem, nulla rixa turbatum, potentiore gratia non indiguisse, quæ in hoc infirmitatis statu solummodo locum habet: ergo &c.

R. Reginaldus, potentiorem gratiam modo requiri, quia Adamo ea opus erat ad opus tantum; nunc autem etiam ad concupiscentiam superandam, adeoque duplici titulo, dependentiæ, & infirmitatis, esse necessariam. Utitur Serrius exemplo scalæ, qua, ut ascendant, egent ægrotus, & sanus; huic tamen sat virium habenti scala fert solum adminiculum, *ut ascendat.* Sed contra: nam per Augusti-

num Adam innocens neque auxilio ſanante indiguit, cum non eſſet infirmus, neque prædeterminante, cum velle & nolle in ejus eſſet arbitrio: ergo nullo titulo gratia efficax erat ei neceſſaria. *Hæc eſt prima gratia*, ait S. P. ibidem, *quæ data eſt primo Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt, qua fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit; ſecunda plus poteſt, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit ut carnis voluptatem voluntate ſpiritus vincat.* Conſtat ergo, gratiam, qua fit, ut velimus, in ſecundo Adamo, non in primo locum habuiſſe. Deinde, vel egeat homo gratia unico titulo, aut duplici, dummodo efficax ſit, id non reddit gratiam potentiorem, ſed tantum indigentiam in ſubjecto majorem. Quid enim intereſt diſcriminis, ex parte Baptiſmi, ſi in puero originalem culpam, in adulto etiam actualem abſtergat? Non recte ergo dicitur, auxilium ſecundi Adam potentius fuiſſe auxilio primi Adam, ſi utrumque fuiſſet efficax. Imo in ſententia Thomiſtarum gratia illa fuiſſet proprie medicinalis, quia, licet actu non mederetur vulneribus, eſſet tamen medicamentum, ſi vulnera adeſſent. Sicut herba medicinalis eſt, etſi vireſcat in horto, nec actu vulneribus applicetur: ergo a virtute efficaci, non ab actu dicitur gratia efficax. Exemplum Serrii eſt ad rem noſtram. Eget namque ſcala, ut murum conſcendat, tam ſanus, quam ægrotus, ſed ille ſcalam muro aptat, hic vero ad hoc vires non habet. Ita homo innocens gratiam applicat arbitrio ſuo, infirmus vero gratia indiget validiori, qua determinetur ad opus. Adde ex Auguſtino, in ſolo ſtatu naturæ lapſæ prædeſtinationem eſſe gratuitam: ergo in hoc tantum ſtatu admittenda eſt gratia efficax. *Nunc autem*, ait c. 11., *factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat*: ergo homini innocenti atque integro data eſt perſeverantiæ poteſtas: poſt ejus lapſum pertinet ad gratiam, ut quis accedat ad Deum: ſubventum eſt per ipſam infirmitati ejus, ut

ut insuperabiliter ageretur. *Nam si nunc etiam illæsus vigor ille maneret, in quo insons natura fuit, sua quemque voluntas conciliare Deo, pœnaque absolvere posset*, ait in Carm. S. Prosper.

Propositio II. Cohæret Augustinianæ sententiæ etiam Doctor Angelicus.

Prob. I. Nam S. D. nullibi statuit, præmotionem necessariam esse ex capite dependentiæ: atqui hoc unico titulo gratia efficax in statu naturæ innocentis dicitur necessaria: ergo &c. II. Utriusque status diversitatem, non diffitentibus Thomistis, non uno in loco tradit: ergo &c. Quod vero ajunt, efficacem gratiam in eo statu a D. Thoma admitti titulo *dependentiæ*, in hoc autem titulo etiam *infirmitatis*, id sane clarissimis testimoniis non probant. Salvatur enim perfectissima dependentia per solam præmotionem generalem (*a*). III. D. Th. 1. 2. q. 109. a. 10. hoc argumentum proponit: *Apostolus Rom.* 5. ait, *plus restitutum est homini per donum Christi, quam amiserit per peccatum Adæ: sed Adam accepit, unde posset perseverare; ergo multo magis nobis restituitur per gratiam Christi, ut perseverare possimus, & ita homo non indiget gratia ad perseverandum.* Ad hæc autem non respondet S. D., Adamum indiguisse gratia efficaci ad salvandam ejus dependentiam a caussa prima; sed latam esse disparitatem; Adamum nempe, utpote in bonis positum, accepisse donum, per quod perseverare posset, non ut actu perseveraret: *Nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt & donum gratiæ quo perseverare possunt, & ulterius eis datur, quod perseverent. Et sic donum Christi est majus, quam delictum.* Clariora habet 2. 2. q. 137. *Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus ait de Corr. & gr., primo homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, sed* nunc

(a) *Per Prop. I.*

nunc prædestinatis per gratiam Christi non solum datur, ut perseverare possint, sed ut perseverent.

R. Thomistæ, D. Thom. (a) gratiam efficacem requirere pro statu naturæ integræ; & art. 3. & 9. ejus verba luce clariora esse, ut ait Em. Gotti (b). Verum in priori loco ait D. Th.: *Indiget homo, ut ab ipso* Deo *moveatur ad bene agendum*: ergo S. D. de gratia movente, non de prædeterminante verba facit. In secundo loco ait: *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis.* Moventis ait, non efficaciter præmoventis. In tertio loco ait, *Nulla res creata potest in actum prodire, nisi virtute motionis divinæ*: motionis, inquit, non physicæ præmotionis: ergo D. Thomas nobis non adversatur (1).

Propositio III. Consentit Augustino & Thomæ Ægidius Romanus.

I. enim Ægidius dist. 4. in 2. sent. a. 4. ait: *Adhærere Deo amore casto in statu naturæ corruptæ non potest esse sine gratia, sed in statu naturæ instituæ potuit esse per puritatem & innocentiam.* Ex quo sic arguitur. Per Ægidium non potest homo in statu naturæ corruptæ adhærere Deo sine gratia, at in statu innocentiæ potuit per solum amorem natu-

(1) Hac responsione facile occurri potest singulis testimoniis ex D. Thoma petitis, quibus recentissimus scriptor, paulo supra laudatus, sententiam nostram conatur evertere: in iis enim S. D. meminit quidem *divinæ motionis in quemcumque actum*; tum *de virtute gratuita ad operandum, & volendum* loquitur: denique de *divina providentia dirigente, & adjuvante*: de physica vero aut efficaci præmotione, sive de gratia prædeterminante, ne verbum quidem.

(a) 1. 2. *qu.* 109. *art.* 2.
(b) *T.* 3. *q.* 6. *de Scien. cond.*

naturalem purum, & innocentem: sed hic amor purus, & innocens est inclinatio naturæ superaddita, & ea per Ægidium est gratia angelis collata, quæ non fuit prædeterminans, alias omnes stetissent: ergo poterat ex Ægidio creatura innocens Deo adhærere absque gratia efficaci cum sola dilectione singulis ex æquo collata. Major est Ægidii, min. constat ex dictis: ergo &c. II. Ægidius (a) docet, Adam per solam originalem justitiam stare potuisse, & peccata vitare: sed ex Ægidio justitia originalis non importat gratiam prædeterminantem: ergo potuit Adam stare, & vitare peccata absque gratia prædeterminante. Confirmatur (b). Si Adam, uti habuit originalem justitiam, ita etiam habitualem gratiam habuisset, nedum stare, sed etiam moveri, & proficere potuisset: ideo enim stare potuit, sed non mereri, quia habuit originalem justitiam, non gratiam habitualem: ergo, ut posset homo perseverare, ac mereri, non aliud requiritur per Ægidium, præter justitiam originalem, & gratiam gratum facientem. III. Ib. probat Ægidius, non potuisse naturam integram se se præservare a peccato sine originali justitia, *vel sine ulteriori gratia*: ergo ubi est justitia originalis, ut natura integra possit se se præservare a peccato, non est necessaria *ulterior gratia*. Ubi nota, per *ulteriorem gratiam* non intelligere Ægidium gratiam habitualem. Nam sine ipsa poterat creatura innocens se se præservare a peccato sola justitia originali. Gavardus, & Serrius laudant pro sua sententia locum p. 1. Hexam. 15., & p. 2. c. 3.; ubi Ægidius docet, angelos prius fuisse productos, postea distinctos; sed nullibi ait, distinctos fuisse uberiori gratiæ efficacis auxilio. Fuerunt autem per Ægidium prius producti cum originali justitia, postea distincti per gratiam habitualem. *Cœlum* facti

(a) *Dist.* 29. *art.* 2. *dub.* 1.
(b) *Ex art.* 3. *seq.*

cti conditione naturæ, lux per gratiam: *lux autem a tenebris* divisa est per confirmationem in gratia (*a*).

CAPUT V.

In quo argumenta opposita diluuntur.

OPP. I. S. P. L. 12. C. D. 9. ait: *Aut minorem angeli mali acceperunt gratiam, quam qui perstiterunt, aut, si utrique boni creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt:* ergo Angeli, qui steterunt, majori gratiæ adjutorio suffulti sunt.

R. I. aliqui (*b*), Augustinum sub vitæ finem (*c*) hanc retractasse sententiam, sed nulla ducti ratione. Alii, angelos SS. adjutos censent validiori gratia, non efficaci, sed versatili in eodem gratiæ genere. R. II. & verius, dist. conseq., angeli, qui steterunt, sunt magis adjuti, & hoc est adjutorium perseverantiæ, neg.; & est major abundantia caritatis, accepta postquam steterunt, per liberum arbitrium, conc.. Angeli ergo, qui perseveraverunt, cum possent in ancipiti statione relinqui, in præmium perseverantiæ tanta mentis illustratione, tantaque caritate donati sunt, ut certissime scirent, se nunquam ultra casuros. Quod explicat S. P. l. de Corr. & gr. 10. dicens: *Diabolus, & angeli ejus, etsi beati erant, erat tamen, quod eorum adderetur beatitudini, donec istam beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium istius permansionis acciperent: idest, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia caritatis, cadere ulterius non possent, & de se hoc certissime scirent:* illud ergo, *amplius adjuti*, & hoc: *magna abundantia caritatis*, unum & idem sunt. Hoc majus adjutorium vocant nostrates, *adjutorium patriæ*, non *viæ*. Sed instant

(a) *Vide Auctorem.* (b) *Henno, aliique.*
(c) *In Lib. de Corr. & Gr.*

ſtant Thomiſtæ : Quomodo auxilio *patriæ* angeli ad *patriam* ipſam pervenerunt ? R., Auguſtinum non dixiſſe, SS. angelos magis adjutos, ut pervenirent ad *beatitudinem* ſimpliciter, ſed ad beatitudinis plenitudinem. Jam erant beati, erat tamen quod eorum adderetur beatitudini : deerat quippe major abundantia caritatis, qua certiſſime ſcirent, ſe non amplius eſſe caſuros. En beatitudinis plenitudo, quæ *auxilium patriæ* dicitur, ob inamiſſibilitatem beatitudinis, eaque SS. angelis, poſtquam perſeveraverunt, acceſſit. *POST ISTORUM RUINAM*, ait S. P. 11. C. D. 13., *illis certa ſcientia ſuæ ſempiternæ felicitatis acceſſit.* Hæc ergo propoſitio : *Angeli ſancti fuerunt adjuti auxilio patriæ, ut pervenirent ad patriam*, falſa eſt, neque a nobis aſſeritur. Hæc autem : *Poſtquam ſteterunt, fuerunt adjuti pleniore caritate, quæ præſefert patriæ beatitudinem*, vera eſt, & traditur ab Auguſtino (1). Poſſumus etiam cum Scoto varia inſtantia

 in

---

(1) Cum S. P. A. non uno in loco lumen gloriæ gratiam appellet atque *adjutorium*, quo nimirum *anima adjuta, videt quidquid etiam ſe intelligendo videt*, ut ipſe ait l. 12. de Gen. ad lit., facile intelligitur, cur S. D. lumen illud indubiæ certitudinis, & inamiſſibilitatis gloriæ a Deo SS. angelis revelatum, non incongrue *amplius* adjutorium appellet. Præterea τὸ *amplius adjuti &c.* accipi poteſt *extenſive*, de extenſione, ſeu continuatione adjutorii, quo ſenſu idem valet ac *ulterius adjuti &c.* non vero *intenſive* de ejus intenſione, aut incremento. Mali ſiquidem angeli *deſeruerunt, & deſerti ſunt.* Deus ſubtraxit ipſis auxilium, *ſine quo*, poſtquam illo abuſi ſunt; ſicque remanſerunt abſque poteſtate *ulterius* reſurgendi, æterniſque fuerunt addicti ſuppliciis. Bonis autem confirmavit Deus gratiam ſuam, atque idem adjutorium *ſine quo* ulterius protraxit, eoque

in via angelorum distinguere. I. Ss. angelos uberiorem gratiam postulasse: II. Confirmatos in gratia: III. Plena beatitudinis gloria fuisse coronatos: itaut major caritas fuerit adjutorium *viæ*, non ad perseverandum, sed in præmium perseverantiæ, ut facilius ad beatitudinem pervenirent.

Ob. II. S. P. ib. ait: *Si angeli boni fuerunt prius sine bona voluntate, eamque Deo non operante fecerunt: ergo meliores a seipso facti sunt? absit*: sed tales facti essent seipsis, si perseverassent sola gratia versatili: ergo &c.

R. dist. min. Tales facti essent seipsis, idest solo naturali arbitrio, neg.; una cum gratia conditoris, conc. Non itaque seipsis meliores facti sunt angeli sancti, sed gratiæ beneficio, quæ an efficax esset, an indifferens, non erat Augustini scopus definire; quodcumque enim esset, semper stat, gratia meliores factos esse. Non enim, ait ib. S. D., *seipsos meliores fecerunt, quam a Deo facti sunt; sed in bona voluntate steterunt, in qua conditi sunt.*

Ob. III. Spectat etiam ad angelos illud Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti?* (a) Atqui S. P. ex eo

eoque perseverantes angeli sancti ad terminum plenæ, sempiternæque felicitatis pervenere. Tandem illud *amplius* adjutorium non refertur ab Augustino neque ad momentum, quod præcessit lapsum, neque ad ipsum lapsus momentum (ait enim: *Post istorum ruinam, illis certa scientia suæ sempiternæ felicitatis accessit*): ergo ad subsequens momentum refertur; adeoque illud *amplius* adjutorium, quod a Thomistis censetur efficax, datum est angelis bonis, postquam in primo, & secundo momento perseveraverunt; ruit ergo recentiorum Thomistarum argumentum, qui ad perseverantiam angelorum efficacem gratiam necessariam fuisse contendunt.

(a) *Ex Aug.* 11. *C. D.* 19.

eo demonſtrat contra Pelagianos neceſſitatem gratiæ victricis: ergo &c.

R. diſt. min. Ex eo oſtendit neceſſitatem gratiæ victricis, prout diſtinguitur a donis naturalibus, conc.; prout ſecernitur a gratia indifferenti, ſine ſuppoſitione vulneratæ naturæ, neg. Quidquid ergo creatura habet, a Deo accepit, nec gloriari poteſt, niſi in Domino. Si ergo angeli ſola naturæ vi juſtitiam comparaſſent, gloriari potuiſſent, ſe habere, quod a Domino non accepiſſent; & ſi homo infirmus poſſet ſola gratia verſatili bene agere, gloriari poſſet, ſe ægrum feciſſe, quod ſanus non fecit: ergo ex Apoſtoli loco probatur tantum gratiæ neceſſitas, prout eſt donum naturæ ſuperadditum, præſcindendo, an ſit indifferens, aut efficax. Si vero circumſtantia infirmitatis accedat, oſtenditur validioris gratiæ auxilium, quod non ſpectat naturæ conditionem, ſed lapſum. Aliunde enim repetitur cibi neceſſitas in ſano, ac in ægroto; huic enim cibus convenit etiam, ut fractæ antea vires reſtituantur. Utitur hoc exemplo S. P. 14. C. D. 27. (1).

Ob.

(1) Heic obiter nota, laudatum Apoſtoli teſtimonium, *quid habes* &c. etiam donis mere naturalibus ab Auguſtino, aliiſque Patribus applicari; ſicut ergo male quis argueret dicens: locus Apoſtoli accipitur a ſanctis Patribus de naturæ donis: ergo donum naturæ eſt gratia efficax; ita haud recte arguunt adverſarii, dum ajunt: locus Apoſtoli applicatur ab Auguſtino donis naturæ innocentis: ergo innocentis naturæ donum eſt gratia victrix. Omnibus itaque ſtatibus locus Apoſtoli poteſt aptari, ſtatui nimirum naturæ ſimplicis non elevatæ, ſtatui naturæ innocentis elevatæ cum adjutorio *ſine quo*, nec non ſtatui naturæ reparatæ cum adjutorio *quo*, ſive gratia efficaci. In hoc autem poſtremo ſtatu

ſtri-

Ob. IV. Creatura innocens debuit orare Deum, ut perseveraret: ergo non habuit donum perseverantiæ. Frustra enim petis, quod in tua habeas potestate. Pr. ant. ex libell. Gelas. contra Pelag., ubi ait: *Illa primæ conditionis integritas, dum ita de se fidit, tamquam ipso, qui se condiderat, non egeret, nec de perceptis gratias agit, quod nusquam fecisse memoratur, in prævaricationem tracta, conditionem mortis invenit*: ergo &c.

R. dist. ant. Debuit orare oratione gemitus, neg.; oratione laudis, conc. Illa auxilium petimus nondum collatum, hac de percepto gratia refertur. Sic pauper stipem petit, dum fame perit; sed ea accepta, laudat divitem misericordem, rogatque, ne se deserat posthac. Creatura ergo innocens, quæ originalem justitiam, & bonam voluntatem dono conditoris acceperat, debuit agnoscere, se divini muneris conservatione indigere: illa vero de se fidit, *tamquam ipso, qui se condiderat, non egeret*. Debuit gratias agere, *quod nusquam fecisse memoratur*. Debuit tentatione pulsante orare, ne divino destitueretur auxilio, quod, etsi præsto erat, subtrahi tamen poterat, sua culpa: *Illa vero nec ad eum pulsato tentatoris accessu devota concurrit*; merito ergo deserta est. Quod autem creatura innocens teneretur petere gemebunda uberius victricis gratiæ adjutorium, ex Gelasii verbis non eruitur. Arguit ergo Gelasius de minori ad majus sic: Si gratia necessaria fuit creaturæ innocenti,

strictissime applicatur, ac juxta illum intelligentiæ gradum, in quo proprie accipitur ab Apostolo, & Augustino. Ita locus Jo. 10. *Ego, & Pater unum sumus*, de unitate voluntatis, & naturæ accipitur: cum autem de creaturis ait Christus, *Rogo ut sint unum*, de sola unitate amoris, & concordiæ cum restrictione accipi debet. Non ergo materialis, sed formalis, & proportionalis hujus loci applicatio spectanda est.

centi, quanto magis erit lapſæ? ſi illa ſuperbiendo non ſtetit, quomodo hæc ſtabit fractis viribus?

Ob. V. S. P. l. de Cant. num. 8. ait: *Quid valeat arbitrium non adjutum, in ipſo Adam monſtratum eſt*: ergo &c. R. I. cum doctiſſimis criticis, hunc librum non eſſe Auguſtini, cum neque in libris Retract., neque in Indiculo Poſſidii memoretur. R. II. diſt. ant. Monſtratum eſt quid valeat arbitrium *non adjutum*, hoc eſt ſuis viribus confiſum, & Dei munera abjiciens, adeoque ſibi relictum, conc.; *non adjutum* efficaci adjutorio, neg. Sicut enim in claudo, qui ſuperbe ſibi fidens, projecto baculo cadit, ſatis liquet, ſine eo non poſſe conſiſtere: ſic Adam, ait S. P. (a), *Voluit deſerere eum, a quo factus eſt: permiſit Deus, tamquam dicens, deſerat me, & inveniat ſe, & miſeria ſua probet, quia nihil poteſt ſine me. Hoc modo oſtendere voluit Deus, quid liberum arbitrium valeat ſine Deo.*

Ob. VI. Etiam in ſtatu innocentiæ gratuita prædeſtinatio locum habet, exemplo Chriſti, qui, ex Auguſt. de Præd. SS., eſt *prædeſtinationis, & gratiæ pulcherrimum lumen*: ergo &c.

R. neg. ant. Nam in eo ſtatu prædeſtinatio fuit merces arbitrii, intellige Dei gratia fuffulti, & de mercede reddenda meritis gratia Dei comparatis. Nam merita naturalia, etiam hominis integri, Pii V., & Greg. XIII. judicio proſcripta ſunt: jam vero prædeſtinatio eſt gratia liberationis. Exemplum Chriſti non eſt ad rem. Chriſtus enim eſt caput prædeſtinatorum, & ſpectat ad Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo, & in quovis corpore eadem eſt vita capitis, atque membrorum. Cumque nos egeamus gratia efficaci, Redemptori collata eſt, non ob ejus neceſſitatem, ſed ob Eccleſiæ utilitatem. *Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput eſſet, ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra eſſemus. Humana hic merita conticeſcant,* quæ

(a) *De Verbis Ap. c.* 11.

quæ perierunt in Adam, ait ib. S. P. A., *& regnet, quæ regnat gratia per Jesum Christum.*

Ob. VII. Fulgentius l. 11. ad Trasim. 2. ait: Eandem gratiam reparasse hominem lapsum, & custodisse angelum a ruina; II. Gregorius Magnus (a) refert ad occulta judicia Dei, quod ex angelis alios servavit, alios perdidit: jure ergo vetat Ecclesia, ne quis dicat, gloriam in iis mercedem futuram.

R. dist. ant. Ait eandem *&c.* quoad vim effectricem, neg.; quoad principium, & virtutem Dei, conc.; ait enim ib., *Una est in utroque gratia operata: in hoc ut surgeret, in illo ne caderet. Hunc autem, qui sapit, Filium Dei esse non ambigit, qui est virtus, & sapientia Patris.* Probat ergo ibi S. D., Dei Filium, nedum ut hominem esse humani generis Salvatorem, sed etiam ut virtus est, & sapientia Patris, servatorem fuisse angelorum, adeoque immutabilem Deum, & Patri consubstantialem. Cæterum, si eadem gratia in utroque statu requiritur, quoad vim effectricem, quomodo potentior est, quæ sanat vulnera? & si validior est, quomodo est eadem? Vide Fulgentium l. 3. de Fide ubi docet, sanctos angelos non fuisse majori gratia donatos, nisi postquam, aliis cadentibus, sua voluntate steterunt. Ad II. dist. ant. Gregorius ad judicia Dei refert, quod angeli steterint, vel ceciderint, neg.; quod istis noluerit ignoscere, neque ad resipiscendum gratiam elargiri, conc. Idem docet etiam S. P. A. (b). Cur autem uni, non alteri donetur perseverantia, spectat ad Dei judicia in hoc statu, in quo uni misericorditer datur, alteri juste negatur, non autem in illo, in quo stare, aut cadere in libero erat arbitrio. *Deus* enim, ut ait Greg. 5. Moral. 28., *naturam spirituum bonam, sed mutabilem condidit, ut, qui permanere nollent, ruerent, & qui persisterent, ex arbitrio starent.*

Obji-

(a) 15. *Mor.* 22.
(b) *L.* 11. *de Gen. ad lit.* 10.

Objicit Serrius alia plura, sed ea ex dictis eadem facilitate exsufflantur, qua proponuntur (*a*).

CAPUT VI.

An scientia futurorum contingentium scientia media sit appellanda?

Not. dictum est c. 1., scientiam Dei, relate ad possibilia, *simplicis intelligentiæ* appellari, relate ad res existentes in tempore, *scientiam visionis*. Inter eas mediat scientia conditionatorum, quæ non sunt absolute futura, essent tamen, si aliqua poneretur conditio, v. g., si Tyrii Christi signa vidissent, conversi essent; si Petrus in tali circumstantia vocabitur, resipiscet. Dicitur a Molina scientia media, eaque rejicitur a Thomistis, qui futura omnia a Deo videri docent per scientiam visionis in suo decreto physicæ præmotionis. Si vero quæras, quomodo ex eo decreto res non sint absolute futuræ? respondent, quia decretum est absolutum ex parte Dei, conditionatum ex parte objecti. Idem sentiunt Scotistæ, licet decretum divinum a præmotione sejungant. Nostrates, qui efficaciam gratiæ ad opera naturalia in quovis statu inutilem existimant, in his omnibus scientiam, quæ certo quodam sensu media dici potest, admittunt, sed removent ad operibus supernaturalibus status naturæ lapsæ. Quidam putant, futura hæc referenda non esse neque ad scientiam visionis, quod nullum de iis extet decretum, neque ad mediam, eo quod a possibilibus non distet, nisi per mentem: sed ad scientiam simplicis intelligentiæ, adeoque de nomine, non de re disputari. Sit itaque

Propositio I. Si accipiatur scientia media pro certa præscientia futurorum ordinis naturalis, & supernaturalis in statu naturæ innocentis sine ullo decreto, admitti potest vocabulum scientiæ mediæ.

Prob.

(a) *Vide Auctorem.*

Prob. Neque ad opera naturalia (*a*), neque ad supernaturalia (*b*) in statu naturæ innocentis, neque ad peccata (*c*) admitti debet decretum efficax: ergo non in decreto, sed per scientiam mediam a Deo videntur.

Propositio II. Præscientia peccatorum in hoc statu spectat ad scientiam visionis, non ad mediam.

Negant id qui prædeterminationem rejiciunt ad materiale peccati, dicentes: Deus non prædefinit materiale peccati: ergo non prævidet peccata in decreto prædeterminante, sed per scientiam mediam. Verum peccata non sunt objectum scientiæ mediæ, quia non prædefiniuntur, sed quia necessaria est in hoc statu, ut vitari possint, gratia efficax, quam Deus aliquibus largitur, aliis negat. Hi vero, ob prædominantem cupiditatem, libere in scelera prolabuntur: unde sic propositio prob. Peccata in hoc statu prævidentur sub conditione inferente; nam perduellis concupiscentia est conditio inferens peccatum, ut gratia victrix est conditio inferens meritum, licet voluntas peccet, quia vult, & mereatur, quia gratia illi dat velle: sed in hoc statu præscientia meritorum spectat ad scientiam visionis, quia prævidentur sub conditione gratiæ prædeterminantis: ergo in hoc statu præscientia peccatorum spectat ad scientiam visionis, quia prævidentur sub conditione voluntatis, quæ libere, sed certissime labitur.

Propositio III. Scientia media, sumpta pro cognitione conditionatorum, a scientia visionis, & simplicis intelligentiæ distincta, neque in hoc statu, neque in statu innocentiæ locum habet (*d*).

Prob. Futura, quæ reapse non erunt, forent tamen aliqua posita conditione, non sunt futura, sed possibilia: *Omnia enim, quæ vere futura sunt, sine dubio*

(a) *Per Prop. I. cap. 2. diss. 2.*
(b) *Per Prop. I. cap. 4.* (c) *Per Prop. I. 3. cap.*
(d) *Ita noster Jos. a Villan. disp. 11. dub. 10.*

dubio fient, ait S. P. A. l. 20. contra Fauft. c. 4., *fi autem facta non fuerint*, *futura non erant*: fed futura conditionata non erunt: ergo non funt vere futura; fed poffibilia. R. Adverfarii, ex hoc argumento fequi, ea non effe futura abfoluta, non autem conditionata. Sed contra. Futura conditionata dependent a conditione: fed hæc futura non eft, fed poffibilis: ergo &c. Pr. min. Vel enim ponetur ea conditio, vel non. Si primum, erit res futura abfolute; fi fecundum, erit poffibilis: ergo &c. Tandem futura illa conditionata nunquam erunt: ergo non funt futura. Thomiftæ, qui hæc futura referunt ad fcientiam vifionis, ajunt, hæc futura evadere per decretum abfolutum ex parte Dei, conditionatum ex parte objecti. Moliniftæ vero, qui ea futura ad fcientiam mediam referunt, docent, ad ftatum futurorum tranfire per poteftatem cauffæ liberæ, cui præfto funt omnia ad agendum requifita: fed gratis ifta finguntur; oftendimus enim (*a*), decreta Dei dici tantum connotative, & comparate ad objecta: nullum ergo decretum fingi poteft abfolutum ex parte Dei, fed cum fit connotativum, aut abfolutum eft, aut conditionatum undequaque. Adde, cauffas liberas, nifi in ordine ad opera fupernaturalia hujus ftatus, Deum non prædefiniri, fed præmovere univerfaliter. Ex qua præmotione generali non infertur certa rerum futuritio, fed potentia perficitur, ut libere valeat in actum prodire. Nec verum eft, ut ajunt Moliniftæ, conditionata fieri futura per poffibilitatem cauffæ liberæ, in qua nil aliud comprehenditur, nifi facultas agendi, vel non agendi; fed hæc indifferens potentia non poteft effe medium cognofcendi, nifi poffibilitatem eventuum: ergo decretum, quod poteft effe, rem poffibilem conftituit, non futuram. Potuit ergo negari fcientia media ab iis etiam, qui prædeterminationem rejiciunt;

(a) *C.* 1. *hujus libri.*

jiciunt; nam futura abſoluta poſſunt a Deo videri per ſcientiam viſionis in libera voluntatis determinatione, conditionata in comprehenſione omnium poſſibilium per ſimplicem intelligentiam. Si vero futura conditionata abſolute pronuncientur, ut cum Davidi reſpondit Dominus, *tradent*, tunc, præter proditionem poſſibilem, quæ videtur *per ſimplicem intelligentiam*, etiam pravus Ceilarum animus deſignatur, quem Deus vidit per ſcientiam viſionis. Idem dicendum de vaticinio Eliſei, *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem*, 4. Reg. 15. ibi enim pravus affectus Regis Joas innuitur, qui parum fidebat in Dei virtute, idque ſpectat ad ſcientiam viſionis, & Syriæ everſio, utpote poſſibilis ad ſimplicem intelligentiam (*a*).

CAPUT VII.

Futura ordinis ſupernaturalis naturæ lapſæ videt Deus in abſoluta præfinitione.

NOT. Scientia media, miſſis vocabulorum ambagibus, eſt præſcientia futurorum independenter a decreto prædeterminante; cumque hoc decretum ab hoc ſtatu removeant plures S. J. Theologi, eo quod putent libertatem evertere, propugnant acerrime ſcientiam mediam contra Auguſtinianos, & Thomiſtas, qui inter ſe hac in parte conveniunt. Adeo autem de ſcientiæ mediæ inventione ſibi placuit Molina, ut dixerit in ſua Concordia, ſe omnium primum veram inveniſſe rationem conciliandi libertatem cum gratia, quæ latuit Auguſtinum: *Quæ ſi tradita fuiſſent Auguſtini tempore*, ait cit. loco Molina (1), *itum fuiſſet obviam*

(1) Hæc verba minus Auguſtino honorifica in poſterioribus editionibus non extant, ſed in vetuſtio-

(a) *Vide Auctorem.*

viam hæresibus Pelagianorum, & Lutheranorum &c. Principio Molinæ ipsi hæc doctrina adeo suspecta visa est, ut eam timeret publici juris facere. Sed Suaresius scribit, illam a vetustioribus traditam nomine scientiæ simplicis, & visionis, & pro ea stare SS. PP. Constat tamen (*a*), scientiam mediam ab Augustino damnatam, a Semipelagianis fuisse traditam, qui ajebant, (*b*) *Tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos, si ad longiorem servarentur ætatem, scientia Dei præviderit.* Christum etiam apparere voluisse, *quando, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Quod ingenue fassi sunt Patres Soc. Jesu in Rescripto Romæ evulgato, dum (*c*) hæc gravissima agitaretur controversia, & ipse P. Cobos (*d*) ann. 1601. Cæterum Pelagiani scientiam mediam, non ipsi invenere, sed accepere ab Arianis, qui, Theodoreto teste, dicebant, Christum fuisse ex omnibus prælectum, quod Deus *eum præscientia prænovisset, neutiquam ipsum aspernaturum.* Quod etiam docet Molina in Concordia (*e*). Non tamen dicimus in Semipelagianis scientiam mediam fuisse damnatam. Meminimus, quæ ea de re alibi (*f*) scripsimus. Addimus, duplex esse inter Semipelagianos, & Medistas discrimen, primo quod hi, non illi, veram Christi gratiam agnoscant ad initium fidei; secundo quod Semipelagiani docerent caussam prædestinationis ad gratiam esse illa opera parvulorum, quæ nusquam futura erant, quod Medistæ non docent.

stioribus reperiri certissimum est, eaque in duobus exemplaribus, ex Lusitania conquisitis controversiæ hujus finiendæ gratia, se legisse testatur Prælect. 12. n. 1. recentissimus scriptor.

(a) *Ex Ep. Prosperi, & Hilarii.*
(b) *Ex eadem Prosp. Ep.* (c) *Vide ap. Auctorem.*
(d) *In resp. ad Prop. 14.* (e) 1. *p. q.* 23.
(f) *C.* 2. 2. *diss. hujus lib.*

Licet autem de ſcientia media nil poſſimus, niſi accedente judicio Eccleſiæ definire; diſtinguenda eſt tamen in Semipelagianis duplex cauſſa, cur hanc ſcientiam admittebant: primo ne Deus videretur iniquus, ſi ex duobus parvulis eadem labe infectis unum, non alium eligeret, quod fieri dicebant intuitu meritorum, quæ facturi eſſent, ſi vixiſſent: quod de prædeſtinatione ſaltem ad gratiam Moliniani non dicunt: ſecunda eſt, ne prædeſtinatione efficaci fatalis neceſſitas induceretur. Qua de re, nedum ſcientiam mediam adoptarunt Mediſtæ, ſed etiam veteres, vietaſque Semipelagianorum querimonias ingeminant. Quanti autem in hac controverſia Auguſtini auctoritas facienda ſit, dicemus alibi. Illud non eſt prætereundum, in Congregatione de auxiliis a Clemente VIII. ſtatutum eſſe, ut cauſſa illa ad mentem Aug. diſcuteretur: eo quod S. P. 22. annorum ſpatio pro gratia Dei contra Pelagianos ſtrenue certaverit, nihilque eorum omiſerit, quæ ad illam ſpectant, ut ipſe Mejer (a) non diffitetur. Cumque Molinæ ſententia, ipſo Molina teſte, Auguſtino adverſetur, decreto Claudii Aquavivæ S. J. Generalis anno 1613. fuit improbata, eamque rejicit Azorius, Henriquez, aliique. Sit itaque

Propositio. Deus videt futura ſupernaturalia hujus ſtatus in efficaci decreto, non per ſcientiam mediam.

Pr. Deus homini lapſo largitur gratiam victricem, ſine qua nunquam opus efficeret ſalutare: ergo prævidet futura illa, non per ſcientiam mediam, ſed in efficaci decreto, quo gratiam illam conferre conſtituit. Probabitur ant. uberius ubi de gratia efficaci ſermo erit; nunc pauca ſubjiciam. Dicitur ergo Dei gratia ſupernaturalis quædam vis, Dei liberalitate nobis collata, unde omnes motus bonæ voluntatis proveniunt, & definitur ab Auguſt.

(a) *Hiſt. de Aux. l. 5. c. 1.*

gust. (*a*), *inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus:* estque in hoc statu efficax, quando vincit omnem cordis duritiem, & *facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Hæc gratia per Aug. (*b*) *a nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Eaque dicitur efficax, quia tam valida delectatione trahit, ut voluntas, libere quidem, & cum potentia ad oppositum, sed infallibiliter sequatur vocantem, & huic gratiæ, quæ ex nolentibus facit volentes, nunquam liberum resistit arbitrium.

Est tamen aliud gratiæ genus, quæ allicit quidem, quantum in se est, tribuitque potestatem recte operandi, si obex pravæ affectionis removeatur, quam placet vocare efficacem relative, quia relate ad varias hominum affectiones, & efficax, & sufficiens appellatur. Si enim carnalis delectatio prævaleat, frustratur suo effectu, & redditur inefficax. Et hæc est gratia sufficiens, cui voluntas sæpe resistit. Quod si sancta delectatio concupiscentiam superet, effectum sortitur, & victrix dicitur ab Augustino. Adamo ergo, utpote integro, tale collatum est adjutorium, quod dabat posse non peccare, posse non mori, ut docet S. P. (*c*). Nunc autem gratia determinatam quoque delectationem inspirat, quæ si adeo vivida sit, *ut cordis duritia penitus auferatur*, est gratia efficax absolute: si autem non tam sit intensa, pro varia affectione voluntatis, modo effectum consequitur, & est efficax, modo frustratur, & est inefficax, licet sit per se sufficiens ad producendum opus salutare. His positis,

Prob. ant. Scripturis. Philipp. 2. habetur: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Ezech. 36. *Faciam, ut in præceptis meis*

(a) *L. 4. c. duas Ep. Pelag.* (b) *L. de præd. SS. 8.*
(c) *De Corr. & Gr. c. 12.*

meis ambuletis, & operemini. Hinc S. P. de Gratia & arb. 16. ait: *Ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Prob. II. ex Orationibus Ecclesiæ: *Fac nos amare, quod præcipis: Fac nos tuis obedire mandatis* &c. Hinc S. P. l. de D. Perf. 7. ait: *Attendat orationes suas. Orat, ut increduli credant, Deus ergo convertit eos ad fidem.* Prob. III. ex Ep. ad Vit. *Quæstio, quæ inter nos agitur, est, utrum hæc gratia, quoad effectum, præcedat, an subsequatur hominis voluntatem.* Et c. 12. de Corr. & gr. *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut insuperabiliter, & indeclinabiliter ageretur:* ergo &c. Plures Medistæ gratiæ efficaciam repetunt, ex quo Deus illam conferat in iis circumstantiis, in quibus prævidet, voluntatem sibi vocanti responsuram. Vocant hanc gratiam *congruam;* eamque docent nunquam suo effectu frustrari: sicque per scientiam mediam absque gratia victrici totius prædestinationis negotium exponunt. Sed Augustinus hom. 23. gratiæ efficaciam non a circumstantiis naturalibus repetit, sed gratiæ tribuit, quod improbis locus, tempus, & mali suasor desit. Hæc porro gratia, si lubet, congrua dici potest, itaut hæc, vel illa opportuna circumstantia, aut occasio non sit divinæ præfinitionis caussa, sed effectus.

Reapse in oppositis circumstantiis sæpe Deum largiri gratiam, probat S. P. (a) exemplo Pauli: *Illo enim alienus a fide, quam vastabat, repente est ad illam gratia potentiore conversus, ut non solum ex nolente fieret volens, verum etiam ex persecutore persecutionem pateretur.* Ex quo sic arguitur: eget homo lapsus auxilio per se efficaci, quod a decreto absoluto in nos derivatur: sed quod pendet ab hoc decreto non est objectum scientiæ mediæ: ergo &c. Deinde S. P. de Præd. Sanctorum 10. ait: *Prædestinatione ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus:* & de

(a) *Lib. de Præd. Sanct. c. 2.*

de D. Perſ. 17. *Si nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur a Deo Dei dona*: ergo Deus videt opera meritoria in ſuo decreto. Deinde cum Semipelagiani objicerent, præſcientiam conditionatorum abſque prædeſtinatione ab Auguſtino tradi in epiſtola ad Porphyrium, ubi ait: *Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri*; quem locum pro ſcientia media protulerunt Patres S. J. in diſp. 33. coram Clemente VIII., & validiſſimum putat Suarez (a); reſpondet S. P. (b): *Cernitis me ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ infidelitati Paganorum, ſufficere videbatur: ſed utrum tantummodo præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere tunc neceſſarium non putavi.* Quæ verba ſunt ſcientiæ mediæ peremptoria. Nec obſtat, quod ex Auguſtino addit Suarez: *Noluiſſe Chriſtum infidelibus apparere, quod nec verbis, nec miraculis ſuis credituros eſſe præſcivit.* Nam Auguſtinus expreſſe docet, ſe ibi locutum abſque præjudicio latentis conſilii Dei: debuit ergo Suarez notare quod ſequitur: *Tunc ſatis erat breviter eſſe dicendum, excepta altitudine ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & ſine præjudicio aliarum cauſſarum*; adeoque ab Auguſtino Semipelagianorum objecta rejici, non confirmari. Tandem cum Auguſtino Semipelagiani objicerent quædam veterum Patrum teſtimonia, reſpondet S. P. de D. Perſ. 18. *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere?* atqui præſcientia prædeſtinationi ſubnixa non eſt ſcientia media: ergo Auguſtinus rejicit ſcientiam mediam.

 CA-

(a) *L. 5. de Gr. prol. 2. c. 3.*
(b) *Lib. de Præd. Sanct. 9.*

CAPUT VIII.

Ubi Medicarum objecta diluuntur.

Ob. I. Deus prævidit futuram conversionem Tyri, & Sidonis independenter ab omni conditione inferente: ergo vidit per scientiam mediam. Prob. ant. Matt. 11. legitur: *Væ tibi Corozain* &c., *quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent;* ex quibus sic arguitur. Deus vidit conversionem Tyriorum &c. sub gratia, quam habuere Corozaitæ: sed hæc non fuit efficax: ergo non vidit conversionem Tyriorum dependenter ab efficaci decreto.

R. neg. conf. Nam conversio Tyriorum, utpote conditionata, spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ, qua Deus possibilem vidit eorum conversionem, si apud eos factæ essent virtutes Corozain, quorum cives pervicacissimos merito increpat Dominus, eo quod Spiritui sancto resisterent, cui Tyrii, & Sidonii non ita obdurati obtemperassent; quamve duritiem per scientiam visionis Christus agnovit. Illa ergo conversio possibilis erat, hæc obduratio existens. Ad prob. dist. maj. Deus vidit &c., & hæc gratia in Tyriis non ita obduratis fuisset efficax, in Bethsaitis obduratis inefficax, conc.; in utrisque versatilis, neg. Habet ergo gratia gradus suos, & in uno est efficax, in altero otiosa, ob pervicaciam voluntatis. Credidissent ergo Tyrii, si æqualia signa vidissent, *quia non erant sic excæcati oculi*, aut cor Tyriorum &c., sicut erant excæcati Corozaitæ (*a*).

Dices. Non erit ergo gratia efficax ab intrinseco, sed ex arbitrii affectione, ut docent Molinistæ.

R. neg. conf. Aliud est enim obicem ponere, ne gratia sortiatur effectum, aliud efficacem reddere. Illud præstat arbitrium per peccata, ut etiam Corozaitæ

(a) *De don. Pers.* 14.

zaitæ faciebant, idcirco increpatione digni, quod gratiæ lumini clausos sponte oculos objiciebant. Cur autem gratia sit efficax, trahatque rebellem voluntatem, non ex nobis, sed ex Dei munere venit. Interdum tamen talem gratiam Deus elargitur, quæ agit de omni mala cupiditate triumphum, sed hæc non omnibus datur. Communior est gratia illa, quæ in se quidem valida est, sed ei, nisi adsit specialis illa victrix, & magna, liberum arbitrium culpabili voluntate resistit. Ita medicina habet in se virtutem sanitatis, si vero infirmus comedat quidquid appetit, aeri maligno se se exponat &c., nunquam medicinæ beneficium poterit experiri.

Inst. Si gratia esset efficax ab intrinseco, potuissent respondere Bethsaitæ, se non credere, quia ipsis deerat efficax adjutorium, quod Tyriis præsto esset: hoc daret, & nisi crederent, tunc objurgaret: ergo &c.

R. retorqueo argumentum. Potuissent enim etiam dicere, sibi deesse gratiam congruam. Sunt ergo istæ veteres Semipelagianorum querimoniæ, quibus ipsi etiam Congruistæ urgentur; merito ergo, ait Augustinus, corripiuntur, quia eorum obduratio ex Deo non erat, sed ex ipsis. Cur autem adjutorium, quo fit in nobis bona voluntas, non omnibus ex æquo concedatur, id est inscrutabile Dei judicium; qui, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat, negat beneficium indebitum, & debitum judicium exercet. Uno verbo culpanda est in homine mala voluntas, laudanda in fide credentium misericordia liberatoris: *Discernendum est ergo quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio* (a).

Ex dictis constat, quid sit respondendum ad loca scripturarum 1. Reg. 23. *Si viri Ceilæ tradent.* Jer. 38. *Si exieris ad principes Babylonis, vivet anima tua.*

(a) *Aug. de Præd. Sanct. c. 6. Vide Auctorem.*

tua. Matth. 24. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro* &c. Illa enim omnia ad scientiam pertinent simplicis intelligentiæ, quia nempe possibilis noscitur proditio Davidis, vita Sedeciæ, prævaricatio justorum, & ad scientiam visionis, prout videtur, conspiratio Celeitarum, justorum infirmitas, indoles Babylonis principum (*a*).

Ob. II. S. P. 12. C. D. 6. ait: *Si duo æqualiter affecti corpore, & animo, eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, alter perseveret, quid aliud apparet; nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere?* Ubi non ad gratiam victricem, sed ad solam voluntatem refert S. P. tam impudicitiam, quam continentiam. II. De Don. Perf. 14. ait: *Habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua vel audiant verba, vel signa conspiciant.* III. De spiritu, & lit. ait: *Non omnem voluntatem nostram ex Deo esse.* IV. de Præd. 10. *Potest esse sine prædestinatione præscientia.* V. In Expos. Ep. ad Rom. Prop. 55. *Non omnes, qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt, nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum.* VI. *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat:* sed his verbis traditur scientia media in terminis: ergo &c.

R. neg. min. Ad primum autem etiam Congruistæ respondere debent; non enim sunt æqualiter affecti animo, & corpore, qui in diversis circumstantiis positi sunt. Deinde quærit ibi S. P. caussam mali, non boni. *Quid putamus*, ait, *caussæ esse, ut in illo fiat, in isto non fiat voluntas mala? illa provenit a solo homine, sed bona voluntas excitatur a Deo* (*b*). Ad secundum R., naturales cujusque affectiones non disponere ad gratiam; hoc enim dicere Semipelagianum est; sed removere tantum gratiæ

(a) *Vide Prop. III. Cap. præc.*
(b) *Vide Auctorem.*

gratiæ obicem, nec per Auguſtinum bene operari, qui hoc munus habent, ſi *altiori judicio a perditionis maſſa non ſint gratiæ prædeſtinatione diſcreti.* Ad tertium, & quartum reſpondeo: veram eſſe propoſitionem, ſi de operibus naturalibus, & peccatis loquamur, ut cap. 2. dictum eſt. Ad quintum R., hæc, aliaque iſtiuſmodi protuliſſe Auguſtinum ſine præjudicio latentis conſilii Dei. Sicubi autem, ut ante Epiſcopatum, ſcientiam mediam propugnare aliquibus viſus eſt, excuſatione dignus eſt, quia tunc temporis *nondum diligenter* quæſierat, qualis ſit electio gratiæ (1). Deinde cum S. P. hunc locum retractaverit, debent etiam Mediſtæ ſuam retractare ſententiam. Ad ſextum R. S. P. l. 2. Retr., in libris ad Simplicianum, *laboratum eſſe pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia.* Non ſic autem appellat S. P. gratiam congruam, ut ejus efficacia ſita ſit in rerum circumſtantiis &c., ſed quod Deus omnia tali congruentia diſponat, ut ubi, & quando ſibi videbitur, trahat hominum voluntatem, quia, *ut ſit induſtria ſtudii, ut ſit nutus voluntatis, ille tribuit, ille largitur.* Quid plura? recurrit etiam hoc loco S. P. ad inſcrutabilia judicia Dei: ergo &c.

Ob. III. ratione. Scientia media, quaſi igne probata, in Congregatione de auxiliis ab errore immunis emerſit: ergo &c. II. Per eam facile diſſidia componuntur, nec non liberum arbitrium contra Janſenium, & Calvinum defenditur. Ex adverſo prædeterminantia decreta fuere ſciſſionum ſeminaria, iiſque Adrumetini, Maſſilienſes, aliique turbati ſunt: ergo &c. III. Scientia media neceſſaria eſt, ut Dei voluntas dirigatur in ſuis decretis; debet

(1) Cur S. P. id non quæſierit, eſt quia nulla ſe ſe exhibuerat occaſio controverſiam iſtiuſmodi ſedulo pertractandi, quam tamen ad optatum finem perduxit, ubi cum Pelagianis manus conſeruit.

bet enim explorare quid possit humana voluntas cum adjutorio versatili, si in tali circumstantia ponatur. IV. Nec potest in una caussa videri effectus, qui a duabus, nempe a gratia simul, & voluntate derivatur. V. Tollitur in nostra sententia indifferentia libertatis: ergo admittenda est scientia media.

R. I. aliqui, jam exaratum diploma proscriptionis Molinianæ sententiæ, Deo disponente, non fuisse publicatum. At an. 1697. fuisse ab Archiepiscopo Remensi damnatam. Verum neque decretum non promulgatum, neque privatum unius judicium officit prædictæ sententiæ. Dicimus ergo, scientiam mediam in Congregatione de auxiliis neque damnatam esse, neque probatam, tolerari, non commendari. Judicium in ea suspensum, non definitum. Servandam inter nos caritatem, non deserendam veritatis inquisitionem: abstinendum a rixandi prurigine, non a sectandis Augustini vestigiis. Ad II. neg. conf. Etenim tam facilis ratio conciliandi libertatem cum gratia nunquam ab Augustino, aut ab Ecclesia probata est. Incredibile est etiam tot annorum spatio Christi fidem Moliniano magisterio caruisse. Deum optimum maximum Augustino pugnanti contra hæreticos, non Molinæ, finita caussa, credibilius est revelasse veritatem. Augustini doctrinam tantum turbarunt Pelagianorum reliquiæ: consecrata est tamen ad hæc usque tempora summorum Pontificum laudibus, & gloriæ charactere esse, si ea concitati fuerint ingrati. Molinæ vero placita, non ab hæreticis impugnantur, sed ab Augustini, ac D. Thomæ discipulis, pro Christi gratia, pro arbitrii facultate, pro Patrum traditione pugnantibus. Ad III. neg. ant. Cum enim *universæ viæ Domini* sint misericordia, & veritas, seu justitia, & pax, his dirigitur Deus absque scientia media. Videt enim omnes Adæ posteros originali labe fœdatos, & ex una luti massa fingit sibi vasa honoris, & permittit coagmentari vasa contumeliæ:

liæ: quos elegit ad honorem, trahit ad ſe omnipotentiſſima gratia, adjuvat infirmos, convertit rebelles. Hæc eſt via miſericordiæ. Quos reprobat, ſinit dari ſponte præcipites, ſpernit ſaniæ voluntaria confectos. Hæc eſt via juſtitiæ: ergo ſufficit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus comprehendit quidquid ejus poteſtati ſubjicitur, & ſcientia viſionis, qua in Adæ poſteris videt miſeriam, & culpam. Ad IV. neg. ant. Nam in una cauſſa cognoſcitur alterius effectus, ſi hæc ab illa recipiat virtutem, determinationem, & motum, quod præſtat divinum adjutorium. Ad V. ſequenti capite reſpondebimus.

CAPUT IX.

An, & quomodo divinis præfinitionibus libertas humana cohæreat?

Ex Auguſtiniana doctrina circa prædeſtinationem, & gratiam, tolli libertatem, Semipelagiani olim (a) queſti ſunt, nec novum eſt argumentum poſtremum cap. præc., ſed in eorum officina procuſum. Pro cujus ſolutione notandum eſt, modum conciliandi liberum arbitrium eum gratia efficaci ipſi Auguſtino perdifficilem viſum fuiſſe, ut ipſe fatetur l. 4. c. Julianum 8. *Iſta quæſtio, ubi de arbitrio libertatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Jure ergo ſuſpecta cenſetur Molinæ concordia per ſcientiam mediam, quæ cum ſit facillima, nuſquam Auguſtino probari potuit. Accipe ergo clariſſimorum theologorum conciliandæ libertatis optimas regulas.

I. Regula. Thomiſtæ recurrunt ad ſenſum compoſitum, & diviſum; ſuppoſita enim divina præmotione,

(a) *Ex Ep. Hilar. & Proſp.*

motione, ex. gr., ad actum caritatis, non poteſt quis non amare in ſenſu compoſito; quia componi nequit Dei præmotio ad amorem cum non amore: poteſt tamen in ſenſu diviſo non amare, aut odiſſe. Sicut dum ambulo, non poſſum non moveri, poſſum tamen ab ambulatione deſiſtere: quare longe diſtant Thomiſtæ a Calvini ſententia, qui ait, ſub efficaci decreto non remanere potentiam ad oppoſitum. Addunt aliqui, aliam eſſe neceſſitatem abſolutam, aliam conſequentiæ, qua aliquod aliter ſe habere nequit ob rerum connexionem: ita qui currit, neceſſario movetur. In horum ſententia negandum eſt, ſuppoſitionem antecedentem tollere libertatem. Si ergo dicant, ſtante efficaci præmotione, res neceſſario evenit, R. diſt. ant.: in ſenſu diviſo, & neceſſitate abſoluta, neg.; in ſenſu compoſito, & neceſſitate conſequentiæ, conc.

II. Regula. Alii melius diſtinguunt inter cauſſas, quæ extrinſecus movent, & inter Deum, qui cum ſit nobis intimus, nedum ſecundam cauſſam movet, ſed etiam efficit voluntatem,& cum libera operatione determinat etiam modum agendi; *Magis enim habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Decrevit ergo Deus, quædam neceſſario fieri, quædam libere, & quibuſdam effectibus cauſſas neceſſarias, quibuſdam liberas, & contingentes aptavit, ex quibus effectus contingentes provenirent. Juxta horum principia dicendum eſt, inferri neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente cauſſæ extrinſecæ, quæ per ſe eſt ad unum determinata, non ex ſuppoſitione cauſſæ primæ. Si dicant, neceſſe eſt quidquid Deus præfinivit, evenire, reſpondetur, præfinitum etiam eſſe, ut mediis liberis eveniant, quæ, ſi neceſſario evenirent, falleretur divina præſcientia, cum Deus præſciat, ac definiat, ut libere fiant, & contingenter. Si dicas, ſupponi poſſe, quod quis actu diſſentiat, & fruſtretur decretum, ſi poſſit homo ſub efficaci decreto diſſentire, reſpondetur, fieri non poſſe, ut ponatur diſſenſus, niſi

ea libertate, quæ a Deo eſt præfinita. Si ergo res eſt futura, id Deus præſcivit; ſecus, hoc etiam a Deo prævifum eſt.

III. Regula. Sunt Auguſtinenſes nonnulli, qui efficacem gratiam in utroque ſtatu propugnant. Negant tamen eſſe prædeterminantem. Nam Aug., ajunt, in eo conſtituit gratiæ efficaciam, quod operetur Deus in nobis bonam voluntatem, quod eam excitet &c., ſed impoſſibile eſt, hominem fieri ex nolente volentem ante motum liberum voluntatis: ergo gratia Chriſti non prædeterminat liberum voluntatis arbitrium. Hi ergo negant, gratiam efficacem eſſe quid antecedens, aut ex ea ſequi neceſſitatem operationis. Verum tam plana via, Auguſtino ignota, nobis non probatur: diſtinguendum eſt enim inter actus voluntatis indeliberatos, & deliberatos. Fateor, gratiam efficacem eſſe ſanctam dilectionem indeliberatam, a Deo in homine excitatam; ſed deliberatam, ac volitam ex parte principii, Dei ſcilicet, gratiæ largitoris, quis appellaverit gratiam Chriſti efficacem? Sicut ergo actus indeliberatus deliberatum præcedit, ita gratia efficax actum liberum voluntatis.

IV. Regula. Quidam docent, quod ſi ſuppoſitio antecedens requiratur ex conditione naturæ, forte libertatem interimat, ſecus, ſi ſit contingens, aut ex capite infirmitatis. Concupiſcentia enim, licet gravis, vulnerat libertatem, non interimit, cum ſit adventitia, & accidentalis, & præſupponat in arbitrio indifferentiam, quæ eſſentialiter libertatem conſtituit; nullum enim accidentale eſſentiam rerum immutat: cum ergo gratia efficax non ſit creatæ libertati eſſentialis, ſed exigatur ob vulnus peccati Adæ, non evertit libertatis naturam, imo, ſicut concupiſcentia, quæ ad malum inclinat, minuit voluntarium, non tollit; ita gratia quæ bonam voluntatem excitat, arbitrium perficit, non perimit. Deinde divina præſcientia eſt aliquod antecedens, nec infert neceſſitatem: ergo &c.

R. Me-

R. Mediſtæ id fieri, quia præſcientia nihil ponit in re, & objectum ſupponit, non facit. Sed detur adverſariis, præſcientiam, quæ ſupponit objectum, non facit, non inferre neceſſitatem: ergo neque eam infert prædeſtinatio accidentalis, quæ ſupponit arbitrium conſtitutum in ſua eſſentiali indifferentia. Sic gratia congrua antecedit actum, & infallibiliter ſortitur effectum, nec tollit libertatem, quia ſupponit arbitrium in ſua indifferentia. Deinde per Suareſium ſalvatur in Chriſto libertas, quia ejus voluntas in ſe eſt capax peccandi, quamvis peccare non valeat, prout Verbo unita: ergo ſalvatur etiam libertas in voluntate noſtra, ex quo eſſentialiter ſit indifferens, licet prædeterminetur accidentaliter, exigente indeclinabilem neceſſitatem ſauciata liberi arbitrii natura. Itaque ad arg. R. Suppoſitio antecedens, & inimpedibilis tollit libertatem, ſi ſit eſſentialis, & exigita ex titulo dependentiæ, tranſeat; ſi ſit accidentalis, & ex capite infirmitatis, nego.

V. Regula. Nuper traditam doctrinam verbis tantum a Janſeniano dogmate differre putat cl. auctor; Janſenius enim in beatis, non ſecus ac viatoribus efficaci gratia ſuffultis, veram libertatem agnovit, eo quod gratia victrix, & Dei viſio ad hominis eſſentiam non ſpectat. Hinc toto lib. 3. de ſtat. nat. lapſæ nititur Janſenius oſtendere, victam vitio naturam libertate carere propter ignorantiam, & concupiſcentiam, quæ libertatem captivant in lege peccati. Veram autem libertatem reſtitui per gratiam liberantem, & tam concupiſcentiam, quam gratiam ita dominari, ut ablata indifferentia ad bonum & malum, inducat agendi neceſſitatem. Ut ergo concupiſcentia non eſt natura, ſed vitium, & gratia non eſt homini lapſo eſſentialis perfectio, ſed donum; ita peccandi neceſſitas, & dominatus concupiſcentiæ accidentalis eſt, ſicut accidentalis neceſſitas recte agendi, quam infert gratia liberatrix: ergo etiam Janſenius accidentalem neceſſita-

tem

tem agnovit: quare quartam Regulam ſimpliciter ſumptam, ut ſumitur a Janſenio, reprobamus, non ita tamen, ſi cum quinta, quam mox tradituri ſumus, conjungatur Itaq. ejus quartæ regulæ loco aliam tradimus Janſenianis principiis oppoſitam. Cum objectum intellectus ſit verum, voluntatis vero bonum, non eſt indifferens ille ad verum in communi, hæc ad bonum generatim: ſed non ita eſt circa hoc particulare verum, aut bonum; ſi enim hoc particulare verum ſit per ſe evidens, ut veritas primorum principiorum, in quibus nulla ſpecies falſi intereſſe poteſt, ut *Omne totum eſt majus ſua parte;* intellectus neceſſario aſſentitur, nec remanet libertas, aut indifferentia judicii. Si vero hoc peculiare verum non ſit per ſe notum, ſed per aliud, ut ſunt veritates incertæ, quibus miſceri poteſt ſpecies falſi, e. g. *Sol circa terram movetur;* poteſt mens aſſentiri, vel diſſentiri, cum indifferentia judicii. Quare, ſi hoc peculiare bonum ita proponatur voluntati, ut nequeat apprehendi ſub ſpecie mali, & ſit per ſe evidentiſſime bonum, ut Deus viſus per lumen gloriæ; voluntas in illud neceſſario fertur, nec in ea remanet vera indifferentia, aut libertas. Si vero hoc peculiare bonum non proponatur, ut omnimode bonum, nec ut tale evidenter apprehendatur, ut pœnitentia, martyrium, in quibus poteſt intellectus apprehendere aliquam ſpeciem mali in ſui abnegatione, aut ſupplicio; tunc remanet in voluntate vera indifferentia, vera libertas, & potentia ad oppoſitum. Hinc ſequitur I. contra Janſenium, beatos, cum Deum videant intuitive, non eſſe in amore liberos; nam ad amandum Deum clare viſum ſunt naturaliter determinati, ut docet S. Thomas (a). II. Poſſe in hac vita Deum libere odio haberi, quia per plures effectus poteſt inordinatæ voluntati proponi ſub quadam ſpecie mali, ut vetans peccata, & pœnam infligens, ut ait idem S. D. (b). III. Sequitur, non idcirco

(a) 1. *P. q.* 60. *a.* 5. (b) 2. 2. *q.* 34. *a.* 1.

idcirco concupiſcentiam non evertere libertatem, quia accidit ex Adæ peccato, ſed quia non ita flectit ad malum, ut non poſſit proponi voluntati aliquod oppoſitum. Sequitur IV., gratiam victricem ſtare cum libertate, quia ita mentem illuſtrat, & voluntatem inflammat, ut poſſint excitari contrariæ cogitationes, & affectus, ut de pœnitentia, & martyrio dictum eſt.

VI. Regula. Utuntur hac regula plures recentiores, qui docent, gratiæ efficaciam non conſiſtere in mortua qualitate phyſice prædeterminante, ſed in blanda, intimaque delectatione, quæ ſuperat determinatione morali omnem adverſam cupiditatem. Et putant facile nodum ſolvere dicendo, indifferentiam phyſicam non tolli, niſi phyſica prædeterminatione, & recte componi cum morali. Ita, ajunt, dum vir ſui compos tenetur deſiderio propriæ vitæ ſervandæ, nunquam in ſe gladium convertet, quod tamen phyſice poteſt, & faciet, ſi lumine rationis deſtituatur. Neque diſertus orator cogere dicitur, dum vi verborum ita rei utilitatem ſuadet, ut nequeat aliquis hortationes abjicere. Ita nec cogit Chriſti gratia, dum efficaciter præmovet blanda, ac ſuavi caritatis delectatione.

Tria ſunt in hac regula: unum verum, nempe Chriſti gratiam in mentis illuſtratione, & ſancta delectatione conſiſtere, quod docent etiam Noriſius, Poncius, aliique: alterum aperte falſum, hanc nempe illuminationem moraliter, non phyſice prædeterminare liberum arbitrium; quod nimis forte Pelagianis arridet: tertium eſt dubium, quomodo nempe hæc prædeterminans delectatio libertatem non tollat? Recurrendum eſt ergo ad V. Regulam, quam confirmat ipſum exemplum hominis deliri, qui ideo non peccat, quia mente captus caret indifferentia judicii; & ex adverſo homo ſanæ mentis ſub determinatione naturalis amoris libere ſervat propriam vitam, quia cum tali amore ſtat indif-

indifferentia judicii, qua apprehendere poteſt in ipſa vitæ conſervatione aliquam ſpeciem mali (*a*).

His ita expoſitis, V. Regulam ſupradictam ceteris præferendam exiſtimamus, & hujus ope alias omnes revocare poſſumus ad catholicum ſenſum, in quo ab auctoribus ſuis traduntur. Dicimus ergo, ſub efficaci gratia in ſenſu compoſito ac diviſo Thomiſtarum, I. Regula explanato, manere veram indifferentiam potentiæ, cum determinatione actus, quia cum tali determinatione perſeverat indifferentia judicii. Idem dicimus de modo illo intrinſeco contingenter operandi, quem ſuprema cauſſa in inferioribus attingit, ut in II. Regula dictum eſt. Idem quoque dicendum de gratia prædeterminante, cujus neceſſitas ex hominum infirmitate repetitur, ac de ſancta delectatione, in qua Chriſti gratiam collocandam eſſe fatemur. Quæ ſane Regulæ in ipſa viſione beatifica locum non habent, ubi nulla remanet potentia ad oppoſitum, quia ſummum bonum ita videtur, ut nequeat in eo apprehendi aliqua mali ſpecies. Atque hæc eſt ratio conciliandi decreta abſoluta, Dei gratiam, ac prædeſtinationem cum humana libertate, cui ſi nondum tyrones noſtri acquieſcant, meminerint, hanc eſſe quæſtionem difficillimam. Cui vero noſtra hæc non arrident, *quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptiores* (*b*).

LIBER V.

In quo de voluntate Dei diſputatur.

QUÆ ad cauſſarum ſecundarum ſpectabant præfinitiones, quæque in hoc argumento ingenia exercent Scholaſticorum, ſuperiori libro complexi ſumus: nunc minus prolixa ſequitur de voluntate Dei diſputatio, quam proinde unica diſſertatione com-

(a) *Vide Auctorem.*
(b) *Aug. de Spir. & lit.* 34.

comprehendimus, in qua divinum beneplacitum, amorem, providentiam, libertatem proposita brevitate expendemus.

CAPUT I.

An divinum beneplacitum erga singulorum hominum salutem versetur.

NOT. I. Dari in Deo voluntatem ex ipsa Dominica oratione colligitur, qua cælestem Patrem sic oramus: *Fiat voluntas tua.* Est autem voluntas propensio in aliquod objectum, cum perceptione conjuncta, quam, si a Deo removeas, non Deum percipies, sed rem corpoream, spiritus, ac rationis expertem. Dei autem substantia, intelligentia, ac voluntas in Deo sunt unum quid & idem, diversamque cum nominum, tum idearum rationem sortitur, cum ad plures terminos comparatur. Cum ergo voluntas dicatur relate ad bonum, ac ipsa Dei substantia sit bonum per se diligendum, alia vero bona sint participatione, ac dependentia, certum est solam bonitatem divinam esse Dei voluntatis objectum *terminativum*, ac *motivum*, & bonitatem creaturarum objectum *terminativum* materiale, & secundarium.

Not. II., ex diverso respectu plures emersisse voluntatis Dei divisiones. Alia enim est voluntas *signi*, alia *beneplaciti:* illa est declaratio exterior, qua Deus nobis significat, se aliquid velle; hæc autem est ipsamet interior volitio, aliquid, ut sibi gratum, decernens. Signa sunt quinque: præceptum aliquid jubens, aut vetans, consilium, permissio, & operatio. Hæc voluntas improprie & metaphorice dicitur. Nam sicut exterior pronunciatio verborum non est intima mentis contemplatio, sed ejus signum; ita præceptum, & consilium sunt tantum interioris voluntatis significationes, non ipsa volitio: signa vero, cum falsa esse nequeant, semper internam aliquam voluntatem supponunt,

ponunt, sed non semper illam, quam nos ex primo signi contuitu conjicimus. Ita Isaac immolatio ejus mortem præseferebat, sed per eam Deus Abrahami fidem, & filii sui passionem expressit: cum ergo docent theologi, voluntatem signi sæpe non impleri, id verum est tantum de iis, quæ nos arbitramur hisce signis subesse; sed alia eveniunt longe præstantiora, quorum caussa signa illa Deus præmiserat.

Not. III. Voluntatem beneplaciti a theologis dividi in *antecedentem*, & *consequentem*. Medistæ vocant antecedentem, quæ antecedit voluntatis consensum, consequentem, quæ sequitur. Nos vero, qui absolutam voluntatem salvandi aliquos ante prævisa merita admittimus; nullum credimus futurum bonæ voluntatis actum ante divinum beneplacitum, quo præparatur ipsa bona voluntas a Domino. Quare voluntatem *antecedentem* eam vocant Thomistæ, quæ connotat homines in se spectatos, ut conditos, & redemptos: *consequentem* quæ illos spectat in aliquibus circumstantiis, v. gr. peccati, quibus vult Deus aliquid absolute. Sicut enim, ait D. Thomas (*a*), justissimus princeps, & mercator vult, ille civium, hic mercium conservationem, & tamen ille civem homicidam damnat, iste ingruente tempestate merces projicit in mare; ita Deus omnes ad salutem invitat, ut omnes hæreditatem capiant salutis; sed aliquos sceleribus inquinatos justitia sua damnat, & reprobat.

Not. IV. Nos, admissa Thomistarum distinctione, duo alia connotata paullulum diversa spectamus, unde sumitur voluntatis *antecedentis, & consequentis*, distinctio: nempe ordinem a Deo impositum, in quo omnes homines, tam justi, quam impii in via salutis collocantur. Omnes enim jus habent accedendi ad Ecclesiam, petendi sacramenta &c. omnibus prædicatum est evangelium, exhibita

(a) 1. *p*. *q*. 19. *art*. 6.

bita misericordia, & pro omnibus pretium redemptionis solutum. Porro hujus ordinis impositio est *antecedentis voluntatis* objectum. Secundo, spectanda est hujus ordinis executio, qua plures ad salutis terminum perducuntur, sed non omnes: quo sensu, non pro omnibus, sed *pro multis* fudisse sanguinem, & orasse Christum, declarat Catechismus Romanus (*a*). Itaque voluntas *antecedens* spectat ad ordinis impositionem, *consequens* ad ejus executionem, & utraque voluntas est beneplaciti. Utriusque discrimen tradit Damascenus (*b*), & illam *bonitatis*, hanc *justitiæ* voluntatem appellat. Et S. Prosper illam *invitantem*, hanc *judicantem* vocat. Anselmus (*c*) vero illam dicit misericordiæ, *& de rerum possibilitate*, hanc justitiæ, *& de rerum effectibus*. Itaque voluntas *antecedens*, *misericordiæ*, *bonitatis &c.* ex laudatis PP. efficit, ut omnes salvari possint, & in via salutis constituantur; *consequens vero*, *justitiæ*, *& de rerum effectibus* facit, ut reapse salventur, & ponantur in termino salutis. Quæritur ergo, an sit in Deo voluntas *antecedens* salvandi omnes? & an sit in Deo vere, ac proprie, an metaphorice, ut ira &c.? Primum negant Jansenii asseclæ, qui docent, velle Deum salvos fieri solum prædestinatos, pro quibus tantum passus est Christus; secundum plures Thomistæ (*d*), aliique (*e*). Sit itaque

Propositio I. Deus voluntate antecedente vult omnes homines, nemine excepto, salvari.

Pr. I. Script. Ezech. 33. 32. *Vivo ego: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Ubi Deus sententiam suam etiam juramento confirmat. *Volens enim Deus*, ait Apostolus Hebr. 6. 16., *abundantius ostendere pollicitationem hæredibus, immobilitatem consilii sui interposuit jusjurandum.* Et 1. Tim.

(a) *P. 2. c. 4.* (b) *L. 2. de Fid. Orth. c. 29.*
(c) *In 6. Matth.* (d) *Bannez, Zumel, Bancel.*
(e) *Sylvius, Estius, Poncius, Florez.*

Tim. 2. ſcribit : *Obſecro fieri orationes pro omnibus hominibus ; hoc enim acceptum eſt coram ſalvatore noſtro Deo* (1), *qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire : unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus :* ſed pro omnibus orandum eſt, & pro omnibus paſſus eſt Chriſtus : ergo *ſinceriſſimè credendum eſt, Deum velle, ut omnes ſalvi fiant* (a).

R. Janſeniani, locum Apoſtoli ſpectare homines in ſtatu innocentiæ, non culpæ, juxta ideam voluntatis *antecedentis* ex D. Thom. ſupra (b) expoſitam : ergo, ubi originalis culpa ſupponitur, voluntas antecedens non habet locum. Sed contra ; Apoſtolus enim loquitur de iis, pro quibus ait orandum eſſe : ſed ex Apoſtolo pro omnibus orandum, etiam pro impiis Regibus illius ævi : ergo &c. Reapſe, cum ſtatus innocentiæ perierit, pro iis orandum monet, quorum eſt vitiata natura, poſſibilis tamen Deo miſerante converſio. Addit etiam Apoſtolus, Chriſti mediationem, & redemptionem : ergo omnes redemptos ſub illa generali voluntate comprehendit. Nec obſtat originalis culpa ; quia hæc Chriſti morte deleta eſt, noſque *regenerati ſumus in ſpem vivam*, ut ait Apoſtolus : ergo male cit. Apoſtoli locum, *Unus eſt mediator &c.* de ſolis prædeſtinatis intelligunt Janſeniani, cum nos ibi hortetur Apoſtolus ad orandum pro omnibus, &

 repro-

(1) De nova atque hactenus inaudita cujuſdam theologi recentioris interpretatione, qui nimium ingenio ſuo indulgens, *contra unanimem PP. conſenſum*, hunc Apoſtoli locum de Chriſto, ejuſque, non divina, ſed humana voluntate, accipiendum eſſe opinatus eſt ; deceptus ex iis verbis : *Coram ſalvatore noſtro Deo*, vide Prælect. 15. T. 2. P. Chignolii, qui eam nervoſe confutavit.

(a) *S. Proſp. 2. obj. Vinc.* (b) *Vide not. 3.*

reprobis, & perditiſſimis. Deinde Apoſtolus 2. Cor. 5. ait: *Si unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt*: quo teſtimonio probatur ex Auguſt. (a) originalis peccati transfuſio. Sicut enim omnes in Adam mortui ſunt, ita Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: atqui in Adam omnes mortui ſunt: ergo Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Sed de hoc argumento alibi. Pr. II. ex PP. Baſilius in Pſ. 29. ait: *Velle hoc Deum, ſuæ ut vitæ participes omnes fiant.* Macarius Hom. 26. ait: *Dominus unice deſiderat, quod toti prorſus ad eum convertamur.* Chryſoſtomus in 1. Tim. 2. *Imitare Deum tuum; ſi enim ille omnes vult ſalvos fieri, velis & tu, ſi & tu vis, ora pro iis.* Ambroſius l. 3. de Interpell. David 2. *Pulchre Apoſtolus explanavit, quia & omnibus bonus eſt Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri.* De Auguſtino infra erit ſermo. Adde Concilium Arelatenſe 3., Moguntinum, Valentinum, Cariſiacum, & Theologos omnes. Pr. III. ratione. Tenemur enim orare pro omnibus, petere, ac ſperare regnum cælorum, & redemptorem, qui nos ſua morte liberavit, diligere: ſed hoc falſum eſſet, niſi Deus vellet omnes ſalvos fieri: ergo &c.

Propositio II. hæc voluntas eſt in Deo vera, propria, & ſincera.

Sequitur ex dictis: & pr. I. Quod Deum decet, & ſcripturæ de illo affirmant, de ipſo eſt affirmandum: ſed hæc voluntas Dei bonitatem decet: ergo &c. Voluntas *antecedens* eſt relate ad inſtitutionem mediorum, quibus omnes ſalvari poſſunt: ſed hoc eſt vere bonum: ergo &c. Vere enim Deus omnes ad agnitionem veritatis invitat, omnibus ſacramenta diſpenſat, pro omnibus redemptionem dedit: ergo hæc voluntas eſt in Deo vere, & proprie. Affirmant quidem plures Theologi, voluntatem antecedentem non eſſe in Deo proprie, eo quod

(a) *Contra Jul. 4., & 20. C. D. 6.*

quod S. Thomas (*a*) velleitatem appellet, inefficacem, & suspensam, cum tamen semper impleatur, quod Deus vult simpliciter. Unde memorati Janseniani ajunt, se ab illis non dissentiri. Verum ab iis toto cælo distant Scholastici; distinguendus est enim duplex divinæ voluntatis effectus. Primus est creaturam ordinare ad finem salutis, eique parare, & exhibere auxilia sufficientia: secundus est, eandem ad salutem perducere, & in termino collocare efficacibus auxiliis, ac perseverantiæ dono (*b*). Dum ergo theologi ajunt, voluntatem antecedentem esse in Deo metaphorice, id catholico sensu pronunciant. Primo enim, cum nulla sit in Deo intrinseca distinctio, negant, *antecedentem* voluntatem, in Deo, a *consequenti* esse distinctam, totum quippe discrimen repetendum putant ex parte volitorum, ut ait Durandus (*c*). Secundo relate ad actualem gloriæ consecutionem, quia non omnes electi sunt, neque omnibus vult Deus talia media impertiri, quæ certe ad salutem perducant: impletur tamen Dei voluntas in alio ordine, & semper effectum proprium, & immediatum consequitur, qui est ordinare creaturam in suum finem, eamque in via salutis constituere. Quæ doctrina catholica est, & ab omnibus, si Molinianos excipias, admittitur. At novatores hanc voluntatem generalem a statu naturæ lapsæ prorsus eliminant; nullam sinceram voluntatem salvandi, nisi prædestinatos, agnoscunt; neminem, præter electos, a Christo redemptum: & licet usurpent veterum verba, ab eorum sensu quam longe absunt. Quare voluntatem antecedentem, quam veteres inculpate metaphoricam vocant, adversus Jansenianos cavillatores, sinceram, & propriam dicimus, sed eam exponendam censemus connotative ad generalem ordinem creatura-

(a) 1. *p. q.* 19. (b) *Ita Ægidius, Scotus, S. Bonaventura, aliique.*

(c) *Q.* 3. *dist.* 47.

turarum, non ad omnes circumstantias; alias nullum esset discrimen inter voluntatem antecedentem, & consequentem.

Ob. I. S. P. A. Apostoli locum: *Vult omnes homines salvos fieri*, quadrifariam exponit: primo, quod nullus fit salvus, nisi Deo volente; ut de ludimagistro dicimus: *Omnes pueros literas docet*, quia per illum omnes docentur, quotquot literis vacant (*a*). Secundo, ut τὸ *omnes* accipiatur distributive *pro generibus singulorum*, ita ut ex omni genere, & conditione Deus velit aliquos salvos fieri, Judæos, Græcos, pueros, adultos, divites, pauperes &c. (*b*). Tertio, vult nos salvos fieri, quia nos facit velle: ita clamans spiritus dicitur Rom. 8., quia facit, ut clamemus (*c*). Quarto, vult nos salvos fieri per auxilia externa, per legem omnium menti inscriptam, per passionem Christi, per prædicationem Apostolorum, orationes Ecclesiæ, Sanctorum merita &c. (*d*). Atqui hæc expositio omnem voluntatem *antecedentem* excludit, & solam consequentem pro electis admittit, pro aliis autem voluntatem *signi*, ac metaphoricam: ergo hæc voluntas exploditur ab Augustino.

R. I. Vasquesius (*e*), Augustinum locum Apostoli non recte exposuisse; sed aliter sentiunt S. Thomas (*f*), Estius (*g*), aliique. R. II. neg. conf. Nam Augustini interpretationes cum voluntate antecedenti non pugnant. Siquidem S. P. de voluntate consequenti absoluta & efficaci, quæ est de rerum effectibus, non de antecedenti accipi debet, ut monuit S. Thomas (*h*). Deinde Vasquesius Semipelagianorum querimonias ingeminat, qui post

(a) *Ita Ep. ad Vit. & alibi.*
(b) *Ita Enchir.* 103. *& alibi.*
(c) *Ex lib. de Corr. & Gr.* 15.
(d) *Ex Prospero in* ℞. *ad* 1. *&* 2. *obj. Vinc.*
(e) 1. *p. disp.* 83. *c.* 2. (f) *Q.* 19. *art.* 6.
(g) *Dist.* 46. §. 4. (h) *In* 1. *dist.* 46. *q.* 1. *art.* 1.

post obitum Augustini spargebant, eum docuisse, *quod Deus nolit omnes salvare*, ut scribit S. Prosper (*a*). Præterea S. P. propugnabat ib. prædestinationem, & gratiam, contra Pelagianos, adeoque de voluntate absoluta loqui debuit. Denique hanc voluntatem antecedentem agnoscit S. P. l. de Sp. & lit. 23. ubi proposita sibi quæstione: cur non omnibus conferatur gratia efficax, *cum omnes velit salvos fieri?* R. *Vult omnes salvos fieri, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel male, vel bene utentes justissime judicentur. Quod cum sit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum Evangelio non credunt, nec ideo eam vincunt, experturi in suppliciis potestatem, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est. Vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit.* Admittit ergo S. P. A. antecedentem voluntatem salvandi omnes, easque interpretationes de voluntate efficaci, & absoluta accipiendas esse, quam Pelagiani non agnoscebant, nemo non videt.

Ob. II. Fulgentius l. de Incarnat. c. 31. ait, *Omnes, quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur.* S. Prosper in Carm. *At vero omnipotens hominem cum gratia salvat, non causis anceps suspenditur ullis.* PP. in Sardiniam exules in Ep. Synod. 14. *Omnes prædestinati ipsi sunt, quos Deus vult salvos fieri &c.* Auctor Hypogn. l. 6. c. ult. *Omne quod Deus vult, potest, nec præpeditur humana voluntate, quod vult:* ergo Augustini discipuli hanc voluntatem salvandi omnes ad solos prædestinatos extendunt.

R. dist. cons. Et PP. laudati loquuntur de voluntate *consequente*, conc.; de *antecedente*, neg.: de illa autem, non de hac laud. PP. loqui, ex eorum scopo colligitur; toti enim sunt in vindicanda contra

(a) *In Præf. ℟. ad obj. Vinc.*

contra Pelagianos præparatione gratiarum, quas Deus secundum propositum voluntatis suæ impertitur electis. Subdit quippe Fulgentius: *Prædestinando præparavit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum.* S. Prosper loquitur de gratia, *quæ suum consummat opus.* PP. Sardiniæ *de consecutione salutis.* Auctor Hypogn. de voluntate *salvandi finaliter:* sed hi omnes sunt voluntatis *consequentis* effectus: ergo &c.

Ob. III. Ps. 134. habetur: *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Is. 5., *Omnis voluntas mea* fiet: sed voluntas ant. non impletur: ergo non est in Deo. R. dist. min. Non impletur quoad effectum sibi proprium, qui est omnes in via salutis constituere auxilia parare &c., neg.; quoad effectum voluntatis consequentis, quæ est perducere ad terminum, & specialissima dona largiri, quibus salus certissime comparatur, conc. Vide not. 4.

Inst. Si voluntas *antecedens* dicatur connotative ad creaturam rationalem, abstrahendo ab individuis aliqua circumstantia affectis, Deus dicendus erit voluntate antecedente velle etiam dæmonum, & damnatorum salutem, nec minorem habebit curam reproborum, ac dæmonum: ergo &c.

R. neg. sequelam; cum enim voluntatis antecedentis effectus sit rationales creaturas in via salutis locare, eisque communia gratiarum dona parare, non potest ad hanc voluntatem pertinere quisquis in termino constitutus, neque mereri potest, nec oratione juvatur, nec gratia excitatur.

Ob. IV. Non est voluntas antecedens propria, & sincera, quæ conjungitur cum voluntate consequente illi opposita: sed voluntati salvandi omnes opponitur voluntas consequens damnandi complures: ergo &c. Pr. maj. Si enim mercator posset fluctus componere, & merces projiceret, non ostenderet sinceram voluntatem merces salvandi: ergo, cum possit Deus omnes salvare, si plures da-

damnat, non habet ſinceram voluntatem illos ſalvandi.

R. diſt. maj. Si utraque voluntas connotet eundem finem, conc.; ſi diverſum, neg. Mercator ergo, ut peculiaris perſona, unicum ſibi finem, nempe lucrum, præfigit; & relate ad hunc finem non datur duplex voluntas: Deus vero, univerſalis rerum proviſor, non ſolum locat omnes in via ſalutis; ſed etiam illud definit, quod poſtulat impoſiti ordinis executio. Reſpicit ergo voluntate antecedente creaturam univerſe, eamque miſericorditer amplectitur, conſequente vero hanc vel illam, quam ex malorum præſcientia juſte damnat. Nil obſtat ergo unam eandemque voluntatem, ſi ad diverſa connotata referatur, dicere oppoſitionem, quæ, cum ſit ex parte terminorum, nullam in Deo diſcrepantiam importat.

Ob. V. Si judex civium flagitia prævideret, non eſſet de eorum ſalute ſollicitus: ergo Deus, qui novit omnia, non poteſt habere voluntatem ſinceram ſalvandi reprobos.

R. neg. ant. Nam, etſi judex prævideret alicujus meditatum ſcelus, quo patrato reum morte multaret, non tamen civem illum deſereret, ſed monitis, aut minis a ſcelere deterreret. Ita Deus, licet ob quorundam duritiam illos reprobet, & damnet, eos tamen generalibus auxiliis non deſerit, niſi in pœnam originalis, vel actualis peccati, ſed, quantum in ſe eſt, miſericorditer monet, adjuvatque, ne pereant.

Ob. VI. Voluntas antecedens fuit Semipelagianorum effugium, quo Auguſtini de SS. Prædeſtinatione doctrinam repudiabant: ergo &c.

R. neg. conſ. Differt enim voluntas antecedens Semipelagianorum ab ea, quam nos propugnamus. Illi enim in Deo voluntatem antecedentem admittebant ex præſcientia humani conſenſus, & impugnabant voluntatem conſeq. qua Deus quoſdam e maſſa perditionis liberare conſtituit. Nos autem dici-

dicimus, nunquam ab humana divinam voluntatem præveniri, & hanc esse nostrorum meritorum caussam, atque principium. Voluntatem etiam consequentem, & absolutam a divino proposito, non ab operum præscientia repetimus: ergo &c.

CAPUT II.

De amore, ac providentia Dei erga creaturas.

Supponimus, in Deo esse actum amoris, quo creaturis vult aliquod bonum: licet proprie non sit in eo desiderium, neque odium inimicitiæ. Nam desiderium est de bono absente, quod in bono incommutabili nequit excogitari. Odium est velle alteri malum, quod Deo benefico adversatur. Unde odisse dicitur impios, translata ab hominum indignatione proprietate sermonis.

Propositio I. Deus amat creaturas suas propter propriam sui ipsius bonitatem.

Pr. I. pars. Gen. 1. 31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Sap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti:* ergo &c. Prob. II. ratione. Deus enim dat creaturis existentiam, conservationem, & quidquid ipsarum conditioni, & rerum ordini congruit: ergo amat creaturas. Pr. II. pars, nempe quod Deus omnia diligat propter seipsum. Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et ratio est, quia sola bonitas est divini amoris objectum, ut ajunt, *specificativum*: sicut ergo operari non potest, nisi ex seipso, ita nequit, nisi propter se, aliquid velle, aut diligere.

Ob. I. Divinus amor est a Dei essentia indistinctus: atqui Deus est ens a se: ergo nil aliud amat, quam se. R. dist. maj. Est indistinctus, si spectetur in se, conc.; relate ad terminum, neg. Deo itaque idem est esse, ac velle, sed illud dicitur ad se, istud relative, ut de divinis attributis alibi dictum est.

Nil

Nil mirum ergo si scientiæ, & voluntatis divinæ assignetur extrinsecum connotatum.

Ob. II. Aliquem diligere propter se, est amor concupiscentiæ : sed hic amor est Deo indignus : ergo. R. dist. maj. Si aliqua amanti proveniat utilitas, & delectatio, conc.; secus, nego.

Ob. III. Deus in creaturis sæpe vult mala : ergo non eas diligit. R. dist. ant. Vult mala culpæ, neg.; pœnæ, subdist.: ut majora inde faciat bona, conc.; ut gaudeat malo, nego.

Quæres : quid sit dicendum de possibilibus? R. Censent aliqui, ea a Deo amari, primo, quia bona sunt possibiliter; sicut enim possibilia sunt divinæ cognitionis objectum, sic esse possunt divini amoris; qualem enim veritatem habent, talem habent bonitatem. Secundo, salus omnium est possibilis: atqui Deus sincere eam vult (a): ergo &c. R. alii negative; primo enim possibilia non habent existentiam : ergo nullam participant rationem boni. Secundo, amor Dei est effectivus, & rebus impertitur quidquid amore dignum est: sed possibilibus nil bonitatis impertitur: ergo &c. Tertio, amoris actus sunt *uti*, & *frui* : atqui Deus nec utitur possibilibus, nec fruitur: ergo &c. Ex his constat, I. Deum non diligere creaturas possibiles amore efficaci (b). II. Quod, sicuti bonitas possibilium non est a parte rei, sed tantum in mente; ita amor divinus erga possibilia non est in re, sed in nostra cogitatione; non enim diligi possunt, nisi quomodo sunt, quæ recte diliguntur.

Propositio II. Deus providentia sua gubernat omnia, vilia quoque, ac minima.

Prob. I. Script. (c) Sap. 8. 1. habetur: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et c. 12. 13. *Non est alius Deus, quam tu, cui*

(a) *Ex Prop. II. cap. præc.*
(b) *Patet ex argum. productis.*
(c) *Vide c. 2. & 3. lib. 1.*

cui cura est de omnibus. Matth. 10. 29. *Nonne duo passeres asse veneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* Et c. 6. 26. *Respicite volatilia cœli, quoniam Pater vester cœlestis pascit illa.* Pr. II. ex PP. Damascenus (*a*) id probat ex Dei bonitate. Si enim homines, ac bestiæ suorum fœtuum providentiam habent, quanto magis Deus? Utitur hoc argumento S. P. A. (*b*): & S. Ambrosius (*c*) ex eo evincit, quod nullus operarius negligat operis sui curam. Egregia hac de re scripsere Theodoretus, Salvianus, Paulinus: aliique: idem sentiunt philosophi Hierocles (*d*), Chalcidius (*e*), Jamblicus (*f*), aliique (1). Prob. III. ratione. Deus enim sapientissimus est, principium, & finis omnium creaturarum: sed nisi omnibus provideret non esset sapientissimus, neque in eo esset summa potestas, & ultimi finis dignitas atque præstantia: ergo &c. Pr. IV. Ex rebus creatis. I. Certi cælorum motus, ratique astrorum ordines, quibus anni tempora, & sæcula imperturbato ordine prætereunt, mira animantium, ac satorum propagatio, regnorum vicissitudines, hominum artes, commercia, consuetudines, quæ omnia, ait Tullius, non dubitamus, quin opera sint rationis. II. Ex iis, quæ casu evenire creduntur, sed mirabili dispositione contingunt. Quis enim fortuito non evenisse existimasset, ut Moses in fiscella expo-

(1) Merito ergo ab Antisiodorensi Episcopo Pradesius reprehenditur, qui in suis Thesibus asseruit, a veteribus philosophis *protritam* fuisse, & *conculcatam* divinam providentiam, ejusque agnitionem, & cultum recentioribus philosophis acceptam esse referendam.

(a) *De fid. orth.* 29. (b) *Contra Adimantum.*
(c) *De Offic.* c. 3. (d) *De fortuna & casu Deorum*
(e) *ad Timæum Platonis.*
(f) *Seg.* 8. *de myst. Ægypt.*

exponeretur ad Nilum, Joſeph ad Ægyptios duceretur captivus, Saul deperditis aſinis ad Samuelem accederet, David relicto pecore migraret ad urbem? Hæc tamen Deo diſponente facta eſſe probavit eventus. Nam Moyſes in ducem populi, Joſeph in Ægypti principem, David & Saul in reges maximos aſſumpti ſunt, quæ ſane dubitari nequit, quin ſuprema ratione moderante contingant.

Ob. I. Monſtra, & oſtenta, & innumera inſectilium & vermium genera, nullam afferunt univerſo pulchritudinem: ergo hæc ſaltem non curat, neque providet Deus.

R. neg. ant. Licet enim monſtra diſtent ab intentione ac fine particularium cauſſarum, non diſtant tamen a regula cauſſæ primæ. Illud enim ſapientiſſime ordinatum eſt, ut cauſſæ ſecundæ natura mutabiles in rerum efficientia commutentur, ut in ipſa contingentium varietate, unius ſummæ cauſſæ immutata ratio perſiſtat (1). Minima quoque ac vilia, licet inſipientibus ſuperflua videantur, non ita ſunt tamen conditori, qui omnibus utitur ad gubernationem univerſitatis. Id probat S. P. l. 1. de Gen. contra Manichæos c. 16.: *Si in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa inſtrumenta, quorum cauſſas ignorat, ſuperflua putat. Jam vero, ſi ferramento acuto ſeipſum vulneraverit, etiam pernicioſa, & noxia. Quorum tamen uſum, quoniam novit artifex, inſipientiam ejus irridet, & tamen tam ſtulti ſunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quæ* igno-

(1) Quidquid enim, præter naturæ curſum contingit, oſtendit eſſe primam cauſſam, quæ, prout lubet, rerum naturalium ordinem immutat, ut nova, ac mira cernentes in ſui admirationem convertat. Novit enim ſapientiſſimus artifex, *quarum partium univerſitatis pulchritudinem, vel ſimilitudine, vel diverſitate contexat*, ait S. P. l. 16. C. D. 7. & 8. Vide not. 2. c. 3. l. 1.

ignorant; in hoc autem mundo, cujus conditor prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum caussam non vident.

Inst. Ap. 1. Cor. 9. ait: *Numquid de bobus cura est Deo?* Et Hieronymus in 1. Habac. indignum Deo putat curam hujusmodi: ergo &c.

R., Apostolum id unum velle, nempe illud Deuter. 25., *Non alligabis os bovi trituranti*, specialiter caussa hominis dictum esse, ut alimenta, & mercedem, quam jumentis largimur, magis in homines exerceamus, & in Ecclesiæ ministros, quibus, dum seminant spiritalia, licet carnalia metere, & de altari vivere, cui inserviunt; adeoque licitum sibi fuisse victum a Corinthiis accipere, tanquam laborum suorum justum, debitumque stipendium. Hieronymus vero ait, non eandem esse curam de hominibus, ac de aliis rebus. Non negat tamen, quin Deus omnia dirigat, & gubernet (a). Ut enim recte ratiocinatur Ambrosius l. 1. de Off. 13. *Cum aliquid non fecisse nulla injuria sit, non curare quod feceris, summa inclementia est.*

Dices. Congruum videtur, ut Deus, sicuti reges, utatur aliorum ministerio, non per se regat creaturas. R. neg. ant. Quod enim reges longe dissitas provincias per alios regant, non tam auctoritatis est, quam infirmitatis argumentum: Deus autem, qui omnipotens est, & ubique præsens, omnia sua potestate disponit.

Ob. II. Deus innumera mala permittit. Via impiorum prosperatur: florent iniqui: boni vexantur: ergo &c.

R. neg. cons. Permittit enim Deus mala, ut defæcatiora sint bona: sic umbra in picturis eminentiora distinguit (b). Permittit etiam mala, ut eveniant bona (c). Prosperatur via impiorum, ne bona hæc

(a) *Vide Prop. 2. c. 2. l. 4.*
(b) *Vide Aug. Op. Imp. 5.*
(c) *Vide Prop. III. Cap. 4. Diss. II. Lib. I.*

hæc cupidius appetantur, quæ mali etiam habere cernuntur (a): tum ut Deus juſtus, ſi quid boni fecerunt, præſentis vitæ mercedem rependat. Præterea, *Omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur*, ait S. P. in Pſ. 65. Bonis autem eveniunt adverſa, ut terrena deſpiciant. Non enim ſemper in hac vita Deus coronat merita, ut ſpe melioris ſubſtantiæ nutriantur ſtudia virtutum.

Dices. Deus ſaltem non curat homines perditiſſimos, quos ſinit in ſcelerum profunda demergi: ergo &c.

R. neg. ant. Licet enim non eandem de his curam habeat, ac de electis, non tamen a Deo deſeruntur, alias abirent in nihilum. Et in domo magni patris familias ad omnem uſum vaſa aurea, & fictilia ſunt diſpoſita. Utque piorum exempla nos ad imitationem hortantur, ita impiorum flagitia debent pavorem ſimul, & ſollicitudinem excitare. Peccata ergo providentiæ ſubjiciuntur, non quod Deus ea curet, ac prædefiniat; non enim cauſſam habent, niſi deficientem; ſed quantum ad ordinem, quod nempe Dei conſilio permittantur, ut inde majora bona proveniant.

Ob. III. Providentia hæc, quæ res ſingulas ſuis nectit ordinibus, videtur idem ac fatum Stoicorum: ergo &c.

R. neg. ant. Fatum enim Stoicorum, quod eſt anticipata neceſſitas proveniens ex certa ſiderum diſpoſitione, primus invexit Democritus; ex quo errorem hauſerunt Hermogenes, & Marcion. De hoc Tertullianus l. 5. ait, *Collocaſſe cum Deo creatore materiam de porticu Stoicorum*. Cum ergo noſſent hanc malitioſam materiæ vim Dei bonitati repugnare, facile fuit etiam cum fato æternum principium malorum inducere, & Manichæorum hæreſim ex Magorum cineribus ſuſcitare. Hinc

 Pri-

(a) *Ita S. P. 1. C. D. 8.*

Priſcillianus ex Manichæorum, & Gnoſticorum dogmate hæreſim ſuam conflavit an. Chriſti 381., aut 386. (*a*). Qui fatum ſic acceptum admittit, ille ſe in tenebris paganitatis immergit. Conatur enim aſſerere neceſſariam, ac ſempiternam malitiæ vim, Dei naturæ contrariam; cultum ſiderum inſtaurat: nec de bonis, aut malis actibus poteſt judicium ferri, ſi fatalis neceſſitas motum mentis impellit: & quidquid ab hominibus agitur, non eſt hominum, ſed aſtrorum, ut arguit S. Leo, Gregorius, & Auguſtinus. Si vero fatum accipias cum Boethio pro *diſpoſitione rebus mobilibus inhærente, per quam providentia ſuis quæque nectit ordinibus*, iiſdem argumentis adſtruitur, quibus providentia comprobatur. Monet tamen S. P. l. 5. C. D. 10., a fati nomine eſſe abſtinendum, quod ſermonis uſu videatur ſignificare certam ſiderum, ex qua caſus eveniant inevitabiles. Ceterum providentia Dei non tolli rerum contingentiam, ex eo conſtat, quod in certa cauſſarum omnium diſpoſitione etiam cauſſæ contingentes, & liberæ contineantur; & prima cauſſa, nedum effectus diſponat, ſed etiam rationem, & modum, adeoque ex Dei providentia nulla ſequitur abſoluta neceſſitas (*b*). Immerito ergo de Deo queruntur nonnulli ob moleſtias, & miſerias, quibus plerumque in pœnam ſuorum criminum afficiuntur.

CAPUT III.

De libertate divinæ voluntatis.

NOT. Tertiam voluntatis conditionem, ideſt plenitudinem libertatis, in Deo eſſe, facile intelligimus, ſed ejus rationem exponere eſt valde operoſum. Cajetanus libertatem conſtituit in perfectione divinæ ſubſtantiæ ſuperaddita, ac pro habito

(a) *Euſeb. & Sigeb.*
(b) *Vide præc. lib. Cap. ult.*

bito variabili. Quæ varietas, si sit respectu terminorum, ut docent veteres Thomistæ, a pluribus admittitur. Sunt tamen, qui putant libertatem divinam non addere divinæ substantiæ, nisi respectum rationis, ut docent Legionensis, & Vasquez. Alii eam constituunt in intrinseca quadam entitate variabili in se virtualiter. Nos autem, qui, ut lib. 2. dictum est, nihil in Deo mutabile, aut adventitium, nisi ratione connotatorum, admittimus, dicimus, Dei libertatem in ipsa Dei substantia intelligente, ac volente consistere, prout terminatur ad exteriora objecta, ut docent Ariminensis, Scotus, Tournelius, Habert, Juenin &c.

Not. II. Supponimus agi modo de libertate, quæ est agendi, vel non agendi potestas. Quotquot enim de libertate scripsere, ad eam pertinere tradunt, ut sit plenissima potestas indifferens ad utrumlibet. Libertatem *contrarietatis*, sive ad bonum, & malum, a Deo removendam, constat ex ipsa idea perfectissimi entis, quod nequit a recta agendi ratione deflectere. Si vero hanc libertatem *contrarietatis* referas ad pœnam, vel præmium rependendum hominibus, ut unum eligat, alterum reprobet, potest cum Scotistis in Deo admitti: sed in his, sicut diversa intervenit connotatio, ita nulla ostenditur contrarietas respectu Dei, de quo præsertim inquirimus, an in rebus a se productis libere se gerat? ita ut unum sic eligat, ut alterum valeat eligere, sicque operetur, ut possit non operari, quam in scholis communiter vocant libertatem contradictionis.

PROPOSITIO I. Est in Deo opposita necessitati libertas.

Prob. scripturis contra Worstium, Witclefum, aliosque hæreticos. Ps. 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* I. Cor. 12. *Hæc omnia operatur unus, & idem spiritus, dividens singulis, prout vult.* Rom. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.*

Pr. II. ex Patribus. Aug. 22. C. D. 3. *Non ideo*, ait, *quia Deus peccare non potest, liberum arbitrium habere negandum est.* Damasc. l. 2. de Fid. Orthod. 22. ita contra Arianos scribit: *In tantum processistis impietatis, ut negetis, quod Filius Dei liberæ voluntatis sit* (a): ergo &c.

Prob. III. ratione. Id enim exigit ratio supremi dominii, Dei liberalitas, quæ a libero animo, teste Seneca, nominatur, perfectio, & summa ejus ratio, ac sapientia, quæ sine electione, & consilio stare nequeunt. Deinde singulæ creaturæ a divina operatione sejungi possunt; non enim cum Dei potestate ulla junguntur lege necessitatis: ergo &c. Ant. patet: Si enim res creatæ a vi primæ caussæ separari non possent, sequeretur, eas esse æternas, ut Dei virtus, & substantia, nec quidpiam creatum esset, sed omnia forent æterna, quod est absurdum.

Propositio II. Constituitur Dei libertas per actum necessarium divinæ voluntatis, prout connotat objectum creatum.

Pr. I. pars. Dei libertas est intrinseca perfectio, ejusque actus est immanens, & vitalis: sed in Deo nihil intrinsecum, & immanens reperitur, præter necessariam, ac sempiternam substantiam intelligentem, & volentem, alias Deus esset compositus, & imperfectus: ergo Dei libertas est eadem Dei substantia intelligens, ac volens. Prob. II. pars. Requiritur ad libertatem aliqua indifferentia: sed actus divinæ voluntatis non est indifferens, prout comparatur ad bonitatem divinam, quæ non potest cadere sub indifferentia judicii, cum nullum sit bonum, quod cum summo bono valeat comparari: ergo hæc indifferentia attendi debet penes connotata. Pro solutione argumentorum nota, Dei libertatem esse ex eorum genere, quæ *connotative*,

(a) *Vide Bernardum de Gr. & Arb., Basilium in Hexam. Hom. 1., Hieronymum in Ep. ad Phil. c. 3.*

tative, non *absolute* dicuntur, ideſt unum ſignificant, & aliud conſignificant: primum eſt ipſa Dei natura, quæ eſt ſuum eſſe, & ſua operatio, alterum quidquid ſit a Deo in aliqua temporis differentia (*a*).

Ob. I. cum L' Herm. Actus liber conſiſtit in actione voluntatis, quæ potuerit non eſſe, & diſcrimen aliquod aſſignari debet inter libertatem, & actum: ſed nullum aliud diſcrimen eſt, niſi quod libertas eſt facultas ad Dei ſubſtantiam ſpectans, actus vero operatio ejuſdem facultatis: ergo &c. II. Quærenti, quid ſit libertas? non recte reſpondetur dicendo: libertas Dei eſt ipſa divina ſubſtantia, *terminative* accepta, ſicut non recte dicitur, æternitas eſt ſubſtantia principio, ac fine carens. III. Etiam ſcientia eſt entitas divina connotans creaturas: ergo &c.

R. ad I., actum Dei liberum utique eſſe actionem, quæ poteſt non eſſe; cum autem quidquid in Deo eſt, ſecundum id quod importat in recto, ſit neceſſarium & immutabile, liberæ actionis indifferentia tota verſatur penes extrinſecum connotatum. Diſcrimen autem inter facultatem, & actum in Deo nullum eſt, niſi quod facultas connotat terminum, prout poni poteſt, actus vero, prout poſitum, vel ponendum. Sic libera creandi poteſtas connotat creaturam poſſibilem, decretum liberum creaturam futuram, creatio creaturam actu exiſtentem. Ad ſecundum neg. ant. Optima eſt enim allata æternitatis definitio, & cohærens ei, quam tradit S. P. A. (*b*) & Anſelm. (*c*). Ad III. R., ſcientiam a libertate diverſa connotatione diſtingui; illa enim terminatur ad creaturas, prout habent veritatem intelligibilem, libertas vero eas reſpicit, prout habent exiſtentiam contingentem.

Ob. II. In Deo non eſt electio: ergo nec libertas.

(a) *Vide l.* 2. *c.* 4. *Prop.* 3. (b) *In Pſ.* 101.
(c) *Monolog.* 26.

Secundo, non est in Deo indifferentia activa, cum in Deo esse nequeat potestas sine actu: ergo &c. Tertio, Deus est immutabilis: ergo non est liber.

R. ad I. dist. ant. Non est electio anceps cum suspensione animi, quæ ex ignorantia procedit, conc.; non est electio unius præ alio absque hæsitatione, neg. Ad secundum neg. ant. Est enim in Deo indifferentia activa, sed cum hæc dicatur connotative, indifferens est Deus ad mutabilitatem effectuum. In Deo autem nulla est potentia ab actu distincta, nisi prout actus accipitur terminative; exigit enim summa Dei perfectio, ut idem sit ejus potestas, & operatio. Ad III. neg. maj. Salvatur enim Dei immutabilitas cum indifferentia actus liberi, dummodo iste sit contingens, prout connotat terminum, non pro eo, quod dicit in recto; nam creatio mundi est actus liber; ex quo tamen Deus mundum condiderit, non est intrinsece mutatus.

Ob. III. Actus Dei liber vitalis est: ergo est illi prorsus intrinsecus. R. dist. ant. Est actus vitalis connotans extrinsecum objectum, conc.; in Dei substantia consistens, neg. Multa enim sunt Deo intrinseca, quæ ad objectum creatum comparantur, ut præscientia, prædestinatio &c.

Inst. Hæc connotatio vel intrinseca est, vel extrinseca. Si primum, erit Deo necessarius respectus ad creaturas; si secundum, constituitur ergo Dei libertas per aliquod extrinsecum, & adventitium. II. Si divina libertas ex hac connotatione constat, erit imperfectior libertate creata, quæ sine hac terminatione consistit. III. Nulla divina perfectio, etiam inadæquate, per aliquod extrinsecum constitui potest: sed hæc connotatio est ertrinseca: ergo &c.

R. ad I., talem connotationem ex parte actus intrinsecam esse & necessariam, extrinsecam autem ac variabilem ex parte termini, & objecti. Ita quævis Dei operatio æterna est, nec divinitate sejungitur, est tamen libera est ejus omnipoten-

tentia, eique advenit nova creatoris denominatio per solam creaturarum connotationem. Ad secundum neg. ant. Libertas enim creata, cum sit per se mutabilis, non opus est, ut contingentiam exterius accipiat. At Dei libertas, quæ est immutabilis, nec potest habere actus diversos, a terminis tantum suam accipit indifferentiam. Qui ergo actum Dei liberum exponunt in ordine ad connotata, nil derogant Dei perfectioni, & de ejus simplicitate, atque immutabilitate decentius loquuntur. Negari etiam potest, voluntatem nostram constitui per objectum extrinsecum. Constituitur enim non secundum formam, pro qua supponit, sed relate ad terminum, quem consignificat. Hoc etiam pacto divinam perfectionem constitui, si sit de illarum genere, quæ connotative dicuntur, est valde congruum: atque ita R. ad III.

Ob. IV. Si idem esset actus Dei liber, ac ejus substantia, ut hæc, ita ille foret æternus, atque eadem Dei perfectio esset simul immutabilis, & contingens: immutabilis, quia talis est Dei natura; contingens, quia talis esse debet actus liber: sed hoc repugnat: ergo &c. R. dist. ant. Actus Dei liber æternus, ac necessarius foret, secundum id, quod importat in recto, & relate ad substantiam, conc.; secundum id, quod connotat, neg. Non repugnat autem eundem actum esse immutabilem, & contingentem respectu diversorum, sicuti eadem creatio æterna est, relate ad Deum, temporalis autem, relate ad creaturas, quas connotat.

Ob. V. Actus Dei liber fuit ab æterno, nec tamen ab æterno ulla extitit creatura: ergo &c. R. dist. ant. Liber fuit ab æterno, quoad substantiam, conc.; quoad terminum, nego.

Dices. Ab æterno nulla erat res creata: ergo nec esse potuit ulla connotatio, quæ ad libertatem requiritur. R. dist. conf. Non potuit esse connotatio ad terminum existentem, conc.; ad terminum futurum, neg. Ita creatio ab æterno spectabat

 mun-

mundum producibilem, quæ nunc connotat jam productum.

Ob. VI. Quævis creatura pendet a libera Dei voluntate, & eſt effectus determinationis ipſius: ergo reſpectus ad creaturas non conſtituit, ſed ſupponit actum liberum voluntatis Dei. R. diſt. ant. Creatura eſt effectus voluntatis Dei liberæ, inadæquate acceptæ, & pro actu permanente, conc.; adæquate pro termino, quem connotat, neg. Non enim ſequitur: creatura dependet a libera Dei voluntate, & eſt effectus determinationis ejus: ergo non conſtituit actum Dei liberum. Conſtitutiva enim per modum termini, & connotati poſſunt a re, quam conſtituunt, vere ac proprie produci. Ex quibus infertur, I. Nullam in Deo eſſe indeterminationem intrinſecam, quæ, cum ſit incerti animi fluctuatio, non poteſt cum perfectiſſima ſcientia componi. II. Voluntatis divinæ nullam eſſe cauſſam proprie dictam, ſicut nulla datur cauſſa divinitatis. III. Nullam in Deo eſſe libertatem contradictionis, ideſt, voluntatem intrinſece ſuſpenſam ab omni actu volitionis. Dari autem libertatem contradictionis, prout eſt poteſtas indifferens ad agendum, vel non agendum, indifferentia ſpectata ex parte connotatorum. Sed de hoc argumento ſatis.

L I B E R VI.

De inſcrutabili prædeſtinationis myſterio.

CUM divinæ prædeſtinationis doctrina Auguſtini præſertim auctoritate ſubnixa ſit, qui de hoc tam ſublimi argumento egregia volumina conſcripſit, a Romanis Pontificibus, a SS. PP., atque ab Eccleſia univerſa communi calculo comprobata, non abs re me facturum arbitror, ſi doctiſſimorum virorum, atque ipſius cl. Auctoris inhærens veſtigiis, Auguſtini dogmata de inſcrutabili prædeſtinationis myſterio ab iniquiſſimis quorundam obtrectatorum calumniis ipſo in limine VI. hujus libri vindicare pro virili conabor. Ajunt itaque, alios quo-

quoque Patres summorum Pontificum laudibus cohonestari, adeoque non esse potiorem Augustini, quam illorum PP. auctoritatem. Deinde S. P. Ep. 9. ad Hieron. solis libris scripturarum tribuere auctoritatem &c. III. Statuere Ecclesiam, nullam propositionem esse infallibilem, eo quod ab Augustino tradita sit. IV. Augustinum etiam in plures, & graves errores fuisse prolapsum.

Hæc tamen, aliaque istiusmodi liberiori stylo, quam reverentia erga doctorem maximum scriptitarunt, qui aut victricis gratiæ efficaciam, aut electionem Sanctorum secundum propositum oppugnare conati sunt, eaque eadem facilitate exsufflantur, qua proponuntur. Nam, etiamsi ultro daremus, nullum esse inter Augustinum, aliosque PP. discrimen, nec illum fuisse indutum virtute ex alto, ut qui plus omnibus laboraverit, ut Fulgentius testatur; dum tamen agitur de prædestinatione, & gratia, nefas est Augustino refragari, cum in ejus libris contineatur, *quod asseverat Ecclesia*, ut Pontifices testantur; *cum antiquam fidem rursus condiderit*, ut ajunt PP.; ejusque sententiæ in canones evaserint, ut ex Conciliis evincitur; atque unus sufficiat Augustinus, ubi de gratia disputatur, ut theologi affirmant. Habent etiam PP. alii parem cum Augustino honorem, si pari ab Ecclesia decorati fuerint præconio. Ad II. R., privatis scriptoribus deferendam non esse infallibilem auctoritatem, quæ solis convenit sacris literis; si tamen, quæ ab iis scripta sunt, Ecclesia commendet, summa excipienda sunt reverentia (1). Neque Augustino

(1) An hanc, multiplici titulo debitam, S. Doctori exhibuerit reverentiam recentissimus scriptor, qui confidenter asseruit, quod *Augustinus eget interprete D. Thoma*, alii viderint. Mihi sane persuasum est, Augustinum per seipsum perspicuum esse, ejusque scripta, multo ante D. Thomam, a Roma-

stino credimus, quia scripsit hæc Augustinus, sed quia recte scripsisse Augustinum Ecclesia testatur. Ad III. R., Augustinum Ecclesiæ decretis præferendum, soli affirmare possunt Novatores; ego vero si Ecclesia Augustini scripta damnaret, primus in ignem ejus libros projicerem: nunc autem totius Ecclesiæ plausu celebratos catholico sensu exponam, & pro virili tuebor. Quod quarto loco opponitur, mera calumnia est, quæ, ubi se se exhibuerit occasio, exsufflabitur. Vindicata S. P. A. doctrina, duabus dissertationibus hunc librum complectimur, quarum prima erit de prædestinatione electorum ad vitam, altera de prædestinatione impiorum ad mortem.

DISSERTATIO I.

De prædestinatione electorum ad vitam.

De existentia, nomine, essentia, caussa, effectibus, de numero tandem, ac signis prædestinatorum distinctis capitibus, eo, qui sequitur, ordine disputabimus.

CA-

Romanis Pontificibus, a Conciliis, ab Ecclesia universa non solum fuisse intellecta, sed ab iis etiam probata, & summis laudibus celebrata, ut alibi dictum est. Non ergo Augustinus D. Thoma, magister nempe discipulo, indiguit, sed contra D. Thomas Augustino indiguit doctore maximo per se, & absque ullo etiam interprete clarissimo, ab eoque ne latum quidem unguem recessit: quo factum est, ut ipsa Angelici Doctoris volumina *Augustinus contractus* ab aliquibus dicerentur, ac veluti epitome librorum magni Augustini summo in pretio haberentur. Laudandus est D. Thomas, eo vel titulo, quod obsequentissimus fuerit, atque addictissimus Augustini discipulus. Sed hoc tanti magistri dispendio ab aliquibus fieri, laudandum omnino non est.

CAPUT I.

De existentia, nomine, essentia, ac definitione prædestinationis.

Unico capite plures complectimur quæstiones, tyronibus nostris non omnino inutiles, de existentia, nomine, ac partitione prædestinationis.

Propositio I, Datur reapse aliqua electorum prædestinatio ad gloriam.

Pr. I. ex Ap. Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit*: ergo &c. Pr. II. ratione. Prædestinare est rationalem creaturam ad æternam vitam præeligere: atqui Deus plures ad vitam æternam præelegit; de fide est enim multos reapse a Deo in cælum assumi: ergo &c.

Ob. I. Prædestinatio in nostra potestate non est, & merita tollit bonorum operum: ergo &c. R. dist. ant. Non est in nostra potestate, quoad caussam, conc.; quoad consecutionem, & terminum, neg. Etenim æternæ vitæ consecutio nonnisi per nostra bona opera potest obtineri.

Dices cum Damasceno lib. 2. de Fid. orth. 3. *Prædestinationem esse earum rerum, quas absolute vult: præscientiam vero illarum, quæ in nostra sunt potestate*: ergo &c. (1). R. neg. conf. Loquitur enim Damascenus de iis, ad quæ nostra sola potestas sufficit, ut sunt opera naturalia, & peccata; quæ vero a Deo prædeterminante operantur, & præsciri, & prædestinari, ex l. IV. notum est.

Ob. II. Si Deus aliquos prædestinaret, omnes forent electi. Ideo enim prædestinantur, ut in his ostendatur divina bonitas, ac liberalitas: sed hæc magis ostenditur, ubi ad omnes extenditur: ergo

(1) Eandem Damasceni sententiam adoptavit etiam Doctor Angelicus, ut eum constet ad opera naturalia & peccata, quæ *in nostra sunt potestate*, decretum *absolutum*, aut prædeterminans non admisisse.

go &c. R. neg. ant. Ad Prob. neg. min. Misericordia enim magis ostenditur comparate ad miseriam, in quam plurimi sponte ruunt. Spectat autem ad providentiam, ut manifestetur simul justitia in reprobis, & misericordia in electis.

PROPOSITIO II. Multiplex est prædestinatio, variisque vocabulis designatur.

Prob. Alia enim est prædestinatio ad bonum, alia ad malum pœnæ, non culpæ, ut supra dictum est, & constat ex can. 3. Concilii Valentini, ex Augustino (*a*), & Fulgentio (*b*). Rursus prædestinatio ad bonum alia est ad finem, alia ad media; illa creaturis gloriam largitur, hæc gratiam, & finalem perseverantiam. Prædestinatio ad gratiam, vel est ad gratiam sufficientem, vel ad versatilem, vel ad efficacem. Prædestinati ad gloriam vocantur *præfiniti, ac prædeterminati*. Dicuntur etiam *dilecti, & electi*, ut 1. Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos*: vocantur *cogniti*, *& præcogniti* 2. Tim. 2. Dicuntur etiam *probati, & præordinati in vitam æternam*, *& vocati secundum propositum*; item *vasa misericordiæ*, *& vasa in honorem* ab Apostolo. *Oves* (*c*), *filii Dei* (*d*), *benedicti a Patre* (*e*). Dicitur etiam prædestinatio *dilectio*, *electio*, *propositum*, *discretio*, *ac præparatio*. Quæ nomina, licet idem significent, tamen ratione nostra ordinem quemdam important. Prædestinatio enim scientiam, dilectio cognitionem præsupponit.

PROPOSITIO III. Prædestinatio ad gloriam definiri potest: *Præscientia, ac præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.*

Prob. Traditur enim hæc definitio ab Aug. l. de D. Pers. 14. Putant Moliniani, loqui Augustinum de præscientia conditionata: nos autem de absoluta, quæque ab efficaci decreto pendet, si loquamur de prædestinatione lapsorum, quam spectat ib.

(a) *Enchir. c.* 100. (b) *Ad Mon.* (c) *Joan.* 10. (d) *Jo.* 11. (e) *Matth.* 25.

ib. S. P. A.; supponit enim liberatio miseriam, miseria culpam: si loquamur de statu innocentiæ, erit prædestinatio præscientia, non tamen præparatio finalis perseverantiæ, quam Deus in arbitrii viribus reliquit (*a*).

Propositio IV. Prædestinatio pertinet ad mentem Dei simul, & voluntatem.

Not. Si prædestinatio accipiatur pro sola ordinatione creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, est actus intellectus, connotans actum voluntatis, ut docent Thomistæ: si vero accipiatur pro divino proposito, & decreto conferendi gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, ut eam definit S. P. A. (*b*), dicimus cum Bonaventura, Soto, Ariminensi &c. prædestinationem esse actum voluntatis, qui supponit actum intellectionis. Pr. I. pars. Ordinare unum ad aliud est opus intelligentiæ, sola enim ratio dirigit ex Aristotele: ergo prædestinatio, prout dicit ordinationem, ad munus spectat intelligentiæ. Quod vero connotet actum aliquem voluntatis, patet; ideo enim Deus aliquos dirigit in vitam æternam, quia illos amat, amare autem est velle alteri bonum: ergo prædestinatio præsupponit, & connotat actum amoris, ac beneplaciti. Pr. II. pars. Propositum enim, decretum, dilectio &c. ad voluntatem spectant. Augustinus autem, Hilarius, ac Prosper illam appellant *divinæ voluntatis propositum*: hæc porro voluntas actum intelligentiæ præsupponit sibi proponentem, quod beneplacito suo eligat, & prosequatur.

Ob. I. Prædestinatio definitur ab Augustino præscientia, & præparatio mediorum: atqui præscientia est actus intellectus: ergo & prædestinatio. R. neg. cons. Sicut enim præscientia ad intellectum, sic præparatio ac propositum spectat ad voluntatem. Hinc S. P. utrumque exigit, intellectum dirigentem, & voluntatem determinantem.

Ob.

(a) *Vide lib. 4.* (b) *De Præd. Sanct.* 10.

Ob. II. Dirigere eſt actus liber & efficax: atqui libertas, & efficacia ſpectat ad voluntatem: ergo &c. R. directionem ſpectare ad voluntatem, prout importat propoſitum, & decretum; ad intellectum vero, prout directionem præſefert.

Ob. III. Prædeſtinatio eſt pars providentiæ: ſed hæc ex Boethio ſpectat ad ſolum intellectum: ergo &c. R. neg. min. Non enim intellectus ordinat unum ad aliud, niſi voluntas velit unum propter aliud. Boethius vero ait, providentiam eſſe ipſam divinam rationem, quæ multa diſponit. Solæ enim cauſſæ ratione utentes ſibi finem proponunt, aliæ in finem ſibi proprium a Deo diſponuntur.

[illegible] II.

De Ambroſii [illegible]rini ſententia circa prædeſtinationis vocabulum.

NOT. Cenſuit Catharinus, non omnes, qui ſalvantur, eſſe prædeſtinatos, ſed duos ſalvandorum ordines ſtatuit: hinc Deiparam, Apoſtolos, alioſque virtute inſigniores poſuit; inde alios minoris meriti, qui tamen ſalvi fiunt. Illos prædeſtinatos eſſe, & uberiori gratia donari ait, hos autem ordinaria virtute exornatos negat prædeſtinari, ſed communibus auxiliis ſuffultos, docet & ipſos ad beatitudinem pervenire: adeoque in prædeſtinationis vocabulo, non prioritatem temporis particula *præ* ſignificari, ſed dignitatis, ideſt majorem cumulum meritorum. Quam ſententiam Eſtius *novum commentum* appellat, Bannez vero hæreſim manifeſtam. Accedit enim Pelagianis, qui prædeſtinationem in ſolis Apoſtolis agnoſcebant. Sit itaque

PROPOSITIO I. In prædeſtinationis vocabulo præpoſitio *præ*, non dignitatis, ſed temporis prioritatem ſignificat.

Prob. Nam 1. Cor. 2. habetur, *Prædeſtinavit Deus ante ſæcula.* Epheſ. 1. *Elegit nos ante mundi conſti-*

conſtitutionem. Matth. 25. legitur, *A conſtitutione mundi, ideſt ante mundum, ante omnia tempora,* ut exponit S. P. A. tr. 105. in Jo. Pr. etiam ratione. Prædeſtinatio enim eſt propoſitum divinæ voluntatis: ſed hæc eſt æterna: ergo &c.

Opp. Rom. 8. legitur: *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit .... juſtificavit ... glorificavit &c.*: ſed vocatio, juſtificatio &c. ſunt in tempore: ergo etiam prædeſtinatio. R. neg. conſ. Prædeſtinatio enim, præſcientia, &c. ſunt actiones immanentes, & dicuntur relate ad intellectum, & voluntatem divinam; at vocatio, juſtificatio &c. ſunt actiones tranſeuntes, & dicuntur relate ad effectum productum in tempore.

Prop. II. Soli prædeſtinati ſalutem æternam conſequuntur.

Prob. I. Scripturis. Ex Matth. 22. colligitur, eos, qui non ſunt electi, mittendos eſſe *in tenebras exteriores.* Ex c. 24. inter electos, & reprobos non dari medium. Ex 25. regnum cælorum eſſe paratum electis *a conſtitutione mundi*: ergo ſoli electi ſalvantur. Prob. II. ex Patribus. Aug. l. 4. contra Jul. 4. ait, ex duobus parvulis unum, non alium baptizari, eo quod unus, non alter ſit prædeſtinatus. L. de Corr. & Gr. 1. ait: *Neque hos moveat, quod filiis ſuis non det perſeverantiam. Abſit enim, ut ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent, qui vere ſunt filii promiſſionis*; nullus ergo per Auguſtinum ſalvabitur, qui non ſit de hoc numero. Idem docet Fulgentius (*a*), & Tridentinum (*b*). Prob. III. ratione. Non prædeſtinati, per Catharinum ſalvandi, aut viribus arbitrii ſalvantur, aut viribus gratiæ. Si primum, eſt hæreſis Pelagiana; ſi ſecundum, prædeſtinationem admittit; gratia enim non confertur, niſi ratione gloriæ, quatenus prædeſtinatio importat ſeriem auxiliorum, quibus prædeſtinati ſalutem conſequuntur, ſive ſint efficacia, ſive ſufficientia: ergo &c.

(a) *De Fid. ad Petr. c.* 35. (b) *Seſſ.* 6. *c.* 12.

Ob. I. Matt. 20. *Erunt novissimi primi* &c.: ergo salvandorum duplex est ordo: unus eorum, qui vocati sunt, & non electi; alter eorum, qui & vocati sunt, & electi.

R. I. cum Estio neg. conf. *Primi* enim & *novissimi* dicuntur respectu Dei, & hominum, ita ut *multi, qui judicio hominum sunt primi*, ut divites, nobiles &c., *erunt Deo novissimi*; pauperes autem, & qui persecutionem patiuntur, *qui videntur novissimi, primi erunt judicio Dei*. R. II. neg. conf. Significat enim ibi Matthæus in regno cælorum, idest Ecclesia, Judæos, ad eam prius invitatos, nondum venisse ad Christi fidem, ad quam Gentiles venere, qui post illos apostolica prædicatione vocati sunt.

Ob. II. Matth. 25. multi sunt prædestinati a mundi constitutione; non sunt ergo prædestinati ab æterno. R. neg. conf. Quod enim ibi dicitur, *a constitutione*, Ephes. I. dicitur, *ante mundi constitutionem*, & 1. Tim., *ante tempora sæcularia*, quæ phrases diversæ eandem æternitatem significant.

Ob. III. Vocati in vineam hora undecima receperunt mercedem, nec erant electi: ergo etiam non prædestinati salvantur. R. neg. conf. Designantur enim ibidem gentes ad Christum conversæ, quæ eandem receperunt mercedem cum Judæis, qui pondus Mosaicæ legis portarunt (*a*). Ubi nota, non errasse Catharinum, eo quod aliquos eximiæ sanctitatis viros efficacissime electos dixerit; id enim de Paulo asserit S. P. A. (*b*); sed quia erga salvandos inferioris ordinis nullam electionem, aut propositum agnovit.

CA-

(a) *Vide apud Auctorem expos. hujus parab.* c. 9. l. 3.

(b) *De Gr. & arb.* 5.

CAPUT III.

De caussis prædestinationis.

NOT. I. Non quærimus de caussa efficiente; constat enim, prædestinationis nullam esse caussam efficientem, nisi Deum, a quo beneficia præparantur electis: loquimur ergo de caussa meritoria: an scilicet in creaturis aliqua merita præviderit Deus, quæ eum moverint ad eas prædestinandas?

Not. II. Origenes (*a*) docuit, animas, priusquam corpori unirentur, propriam sortem bonam, aut malam ex naturalibus meritis sibi comparasse, & ex iis quamlibet præelectionem habuisse. Pelagius vero, qui a Rufino Origenista venenum hausit, alios ad gloriam, alios ad supplicium prædestinari docuit, quia Deus prævidit illos pie, sancteque victuros arbitrii viribus, istos in scelera prolapsuros. Semipelagiani admittebant Dei gratiam ad boni operis complementum, sed putabant præcedere ex nobis initium fidei, & primum sanctæ cogitationis exordium. Molinæ discipuli ajunt, prædestinationem ad primam gratiam esse aliquando ex prævisione operum, quæ sunt moraliter bona, itaut ex viribus naturæ *facienti quod in se est*, Deus primam gratiam non deneget: non quod hæc opera *de condigno*, sive ex rigoroso debito Deum ad largiendam gratiam obstringant, sed quia *de congruo*, & condecentia quadam Dei liberalitatem alliciunt.

Propositio I. Fictitia est animarum præexistentia, & meritum comparatum ante earum unionem ad corpus.

Prob. I. ex historia Genes. ubi legitur, Deum antea formasse corpus Adæ de limo terræ, & postea inspirasse *spiraculum vitæ*, & tunc factum esse in animam viventem: ergo antea non erat anima vivens. II. Ap. Rom. 5. ait: *Per unum hominem pec-*

(a) *Ex Nor. hist. Pel. l. 1.*

catum intravit in mundum: ergo ante corpus Adæ non erat peccatum. III. c. 9. ait Ap. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali:* ergo ante corpus nil boni fuit, aut mali. IV. 2. Cor. 5. ait Apostolus, homines judicandos *secundum ea, quæ gesserunt in corpore*, non in anima: ergo &c. V. Can. 1. Synodi V. Origenis sententia proscripta est his verbis: *Si quis dicit præexistere hominum animas, demissasque in corpora supplicii caussa, anathema sit:* ergo &c.

Propositio II. Non prædestinantur electi ex prævisis meritis sola facultate arbitrii comparatis.

Prob. I. ex Ap. Rom. 2. *Si autem gratia, jam non ex operibus* &c. II. S. P. A. Ep. ad Vit. *Scimus gratiam, nec parvulis nec majoribus secundum merita nostra dari.* Prob. III. ratione. Gratia est supernaturale beneficium: ergo nequit naturali opere comparari.

Propositio III. Neque prædestinabuntur electi ob præscientiam fidei, aut bonæ voluntatis ex libero arbitrio.

Prob. I. ex Ap. 2. Cor. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Prob. II. ex S. P. A. de præd. Sanctorum 2. *Attendant hic qui putant, ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo fidei supplementum: quis non videt prius esse cogitare, quam credere?* Prob. III. ratione. Gratia est donum gratis collatum: ergo non retribuitur fidei, aut operi naturali.

Propositio IV. Libera acceptatio, & bonus arbitrii usus non sunt caussa prædestinationis.

Sequitur ex dictis, & prob. I.; quia plures prædestinantur infantes, qui neque gratiam accepturi sunt, neque eadem usuri: ergo &c. II. Quod arbitrium Deo vocanti respondeat, & bene utatur acceptis donis, per Augustinum est gratiæ donum: ergo fictitia est præscientia boni usus arbitrii.

Pro-

Propositio V. Opera moralium virtutum neque *de congruo* sunt prædestinationis caussa (1).

Prob. I. Scripturis. Eph. 2. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est*; sed si opera moralia virtutum, saltem *de congruo*, essent caussa prædestinationis, salus nostra ab operibus naturæ initium duceret: ergo &c. Hinc Trid. Syn. sess. 7. ait: *Homines per fidem justificari, quia fides est humanæ salutis initium*: ergo excludit quæcumque merita etiam *de congruo*; ait enim absolute, *nullis eorum meritis præcedentibus vocantur*. Deinde fides, initium salutis per Tridentinum, justificationem meretur *de congruo*, non *de condigno*: atqui per Augustinum (*a*) morales virtutes non habent meritum fidei: ergo &c. Prob. II. ex Augustino l. 1. de pecc. merit. *Unde fit, ut homo ab ineunte pueritia temperantior in eo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christi non possit, alius autem flagitiis coopertus ita gubernetur, ut audiat, credat, rapiatur?* ergo &c.

R. aliqui, opera moralium virtutum non ex vi sua, sed ex *pacto*, quod Pater iniit cum Christo, quo facienti, quod in se est, gratiam, & gloriam spopondit, id promereri. Verum *pactum* hujusmodi ut *temerarium*, & *erroneum*, nec non scriptu-

 ris,

(1) Non desunt theologi præclarissimi, qui ex inconcussis Augustini, ac S. Thomæ principiis perspicue demonstrant, opera naturalia, ne simplex quidem motivum, nec remotam esse prædestinationis caussam, jactitatæ proinde legis, atque initi cum Christo pacti de danda gratia *facienti quod in se est* naturæ viribus, nullibi, nisi forte in Fausti, & Cassiani operibus deprehendi vestigium. Merito ergo pactum illud in celeberrima Congregatione de Auxiliis veluti futile, & commentitium fuit declaratum.

(a) *In Ep. ad Xistum.*

ris, Patribus, & traditioni oppositum proscripsit Clerus Gallicanus, an. 1700.: ergo &c.

Ob. I. Matth. 25. dicitur, *Venite benedicti; esurivi enim, & dedistis mihi manducare* &c.: ergo eleemosyna, aliaque opera moralia sunt caussa salutis. Prob. cons. Eleemosyna illa non est a fide; dicitur enim ibidem, *Domine, quando te vidimus esurientem?* ergo &c.

R. neg. cons. Eleemosyna enim, aliaque opera meritoria, sine fide, & caritate non fiunt; alias veram rationem meriti non haberent. Justi ergo mercedem referent eleemosynæ, quam ob Christi amorem pauperibus erogaverint. Ad prob. negant. Ideo enim dicent, *quando te vidimus*, &c., quia Christum non viderunt in carne pauperem, & mendicum: Judex autem respondebit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Ob. II. Act. 10. Cornelius eleemosynis fidem promeruit. Luc. 19. Zachæus ob studium videndi Christum vocatus est; & c. 23. latro impium socium objurgans audivit: *Hodie mecum eris in Paradiso:* ergo &c.

R. neg. cons. Cornelius enim non sine aliqua fide, ait S. P. A. (a), eleemosynas erogavit. In Zachæo autem, & latrone *præcessit aliqua præparatio ex supernaturali fide*, ut ait S. Prosper adv. Coll. 13. Fuit ergo maximum gratiæ opus latronis fides, qui credidit in hominem crucifixum, plenum opprobriis &c.; sed hæc exempla nos movere non debent; iis enim etiam Semipelagiani abusi sunt.

Ob. III. Gen. 18., & Job 13. habetur, Deum invenire bonos, ideoque gratiam largiri. Zachar. 1. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Prov. 16. *Hominis est præparare animam:* ergo &c. R. neg. conf. Ait enim S. P. l. 2. contra 2. Ep. Pelag. *Deum invenire in bonis hominibus illud tantum, quod ipse facit.* Hortationibus autem scripturarum com-

(a) *L. de præd. Sanct. c. 7.*

commendatur arbitrium, non excluditur gratia, sicuti cum dicitur: *Converte nos, Deus*, aut, *præparatur voluntas a Domino*, arbitrium non excluditur.

Ob. IV. S. P. de don. Perf. 14. ait: *Habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem*: ergo &c. R. dist. ant. Ita ut qui sic sunt affecti, minorem præseferant obicem, & obdurationem, quæ a gratia vincatur, & facilius moveantur, conc.; ut sese disponant ad gratiam, neg.; hoc enim dicere Semipelagianum est, nec recte agunt per Augustinianos, qui habent hoc naturæ *munus, nisi sint a perditionis massa gratiæ prædestinatione discreti.*

Ob. V. Chrys. hom. 45. in Gen. ait, *Abraham se prius disposuisse, quam a Deo tam magna gratiæ acciperet beneficia*: ergo &c.

R. neg. cons. Ibi enim S. D. ob grassantem Manichæorum hæresim, qui liberum arbitrium negabant, in homilia ad populum arbitrium commendat. Quod constat ex hom. 12. ad Hebr., ubi ait: *In Dei potestate sunt omnia, sed non ita, ut nostrum lædatur arbitrium.*

Ob. VI. Martyrologium Romanum narrat, Basilidem mercedem recepisse, quod Potamienæ virginitatem curasset: ergo &c. R. neg. cons. Vel enim fides aliqua in Basilide præcessit, vel ejus merces fuit oratio a virgine pro eo facta.

Ob. VII. *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam* (a): ergo &c. R. dist. ant. *Facienti quod in se est* viribus gratiæ, Deus non denegat gratiam uberiorem, conc.; viribus naturæ, neg. Hoc enim sensu *Semipelagianismum instaurat mutatis vocibus* (b).

(a) *Ex. Scholarum axium.*
(b) *Censur. Cler. Gallic.* 4. *Sept. ann.* 1700.

CAPUT IV.

An prædestinatio ad gloriam prior sit, quam prædestinatio ad gratiam.

Cum in Deo sint omnia simul, sola ratione unum præcedit alterum: de sola itaque prioritate rationis, non temporis sermo est. Sit itaque

Propositio. Prædestinatio ad gloriam præcedit ratione prædestinationem ad gratiam.

Pr. I. Act. 13. legitur: *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*: ergo fides, & gratia subsequitur præordinationem, ideft prædestinationem, ut caussam effectus. II. Fulgentius I. ad Mon. 13. ait: *Quia tales prædestinando præparavit, ut regno digni essent, præparavit secundum propositum vocandos, ut obediant, justificandos, ut accepta gratia bene vivant*: ergo prædestinatio præcedit vocationem, justificationem, & gratiam. Pr. II. ex PP. Aug. de Præd. SS. 10. ait: *Gratia est prædestinationis effectus*: ergo &c. Pr. III. ratione. Finis est caussarum prima, cujus gratia media parantur: sed gloria est finis: ergo &c.

Ob. I. Res habent in Dei prædestinatione ordinem, quem habent in se: sed in re gratia præcedit gloriam: ergo &c. R. neg. maj. Nam in *executione* media finem præcedunt, in *intentione* autem contra. Ita ægrotus prius intendit sanitatem, cujus gratia suscipit medicinam.

Ob. II. Vocans operarios prius intendit vineæ culturam, postea denarii solutionem: ergo Deus, qui nos, quasi operarios, conduxit in vineam suam, prius intendit opera, postea mercedem, & gloriam.

R. neg. conf. Nam homines in operariis spectant propriam utilitatem: atqui Deus *bonorum nostrorum non eget*: ergo gloriam suam, & nostram spectat utilitatem. Ac primo quidem vult nostram beatitudinem, in qua maxime glorificatur: & quia

hæc

hæc sine gratia haberi nequit, ideo gratiam secundo loco intendit conferre.

CAPUT V.

An constet ex sacris literis, prædestinationem ad gloriam esse in hoc statu gratuitam.

NOT. I. Non loquimur de meritis naturalibus, sed per gratiam comparatis, nec de prædestinatione ad gratiam, quam non esse ex operibus de fide est: sed loquimur de gloria, cujus intuitu Deus gratiam, & perseverantiam largitur. Nec dubium est de Christi meritis, sed de meritis electorum; idque in hoc statu, in quo peccatum originale supponitur: nam de prædestinatione angelorum adversariis assentimur.

Not. II. Duas esse ea de re Scholarum opiniones. I. est Henrici, Okami, Vasquesii, qui ajunt, Deum velle omnes æqualiter salvos fieri, & singulis media conferre ad salutem; illosque ad gloriam eligere, quos prævidet in bono perseveraturos usque in finem. II. est D. Thomæ, Ægidii, Ariminensis, Estii, Bellarmini &c., qui docent, Deum e massa perditionis, ante prævisionem operum futurorum, alios prædestinare, alios relinquere: & illis, præter communia gratiarum dona, talia beneficia parare, quibus a perditione certissime liberantur. Hanc sententiam *per excessum* ab Augustino traditam Adamus effutiit. Ast Bellarminus (cui nuper accessit Edm. Simonet) l. 2. de Gr. Christi ait: *Hæc, non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ catholicæ dici debet:* eamque scripturarum interpretes nobilissimos, & Scholasticos ferme omnes tenere affirmat P. Rhodes S. J. Addit, oppositam ideo fuisse exceptam a plerisque, quoniam ignari citius illi acquiescunt.

Not. III. Duplex ordo distingui debet, *intentionis, & executionis.* Ille dicitur relate ad massam perditionis, ex qua non ex meritis, sed ex sola

Dei miseratione nonnulli prædestinantur. Ordo *executionis* dicitur relate ad opera meritoria, quibus ex vi divinæ promissionis gloria non tam beneficium est, quam retributio mercedis, adeoque *corona justitiæ*, *denarium*, *& justa retributio* dicitur in scripturis. Sit ergo

Propositio. Ex scripturis ostenditur, prædestinationem ad gloriam esse in hoc statu gratuitam.

Pr. I. ex Jo. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut fructus vester maneat.* II. Ephes. 1. *Elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti &c.* III. Coloss. 1. *Qui dignos nos facit in partem sortis sanctorum.* Ubi sortem appellat prædestinationem sanctorum, eo quod contingat præter hominum intentionem. IV. Ad Tit. 3. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* V. 1. Cor. 4. *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris &c.* VI. Ps. 17. *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* Ezech. 38. *Non propter vos ego faciam, sed propter nomen sanctum meum.* Denique (a) justi implorant salutem, gratiam, ac beatam æternitatem propter gloriam divini nominis: ergo &c.

R. Adversarii, ex iis locis evinci, electionem ad fidem, ad evangelium, ad gratiam; vel ea intelligi de prædestinatione ad gloriam complete, prout etiam auxiliorum dona complectitur. Sed plane decipiuntur; fructus enim, qui manet, est finalis perseverantia, & æterna beatitudo. Neque eligi dicuntur sancti ad sanctitatem, & gratiam, sed sancti fiunt, quia sunt electi, ut docet Hieronymus (b). Sors quoque sanctorum nequit esse sola fides, aut gratia, quia hanc reprobi complures participant: & Ep. ad Tit. ex Dei misericordia salus repetitur. Discernit quidem fides, & gratia inter incre-

(a) 1. *Reg.*, *Ps.* 22., *&* 78., *Jerem.* 14., *& alibi.*
(b) *In* 1. *Ephes.*

incredulos, & fideles, impios, & sanctos: sed hæc discretio temporalis est, non æterna; qui enim prædestinati non sunt, partem habebunt cum infidelibus. Lucas etiam 22. regnum cælorum complacita Dei benignitate promissum testatur, dicens: *Nolite timere, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et de ovibus suis ait Christus Jo. 10. *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam &c.*: atqui oves non sunt, nisi prædestinati ad gloriam: ergo &c.

Prob. VII. ex Rom. 9. 11. ubi, ut ostendat Apostolus, adoptionem filiorum Dei non ex carnali generatione pendere, sed unicam habere caussam in Dei beneplacito, affert exemplum Jacob, & Esau, dicens: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.* Ubi Apostolus ait, illos pares fuisse quoad parentes, quia *ex uno concubitu*, & quoad merita, quia ex solo Dei proposito. Et ne quis Deum ut injustum traduceret, addit: *Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus miserebor .... igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et exemplo figuli ita coercet hominum querimonias: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Denique odium Esau ex justitia fuisse, & amorem Jacob ex misericordia docet his verbis: *Sustinuit vasa iræ in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ex quibus sic arguitur. Apostolus in Jacob prædestinatos præfiguravit: atqui Jacob nullo meritorum intuitu electus est: ergo &c.

R. I. adversarii, Apostolum loqui de prædestinatione

tione ad gratiam, non ad gloriam: sed perperam. I. enim *vocati secundum propositum*, sunt ex Apostolo prædestinati etiam ad gloriam; ait enim, *Quos prædestinavit, hos & vocavit ... & glorificavit &c.*: ergo qui non glorificantur, non sunt de electorum numero, de quibus loquitur Apostolus: licet ergo loquatur de prædestinatione ad gratiam, non negat electionem ad gloriam, sed contra ex hac electione ostendit, conferri a Deo electis fidem, gratiam & finalem perseverantiam. R. II. alii, loqui Apostolum de prædestinatione ad gloriam ex prævisione meritorum, quæ per gratiam comparantur. Sed hoc est merum effugium. Apostolus enim c. 11. asserit, prædestinationis mysterium esse inscrutabile: sed si prædestinatio fiat ex prævisione meritorum per gratiam, quilibet etiam rudis intelligit, cur Jacob diligatur, Esau autem odio habeatur: ergo &c. Ita ratiocinatur S. P. A. Epist. 194. *Cum enim rem stupendam*, Apostolus, *proposuisset: quomodo de nondum natis dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit? ipse sibi objecta quæstione: Quid ergo dicemus, inquit, numquid iniquitas apud Deum? Absit. Hic ergo opus erat, ut diceret, quod isti sentiunt: futura enim Deus opera prævidebat, quando majorem minori serviturum esse dicebat.* Quæ responsio valet tam de præscientia operum naturalium, quam supernaturalium per gratiam. Jacob enim, & Esau, cum nondum nati fuissent, nec naturalia, nec supernaturalia opera perpetrarunt: ergo utrumque excludit Apostolus.

R. II. Becanus, hinc sequi etiam Esau absque præscientia meritorum fuisse reprobatum, quod est Calvini dogma. Sed fallitur. Reprobatio enim fit ob originale in parvulis, ob actuale in adultis baptizatis. Calvinus contra ait, Deum sine culpa homines perdere.

R. III. alii, Apostolum loqui de sorte populi Judæorum, & Gentilium, quorum typum gerebant Jacob, & Esau: adeoque designare prædestinatio-

nem Judæorum ad poſſeſſionem terræ Chanaan, Gentium ad hæreditatem in ſolitudine. Addunt, non recte argui a ſenſu literali ad myſticum. Sed dato etiam, Jacobum & Eſau fuiſſe typum, ut ſupra dictum eſt, Paulus certe non loquitur de electione ad bona temporalia, ſed de prædeſtinatione ad gloriam. Dolet enim vehementer, Iſraelitas, quorum erat adoptio filiorum, a caritate Chriſti, & ſanctorum ſorte excidiſſe. Ait tamen, non excidiſſe verbum Dei, quia veri Iſraelitæ ſunt filii Dei. Sicque a literali ſenſu ad myſticum tranſit Apoſtolus, quaſi dicat:, ſicut nullis prævíſis meritis Jacob prædeſtinatus fuit ad terram promiſſionis, ita ſine hac prævíſione ad gloriam præordinantur electi. Ceterum a ſenſu literali ad myſticum recte arguitur, ſi prior in veteri, alter in novo Teſtamento exprimatur.

Ob. I. Matth. 25. habetur: *Poſſidete paratum vobis regnum; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.*: ergo ex intuitu bonorum operum regnum paratum eſt. R. diſt. ant. Et τὸ *eſurivi* exprimit cauſſam poſſeſſionis regni, conc.; cauſſam præparationis, neg. *Eſurivi* enim refertur ad τὸ *poſſidete*, non ad τὸ *paratum*. Sicuti ubi infra de reprobis ſermo eſt, refertur ad τὸ *diſcedite*; non ad τὸ *paratus eſt diabolo &c.* Non enim diabolo paratus eſt ignis, eo quod fideles non fuerint miſericordes.

Inſtat Fraſſenius. Ex eo loco infertur, reprobos damnari ob demerita: ergo infertur etiam, electos ſalvari ob prævíſa merita. R. neg. conſ., & retorqueo argumentum. Non infertur inde, paratum eſſe ignem diabolo defectu eleemoſynæ: ergo nec infertur, paratum regnum electis ob eleemoſynam. R. II., non agi ib. de prædeſtinatione, ſed de judicio, adeoque ob demerita reprobos damnari, & propter merita electos regnum poſſidere.

Ob. II. Vita æterna dicitur in ſcripturis *merces*, *bravium*, *& corona juſtitiæ*: ergo ob merita repen-

penditur. R. dist. ant. Et hæ appellationes spectant ordinem executionis, conc.; intentionis, nego.

Dices. Nemo mercedem dat sine meritis: ergo nec Deus. R. dist. ant. Ita ut merita sint motivum voluntatis dandi mercedem, neg.; ita ut, qui dat mercedem ex meritis, præparet etiam ipsa merita, quibus merces comparatur, conc. Deus ergo vult dare gloriam, ut mercedem meritorum, sed merita non sunt motivum divinæ voluntatis, qua primo intendit alicui gloriam. Res exemplo illustratur. Si rex servum impense diligens, in lucem vix editum ad supremam dignitatem destinaverit, quæ strenuis confertur; media præbet, queis eam assequi valeat: disciplinis exornat, arma ministrat, rebusque feliciter gestis, ad paratum gradum assumit, quem rex confert quidem ex meritis, sed hæc non sunt caussa regii beneplaciti, sed dispensationis mercedis; rex enim prius dilectionem, quam præmium impendit. Idem de divina prædestinatione judicium esto. Deinde, per Suaresium, ex quo detur meritum respectu gloriæ, quæ est prædestinationis effectus, non sequitur, dari meritum respectu prædestinationis, quæ est caussa gloriæ. Sic prædicatio Ambrosii fuit caussa conversionis Augustini, & hæc effectus prædestinationis Augustini; sed prædicatio Ambrosii non est caussa prædestinationis Augustini, sed effectus, aut medium.

Ob. III. Rom. 8. legitur, *Quos præscivit, & prædestinavit*: ergo præscientia est caussa prædestinationis. R. dist. ant. Et nomine præscientiæ intelligitur actus cognitionis bonorum operum, neg.; dilectionis, conc.: sæpe enim præscientia in scripturis pro dilectione usurpatur, ut Rom. 11. *Non repulit plebem suam, quam præscivit*; 1. Tim. 2. *Cognovit Dominus qui sunt ejus*. Hoc etiam sensu usurpat ib. Apostolus. Non enim ait, *Præscivit bene victuros*, sed absolute, *præscivit, & prædestinavit*, ita ut unum sit alterius explicativum.

Ob.

Ob. IV. Apostolus 1. Tim. 2. ait: *Si quis emundaverit se, erit vas in honorem*: ergo a munditie pendet prædestinatio. R. dist. cons. Pendet in ordine *executionis*, conc.; in ordine *intentionis*, neg. Non enim emundatio, sed Dei propositum in caussa est per Apostolum, cur quis constituatur *vas honoris*.

Ob. V. Jo. 16. dicitur: *Pater amat vos, quia vos me amastis*: ergo amor creaturæ est divini amoris caussa. R. dist. ant. *Pater amat vos*, ideft majoribus cumulat beneficiis, *quia vos me amastis*, conc.; ideft Pater ab æterno amavit vos, quia vos me amaturi eratis in tempore, neg. Hæ ergo scripturarum phrases id unum significant, ut observant Beda (a), & Estius (b), quod gratia gratiam meretur.

Ob. VI. Ps. 18. *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*: ergo Deus non miseretur, nisi prius videat, qui operantur iniquitatem. R. dist. ant. Et loquitur Ps. de justitia infligente pœnas, conc.; de misericordia prædestinante, nego (c).

CAPUT VI.

De vera Augustini mente circa gratuitam sanctorum prædestinationem ad gloriam.

FATENTUR nonnulli, hanc sententiam esse revera Augustini, sed novam, & adeo asperam, ut plures ipsa commoti ad Pelagianos defecerint. Alii, quos forte puduit tanti doctoris auctoritatem abjicere, Augustinum ipsum nobis adversari contendunt. Ac illos quidem refutavit Norisius (d), istos vero quæ sequitur.

PROPOSITIO. S. P. Augustinus asseruit apertissime gratuitam prædestinationem ad gloriam.

Pr. I.

(a) *Hom. sup. Evang. Dom. ante Ascens.*
(b) *Dist.* 41. §. 7. *ad* 7. (c) *Vide Auctorem.*
(d) *c. ultim. Vind.*

Pr. I. Ex l. de Præd. Sanct. 18. ubi S. P., recitata Pelagii sententia, qui ait, prædestinari homines a Deo, quia illos sanctos fore prævidit, hæc habet: *Intueamur verba Apostoli, & videamus, utrum propterea nos elegerit, quia sancti, & immaculati futuri eramus, an ut essemus ... Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti: non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus*: ergo sola electio per Augustinum est caussa prædestinationis.

Dices cum Vasquesio, Augustinum loqui de prædestinatione ad gratiam, quam negabant Pelagiani: ergo &c.

R. neg. ant. Quadruplex enim gratiæ genus Pelagius agnovit, 1. liberum arbitrium, 2. remissionem peccatorum, 3. legem & doctrinam, 4. vitam æternam. De tribus primis nulla erat inter Augustinum, & Pelagium disputatio, eo quod electis æque, ac reprobis conferri possent; solam ergo gratuitam prædestinationem ad gloriam Pelagiani negabant, eamque fieri putabant ex prævisione meritorum: ergo S. P. A. de hac tantummodo disputat contra Pelagianos. Deinde Pelagius putabat, hominem posse sine gratia justificari, & tamen fatebatur prædestinari certos homines præ aliis: ergo de prædestinatione ad gloriam, non ad gratiam loquitur Pelagius, ac de ea redarguitur ab Augustino. Deinde S. P. cap. seq. inter gratis justificatos duo genera distinguit, unum eorum, qui non perseverant, nec coronantur; aliud eorum, qui recipiunt donum perseverantiæ; & ait, illos, qui secundum propositum vocati sunt, certissime gloriam consequi: *Quos enim prædestinavit, ipsos & vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum; non ergo alios, sed quos ita vocavit, glorificavit.* Ubi S. P. prædestinationem *secundum propositum* vocat, non præ-

prædestinationem ad gratiam, sed ad gloriam, qua vocati, & justificati glorificantur.

Pr. II. Ex Augustini sententia de prædestinatione *secundum propositum* Massilienses concitati dicebant: *Deum eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* En Moliniana prædestinatio ad gloriam ex prævisione meritorum in terminis. Contra ex Augustini sententia dicebant, *removeri omnem industriam, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub prædestinationis nomine fatalem induci necessitatem.* Sed Semipelagiani opponebant, id sequi ex prædestinatione secundum propositum, *Quo ante mundi initium dicitur facta discretio eligendorum, & rejiciendorum, ut alii vasa honoris, alii contumeliæ sint creati:* ergo &c.

Ajunt I. aliqui, Semipelagianos Augustino exprobrasse prædestinationem ad gratiam, & ad fidei initium, non ad gloriam: ergo &c. R. neg. ant. Nam ex Prospero constat, eam prædestinationem in Augustino eos reprehendisse, qua ante prævisa merita facta est discretio, unde alii vasa honoris, alii contumeliæ sunt creati: sed tales per Augustinum non sunt, nisi qui prædestinantur ad gloriam: ergo solam prædestinationem ad gloriam reprehendebant in Augustino Massilienses.

R. II. alii, improbari a Massiliensibus in Augustino prædestinationem ad gloriam ex prævisione meritorum; negabant enim, ait S. Prosper, electorum numerum nec augeri posse, nec minui. Sed contra. Id enim in Augustino Semipelagiani improbabant, ex quo liberum arbitrium auferri putabant, & fatalem induci necessitatem: sed hoc sequi putabant ex gratuita prædestinatione ad gloriam: ergo &c. Secundo Semipelagiani admittebant prædestinationem ex meritis: ergo illam non improbassent in Augustino. Vide Auctorem.

Pr. III. Ex l. de Corr. & gr. 7., ubi docet S. P.:

Ab illa perditionis massa, quæ facta est per Adam, neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet, quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit: ergo per Augustinum prædestinatio ad gloriam, qua quis e massa perditionis eruitur, est gratuita. Ne vero putes, loqui Augustinum de prædestinatione ad gratiam, ostendam per Augustinum nullo modo discretos dici, & prædestinatos, nisi qui reapse salvantur; ait enim ibi S. P., eos, *Qui audito evangelio, in melius commutati, perseverantiam non acceperunt, non esse ab illa conspersione discretos, quam constat esse damnatam.* Unde sic arguitur. Qui in melius commutantur, sunt prædestinati ad gratiam: atqui illos ait S. P. non esse prædestinatos, nisi iis detur perseverantia: ergo S. P. A. loquitur de sola prædestinatione gratuita ad gloriam. Hoc argumentum, Petavio judice (a), dirimendæ *controversiæ sufficere potest, si quis æquus veritatis arbiter esse velit* (1). Clariora tamen sunt, quæ subdit in fine laud. cap. *Qui vero*, ait, *perseveraturi non sunt, nec illo tempore, quo bene vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, & per hoc non electi.* Et c. 9. & c. 13. ait, non pertinere ad numerum prædestinatorum, qui, aut jacent sub peccato, aut in accepta gratia non perseverant. Non sunt ergo prædestinati, per Augustinum, nisi qui prædestinan-

(1) Merito ergo ait cl. Auctor in schol. c. 6. l. 6., illud *cum Augustinensium, tum Thomistarum princeps esse firmissimumque fulcimentum, ideoque nec leviter, aut perfunctorie tractandum:* de eo autem, non secus ac de IV. argumento hujus capitis, quo mire olim, Hilario teste, Semipelagiani urgebantur, plura scitu digna adnotavit loc. cit., quem adire non pigeat.

(a) *L.* 9. *c.* 6. *n.* 10.

nantur ad gloriam. Qui enim Deo vivunt, ſed non perſeverant, electi non dicuntur, niſi a neſciis futurorum: ergo &c.

Prob. IV. Ex l. de don. perſ. 9. ubi ait: *Ex duobus parvulis originali peccato obſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur, & ex duobus impiis, cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus piis, cur illi donetur perſeverantia, illi non donetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei.* Conſtat autem, ib. S. P. Auguſtinum eodem modo loqui de prædeſtinatione parvulorum, qui aſſumuntur in gloriam, & adultorum, quibus donatur perſeverantia: ergo Auguſtinus loquitur de electione ad gloriam, non ad gratiam. Excludit quoque præſcientiam meritorum, etiam per gratiam factorum; nam ad inſcrutabilia Dei judicia cum Apoſtolo recurrit. Hinc Pelagiani, qui eo argumento maxime urgebantur, dicebant, illos eligi, hos rejici, ex præſcientia operum, quæ facturi erant, ſi ad uſum rationis perveniſſent.

Sed hanc reſponſionem pluribus rejicit S. P. I. Quia (a) Dei miſericordiæ tribuitur, quod pueros rapiat, antequam malitia pervertat intellectum eorum. II. Quia ex Apoſtolo (b) ante tribunal Chriſti quiſque refert, quæ geſſit, non quæ geſturus eſſet in *corpore*, ſi diutius vixiſſet: ergo Pelagiana reſponſio ita *abhorret a ſenſibus chriſtianis, ut refellere pudeat*, ait S. P. de D. Perſ. 9. Deinde Pelagiani ajebant, parvulos prædeſtinari, aut reprobari ob parentum merita, ſed oppoſitum experientia docet. Nam ex bonis parentibus improbi filii, ex improbis boni gignuntur; ut ex Davide Abſalon, Henoch ex Cain. Tandem ajebant Hæretici, Deum velle quidem parvulorum ſalutem, verum a cauſſis ſecundis impediri, ne ad gratiam Baptiſmi perveniant. Sed hanc reſponſionem rejicit S. P. de Don.

 Perſ.

(a) *Sapient.* 4. (b) 2. *Corinth.*

Perſ. c. 12. *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus ſubvenire, illis non ſubvenire, cum nec paſſer, Deo nolente, cadat in terram.*

Dices. Prædeſtinatio parvulorum eſt gratuita etiam in ordine *executionis* : ergo non eſt norma prædeſtinationis adultorum. R. diſt. conſ. Non eſt norma quoad electionem, & finem, neg.; quoad media, & executionem, conc. In *intentione* ergo utrique per Auguſtinum prædeſtinantur ſecundum propoſitum, iiſque præparantur beneficia liberationis, quæ reprobis denegantur. In hoc eadem eſt parvulorum, & adultorum cauſſa, at media non ſunt eadem; illi enim rapiuntur incapaces merendi, iſti aſſumuntur poſt merita.

Prob. V. ex c. 11. de Corr. & Gr. ubi inter prædeſtinationem hominum, & angelorum hoc ſtatuit diſcrimen, quod iſtis plenitudo beatitudinis fuit *merces meriti, illis vero gratiæ beneficium.* Deus enim contulit creaturæ innocenti adjutorium, quo permaneret, ſi vellet, ſed perſeverantiam in ejus arbitrio reliquit: nunc autem infirmitati voluntatis humanæ ita ſubventum eſt, ut per gratiam Salvatoris nedum detur iis poſſe, ſed etiam actu perſeverare. Sicut ergo prædeſtinatio angelorum fuit conditionata, & ex præſcientia meritorum, ita lapſorum prædeſtinatio eſt abſoluta, & merita antecedit, quia his donatur etiam actualis perſeverantia : ergo S. P. qui in hoc ſtatu efficacem gratiam admittit, etiam abſolutam electionem agnovit (a).

Prob. VI. ex c. 15. de Præd. SS., ubi ait, prædeſtinationem Chriſti noſtræ eſſe exemplar : ſed prædeſtinatio Chriſti ad unionem hypoſtaticam, ad gratiam, & gloriam eſt gratuita: ergo &c. *Eſt etiam*, ait S. P. *præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ Salvator, qui, ut talis eſſet, quibus*

(a) *Vide c.* 2. & 11. *l.* 4.

bus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? quid egit ante? quid credidit?

R. Adversarii, loqui Augustinum de prædestinatione ad gratiam. Christus enim est exemplum prædestinationis, & gratiæ, non gloriæ. Verum hæc est inanis elusio. Nam S. P. ex prædestinatione Christi infert, prædestinatos gratis eligi ad fidem, & perseverantiam, ita ut hæc duo sint prædestinationis ad gloriam effectus, non caussa: *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet Dei gratia per Jesum Christum.* Asserit ergo S. P., Christum esse prædestinationis & gratiæ exemplum, quia sicut ipse nullis præcedentibus meritis fuit prædestinatus, ut esset caput nostrum &c., ita, qui prædestinati sunt, ut sit membra Christi, quæ non pereant, certa vocatione trahuntur, credunt, perseverant: propugnat ergo S. P. gratuitam prædestinationem ad fidem & gratiam: sed simul ostendit, fidem & gratiam esse gratuitæ prædestinationis ad gloriam effectus, sicut nativitas & gratia Christi effectus fuit prædestinationis ejus.

R. II. Becanus: de Christo ad homines non valet illatio; illa enim sine merito, nos per meritum gloriam comparamus. Verum, si de ordine *executionis* accipi nequit allatum Augustini exemplum: ergo de ordine *intentionis* debet accipi, ut ad gloriam prædestinentur electi exemplo Christi absque ulla meritorum prævisione. Deinde, si *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam,* in qua constitutus est caput prædestinatorum, quid mirum, si ejus membra, fideles nempe, gratis ad gloriam prædestinati, eam comparare teneantur per carnis macerationem, & exercitamenta virtutum? *Nam si compatimur, & conglorificabimur.*

Ob. I. S. P. A. l. 1. ad Simpl. q. 2. ad locum Rom. 9. ait: *Non secundum electionem propositum*

Dei manet, sed ex proposito electio: ideſt, non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propoſitum juſtificationis ipſius; ſed quia illud manet, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regna cælorum: conſtat ergo, electionem a bonis operibus, non a Dei beneplacito petendam eſſe.

R. I. cum Bellarmino, Auguſtinum, dum hæc ſcribit, *Nondum diligentius quæſiviſſe, quænam ſit electio gratiæ, de qua ait Apoſtolus: Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt*, ut ipſe profitetur l. 1. Retr. 23.

R. II. diſtingui ab Auguſtino eo loci duplicem electionem, ut contra Vaſqueſium oſtendit Petavius. Alia eſt electio antecedens, & gratiæ, alia conſequens, & juſtitiæ. De illa ait l. 5. contra Jul. *Nullum elegit dignum, ſed eligendo effecit dignum.* De hac l. de Præd. SS. 7. *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi.* Illa præcedit meritum, iſta conſequitur. Una eſt cauſſa, cur præparentur electis gratiæ, altera eſt earundem effectus. Per illam diſcernuntur electi ab æterno, per iſtam in tempore. Itaque l. 1. ad Simpl. q. 2. loquitur S. P. de electione conſequenti, non de antecedenti; ait enim; *Electio non præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio.* Electio ergo, de qua ibi Auguſtinus, eſt temporalis aſſumptio ad gloriam, quæ juſtificationem ſubſequitur. Deinde ait: *Nemo enim eligitur, niſi diſtans ab illo, qui rejicitur:* ſed in electione æterna nullus ab alio diſtabat; omnes enim eramus in eadem maſſa perditionis: ergo &c. Tertio, dixerat ſupra, electionem non eſſe ex præſcientia; dum ergo ait, electionem eſſe ex præſcientia, de diverſo electionis genere loquitur. Ideo autem Auguſtinus uſurpat electionis nomen ad oſtendendum prædeſtinationis effectum, quia nondum diligentius diſtinxerat inter electionem gratiæ, & juſtitiæ, ut ait l. 1. Retr. 23. qua diſtinctione omnia oppoſita argumenta exſufflantur.

Ob.

Ob. II. S. P. l. de Præd. Sanctorum 19. ait, prædestinationem, de qua agit, spectare ad fidem, & contra illam *neminem, nisi errando, disputare potuisse*: sed gratuita prædestinatio ad gloriam non spectat fidem: ergo &c.

R. I. aliqui neg. min. Nam Patres Sardicenses ad fidem spectare testantur. Aquaviva (*a*) ait, eam recipi in Scholis communiter, & ab Ecclesiæ Patribus, nec sine periculo ab ea recedere recentiores censet Baronius (*b*). R. II., spectare ad fidem *illative*, quatenus ex veritate irrefragabili, quod finalis perseverantia sit speciale donum gratiæ, ipsa prædestinatio gratuita ad regnum necessaria illatione consequitur. Nos vero dicimus, spectare ad fidem gratuitam prædestinationem ad gratiam; de hac etiam pertractare Augustinum, sed eam invicte comprobare ex divino proposito dandi gloriam, ex quo gratiæ omnes præparantur electis; vel quia Augustini ævo soli Semipelegiani hanc doctrinam impugnabant (1).

(1) Prædestinationem ad gloriam, una cum prædestinatione ad initium fidei, & ad finalem perseverantiam conjunctam, spectare ad fidem, satis liquet ex Hormisdæ Papæ rescripto, ubi dicitur: *In variis Augustini libris, & maxime ad Prosperum & Hilarium, abunde cognosci, quid catholica sequatur Ecclesia.* Porro in libris illis non solum agitur de gratiæ necessitate ad initium fidei, aut ad finalem perseverantiam, sed etiam de gratuita prædestinatione, quæ nonnullos offenderat: recte ergo concludit Ven. Bellarminus, *Apostolicam sedem pro defensoribus gratiæ, & prædestinationis non semel tulisse sententiam, ut jam hæc sententia, non quorumvis doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ catholicæ dici debeat.*

(a) *In delectu quæstionum.* (b) *Ad ann.* 490.

CAPUT VII.

De aliorum Patrum sententia circa gratuitam prædestinationem ad gloriam.

Ut aliorum Patrum mens facilius intelligatur, in plures propositiones hæc quæstio resolvitur. Sit itaque

Propositio I. De Patribus, qui scripsere ante exortam Pelagianam hæresim, non multum debemus esse solliciti.

Prob. I. ex testimonio Augustini: *Quid opus est,* ait l. de Præd. Sanctorum 14. *ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili quæstione versari, quod facerent, si respondere talibus cogerentur?*

Prob. II. ex ejus exemplo, qui ante exortam Pelagianam hæresim non ita exquisite scripsit, ut supra dictum est. III. Patres alii obiter de hoc argumento scripsere, vel in concionibus ad populum, in quibus ad virtutes, & ad fugam peccati hortabantur fideles, ut scribit cit. loc. S. P. A.: ergo &c.

Propositio II. Ex Græcis Patribus Origenis auctoritas rejicienda est (1).

Prob. Origenes enim Pelagii doctrinam aperte docuit in libris Periarchon. Hinc Hieronymus Ep. ad

(1 Idem judicium ferendum est de Theodoreti, Theophylacti, & Oecumenii doctrina, quos constat Origenem secutos esse, & oppositam Augustino tradidisse sententiam, non diffitetur Vasquesius. Chrysostomum vero, quem Semipelagianis prælusisse scribit Molina, alibi vindicabimus. Si quæ tamen opponantur obscuriora ejus loca, ea juxta regulas secundo, aut tertio loco nuper traditas exponi debent, vel ex scopo sancti doctoris, qui erat plebem hortari ad opera salutaria, non vero de altissimo prædestinationis mysterio verba facere.

ad Cref., *Doctrina tua*, inquit, *Origenis ramusculus est*. Adde, Origenis opera a Rufino fuiſſe interpolata, qui fuit Pelagianorum Coryphæus: ergo &c.

Propositio III. Si quidam ex veteribus Patribus de prædeſtinatione Sanctorum ambigue loquuntur, poſſunt commode exponi.

Prob. I. Præſcientia enim operum, quam illi admittunt, accipi poteſt pro ipſa divina prædeſtinatione, ut docet S. P. l. 2. de præd. Sanctorum 19. *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus, Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere?* Uſurparunt autem præſcientiæ nomen, ne viderentur libertatem evertere cum Manichæis, quorum hæreſis tunc graſſabatur. II. Exponi poſſunt de ordine *executionis*, ut illud Matth. 25. Vide c. 5. lib. 6. in R. ad 1. III. de electione, qua Deus intendit gloriam conferre tanquam mercedem meritis comparandis per gratiam, præparatam electis ex vi antecedentis decreti. IV. Merita, & gratiæ uſus in ſenſu veterum Patrum habent rationem cauſſæ finalis, non efficientis, & meritoriæ, quia nempe gratia confertur, ut ea bene utamur, ut ait Apoſtolus: *Elegit nos ante mundi conſtitutionem* &c. Ita S. Th. q. 23. a. 5.

Propositio IV. Patres, qui floruerunt poſt Auguſtinum, gratuitam prædeſtinationem tradidere.

Prob. I. S. Proſper ad obj. Vinc. c. 2. *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate prædeſtinavit ad gloriam.* II. Fulgentius 1. ad Mon. 13. *Voluit prædeſtinare quoſdam ad gloriam.* III. Gregorius Magnus 1. dial. 8. *Prædeſtinatio ita eſt a Deo diſpoſita, quatenus electi poſtulando mereantur accipere, quod Deus ante ſæcula diſpoſuit dare.* Idem docent Bernardus (a), S. Thomas (b), Pri-

(a) *Serm.* 78. *n.* 2. (b) *Q.* 23. *ad* 3.

Primasius (a), aliique (b): ergo Patres qui post hæresim Pelagianam floruere, gratuitam prædestinationem tradidere. Vetustiores autem, vel parem non habent in hac controversia auctoritatem, vel possunt commode exponi.

Ob. I. Irenæus l. 4. adv. Hær. 38. ait: *Ex futurorum præscientia dictum fuit, Jacob dilexi* &c. Hieronymus in 1. Malach. scribit, *Dilectionem, & odium Dei ex præscientia operum proficisci.* Chrysostomus hom. 15. in ep. ad Rom. 8. ait; *Qua ergo de caussa hic amori, ille odio habendus erat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat:* ergo prædestinatio ad gloriam est ex præscientia meritorum.

R. dist. conf. Ita ut merita sint caussa divini propositi, neg.; ut sint effectus, conc. (c). Irenæus ergo ait: *Ex præscientia dictum fuit: Jacob dilexi:* quia sciebat Deus, quid ipse facturus erat in Jacob per auxilium gratiæ suæ. Hieronymus etiam ait: Deum *illum diligere, qui odit vitia, sed, ut vitium odio habeat, efficit Deus potentissimis auxiliis.* Chrysostomus loquitur de prædestinatione ad gloriam, prout est merces, quo sensu prævisionem meritorum importat, sed ait hæc merita præparari a Domino (d).

Ob. II. Damascenus in ep. ad Rom. 9. ait: *Non ipse, Deus, honorabilia, aut ignominiosa struit vasa, sed propria electio;* & l. 2. de Fid. *Secundum præscientiam suam præjudicavit omnia:* ergo &c.

R. ad I. dist. ant. Et S. D. ibi agit de æterna prædestinatione, neg.; de præsenti merito bonorum operum, per quæ quis se reddit vas honorabile electione voluntatis suæ, quæ præparatur a Domi-

---

(a) *In Ep. ad Rom. c. 5.* (b) *Ap. Bellarm. l. 2. de Gr. & Arb. c. 11., Petav. l. 9. 16., Thomassin. l. 8. c. 8.*

(c) *Vide R. ad 1. c. 4.*

(d) *L. 1. de Provid. & hom. 12. ad Corinth. c. 8.*

Domino, conc. Ad secundum dist. ant. Et S. Doctor loquitur de ordine *executionis*, conc.; *intentionis*, neg.: ait enim, *Deum prædestinare aliis præmium secundum bonitatem suam, aliis supplicium secundum justitiam* (a).

Ob. III. Hilarius in Ps. 64. ait: *Non res indiscreti judicii electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est:* ergo &c. R. neg. cons. Hilarius enim electionis nomine non accipit æternum Dei propositum, sed temporalem assumptionem hominis ad uberiorem gratiam, aut gloriam (b).

Ob. IV. S. Prosper ad ob. 12. Vinc. ait: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati, essent autem, si essent reversuri:* ergo &c. R. dist. ant. Et loquitur Prosper de prædestinatione, prout est electio, neg.; prout est ejus manifestatio, conc. Quo sensu exponitur illud proloquium: *Si non es prædestinatus, fac, ut prædestineris*, idest, si malefactis te reprobum præbes, fac, ut bonis actibus te electum exhibeas.

Ob. V. Fulgentius l. 1. ad Max. 24. ait, *Prædestinavit ad supplicium, quos a se præscivit discessuros, prædestinavit, quos ad se præscivit redituros;* unde sic arguitur: ex Fulgentio prædestinatio ad gloriam se habet, ut prædestinatio ad pœnam: sed hæc supponit prævisionem meriti: ergo & illa. R. dist. maj. Se habet &c., in ordine *executionis*, conc.; in ordine *intentionis*, neg. Constat ex dictis. Reapse prædestinationem in *intentione* præscientiam meritorum præcedere docet Fulgentius l. de Fid. ad Petr. c. 3. ubi ait: *Illi regnabunt, quos Deus gratuita bonitate prædestinavit ad regnum.*

CA-

(a) *Vide Auctorem.*

(b) *Vide* ℞. *2. c. præc.*

CAPUT VIII.

An gratuita prædestinatio ad gloriam sit rationibus theologicis consentanea?

SENTENTIAM de gratuita prædestinatione ut rationi dissonam quidam rejiciunt: sed plane injuria. Sit itaque

PROPOSITIO. Prædestinatio gratuita theologicis rationibus comprobatur.

Prob. I. Dei voluntas homines perditos ad gloriam prædeterminans est absoluta, & meritum antecedit: ergo &c. Prob. ant. Voluntas conferendi media, quæ efficaciter ad finem perducunt, supponit voluntatem efficacem ejusdem finis: ergo &c. Ant. patebit ex lib. de Gratia. II. Merita, quibus ad gloriam pervenitur, sunt prædestinationis effectus, cum sint ex gratia electis collata, ut gloriam adipiscantur: ergo non sunt caussa. III. Hoc mysterium inscrutabile est: ergo non pendet ex libero arbitrio. IV. Deus prædestinat plures scelestissimos, ut Paulum, latronem &c.: ergo non respicit merita, ut fingat ex luto vasa honoris.

Ob. I. Potest quis efficaciter velle finem mediis sufficientibus, non absolutis: sic medicus vult efficaciter salutem ægroti, dum media ponit, quibus salus obtineri potest, licet sæpe sanitas non habeatur: ergo potest Deus etiam velle nobis gloriam, ut finem, licet media conferat inefficacia.

R. neg. ant. Nam voluntas finis non est efficax, si media efficacia non sint. Si enim medicus sciret, hanc, non aliam medicinam esse efficacem, hanc, non illam præberet ægroto, quem vellet efficaciter sanum: ergo si Deus velit efficaciter dare gloriam prædestinatis, non sufficientia, sed remedia efficacissima præbet, *quibus certissime liberantur.*

Ob. II. In hac sententia non solvitur hoc dilemma: *Aut sum prædestinatus, vel non; si primum, quidquid egero, salvus ero; si secundum, damnabor:*

sed

ſed hoc incommodum vitatur in oppoſita ſententia: ergo &c.

R. neg. maj. Licet enim Deus gratis eligat, non confert tamen gloriam adultis, niſi ut mercedem; eligit enim ad gloriam per merita obtinendam, ita ut merita connotent prædeſtinationis objectum, non motivum. Quare prædeſtinationis actus eſt gratuitus, ſed objectum onerоſum. Hoc dilemma a Semipelagianis confictum ſic in eos retorquet S. P. A. de D. Perſ. 15. *Nonne, ſi Deus illos bonos futuros eſſe præſcivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate verſentur? ſi autem malos, mali erunt in quantalibet bonitate cernantur? Numquid ergo propter hujuſmodi cauſſas, quæ de præſcientia Dei dicuntur, vel neganda ſunt, vel tacenda?* Urget ergo hoc dilemma etiam adverſarios, cum per eos tam certa ſit præſcientia, quam prædeſtinatio. Vulgo dicitur argumentum ruſtici, eique rudibus argumentis reſpondetur: vel morieris hoc morbo, vel non; cur ergo uteris medicinis? certa eſt futuri anni meſſis; cur ergo ſeris, & occas? Recte ergo tentanti diabolo reſpondit S. Eremita: Vel ſum electus, vel reprobus: ſi primum, certe ſalvabor; ſi ſecundum, plane damnabor: fruſtra ergo me ad malum ſollicitas. Bonis itaque operibus eſt inſudandum; Deus enim miſericors eſt ſimul, & juſtus, & licet nos præveniat, ut pater, reddet tamen coronam, ut judex.

Ob. III. Dei voluntas rationalis eſt: ergo aliqua ejus cauſſa aſſignari debet. R. diſt. conſ. Ex meritis creaturæ, neg.; ex Deo, ut *oſtendat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ*, conc. Si quæras, cur ex eadem maſſa unum, non alium, eligat? R. D. Thom. q. 23. *Non habet rationem, niſi divinam voluntatem. An non poteſt figulus*, Rom. 9., *ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?*

Ob. IV. Si Deus unum præ alio eligeret ſine meritis, eſſet acceptator perſonarum; æqualibus enim inæ-

inæqualia diſpenſaret, illi perſeverantiam, huic gratiam ſufficientem, illi gloriam, huic ſupplicium: ergo &c.

R. neg. ſequelam. Ad prob. diſt. ant. Inæqualia diſpenſaret indebita, conc.; debita, neg. Si ergo Deus nulli debitum fraudet, & uni det ex miſericordia, quod ei non debetur, & alteri reddat ex juſtitia, quod debetur, non ſequitur, quod ſit acceptator perſonarum. *Ubi enim eſt commune delictum, & nullum meritum, acceptio perſonarum nequit eſſe*, ait S. P. l. 2. ad Bon. 7. Ubi etiam exemplum affert duorum debitorum, quorum uni creditor remittit debitum, ab altero exigit, abſque ulla injuſtitia. Vide c. 8. de D. Perſ. expoſitionem parabolæ Matth. 20., *Nonne ex denario conveniſti mecum?* Denique, per adverſarios, non eſt Deus acceptator perſonarum, ſi uni det gratiam congruam, quam alteri negat: ergo &c.

Ob. V. Prædeſtinatio juvatur orationibus: ergo habet aliquam cauſſam. R. diſt. ant. Juvatur, quoad conſecutionem effectus, conc.; quoad intentionem finis, neg.

Ob. VI. Gratuita prædeſtinatio antecedit actum voluntatis, eamque ſic prædeterminat, ut nequeat voluntas obſiſtere, alias fruſtraretur Dei decretum: ergo tollit libertatem. R. diſt. ant. Decretum Dei antecedit, & prædeterminat, inſpirando dilectionem, conc.; imponendo neceſſitatem, neg. Decretum Dei, aliquem, e. g., ad pœnitentiam præmovens, nullam neceſſitatem ei imponit, cum pœnitentiam ei non proponat ſub omni ratione boni, ita ut in ea nil mali, aut moleſtiæ valeat apprehendere. Vide Reg. 5. l. 4. c. ult. Sicut ergo præſcientia Dei, licet antecedens, libertatem non tollit, quia non tollit indifferentiam, ita nec tollit Dei decretum, quia, licet antecedens, relinquit tamen potentiam ad oppoſitum.

CA-

CAPUT IX.

De Petavii celeberrima retractatione.

PETAVIUM l. 10. Theol. Dogm. Augustinianam retractasse sententiam, quam lib. præc. propugnaverat, dictum est supra : id vero an jure, an injuria factum sit, sequens ostendit

PROPOSITIO. Petavii momenta levissima sunt, & a Petavio ipso solvuntur.

Opp. I. Etenim l. 10. c. 1. ait, verbum ὁρίζειν significare aliquando prædestinationem citra merita, & usum voluntatis, quo sensu Rom. 1. ait Apostolus, Christum *prædestinatum esse Filium Dei:* atqui verbum προορίζειν non absolutam voluntatem designat, sed eam, quæ merita supponit; nam Act. 4. de Judæorum scelere dicitur, *manus tua & consilium decreverunt fieri*, græce προώρισε: ergo ex Apostoli verbis non constat, qualis sit sanctorum prædestinatio.

R. Petavius l. 9. c. 1. ait, quod ὁρίζειν 1. Rom. latinus vertit, quasi esset προορισθεὶς, ut est in c. 9.: *quos præscivit, & prædestinavit &c.:* atqui cap. 1. significatur prædestinatio citra præscientiam meritorum : ergo προορίζειν non significat decretum ab arbitrio pendens. Nec obstant verba Act. 4.; ea enim ad redemptionem hominum referuntur, non ad facinus Judæorum (*a*).

Opp. II. Ib. n. 5. observat Petavius, Apostolum in Ep. ad Rom. exemplo Jacob, & Esau vocationem ad legem, & Evangelium ostendere: sed ex quo solo Dei proposito homines eligantur ad gratiam, non sequitur, gratis ad gloriam prædestinari, sicut ex quo Judas ad Apostolatum electus est, non sequitur ad regnum fuisse prædestinatum: ergo &c.

R. Pe-

(a) *Vide l. 4. diss. 2. c. 3. in* ℞. *ad 1.*

R. Petavius (*a*), prædeſtinationem, de qua loquitur Apoſtolus, perinde gratiam, & gloriam importare, *nam utraque nos Deo ſimiles facit, utraque ſimul a maſſa damnata liberat*, ait Petavius. Loquitur ergo Apoſtolus de prædeſtinatione ad legem & gratiam evangelicam, & ſimul ad gloriam, & ex una alia infertur, non in ſingulis, qui vocantur, ſed in his, qui ſunt prædeſtinati *conformes fieri imaginis Filii Dei*. In qua prædeſtinatione Judas non fuit, & ideo non ſequitur: electus fuit ad Apoſtolatum: ergo ad regnum.

Opp. III. Petavius Ib. n. 7. ait, ex ſcriptura odium Eſau minorem dilectionem præſeferre; nec Dei propoſitum abſolutum decretum importare ex Auguſtino (*b*), ſed prævilionem meritorum: ergo &c.

R. Petavius ib. *Uti Jacob nullis ſuis meritis Paleſtinæ regionem eſt adeptus; ſic Judæorum populus, nullis ſuis officiis hanc gratiam emeruit, ut regni Dei hæres eſſet*. Tranſit ergo Apoſtolus a literali ſenſu ad myſticum, ut oſtendat, nulla præviſione meritorum electos ad regnum prædeſtinari, cujus typum gerebat terra Chanaan. Auguſtinum vero loqui de ſola electione conſequente, oſtendit Petavius l. 9. 14.: non recte ergo ſcribit, Auguſtinum a ſua deſciviſſe ſententia.

Opp. IV. Petavius ib. n. 9. & ſeq. ait: Auguſtinum maſſam luti accipere pro multitudine peccato vitiata, non ita Chryſoſtomum, Hieronymum, Origenem, totum inter vaſa diſcrimen ex hominum voluntate repetentes: ergo &c.

R. Petavius (*c*), ubi de gratia ſermo eſt, majorem haberi rationem Latinorum PP., & præcipue Auguſtini quam Græcorum: cur ergo Auguſtino illos præfert? Dixerat, Hieronymum in ep. ad Hedib.

(a) *L.* 9. *c.* 12. *n.* 3.
(b) *L.* 1. *q.* 2. *ad Simpl.*
(c) *L.* 9. *c.* 6. *n.* 1.

Hedib. Apoſtoli verba *minus commode interpretatum* ; Ambroſium Auguſtini ſententiæ non refragari, nec ejus eſſe citatos commentarios ; Chryſoſtomum ſententiam rejicere *conditionatam* : quomodo ergo PP. illos nobis opponit?

Opp. V. Petavius ib. n. 14. ait, Auguſtinum ad prædeſtinationem retuliſſe illud Eph. 1. *Elegit nos, ut eſſemus ſancti* : ſed Paulus de electione ad fidem accipiendus eſt, non de abſoluto decreto dandi gratiam, & gloriam : ergo &c.

R. Petavius (a), ex Apoſtolo *Deum ſuos elegiſſe, ut ſancti ſint, tum ut adoptivi ſint per Chriſtum filii, ut perfectam in ſe Dei ſimilitudinem referant. Joannes vero perfectam cum Deo ſimilitudinem in futura vita pollicetur.* Itaque electio , de qua Epheſ. 1., ex Petavio eſt gratuita : ſed hæc electio eſt ad perfectam Dei ſimilitudinem in altera vita : ergo electio illa eſt gratuita.

Opp. VI. Petavius notat, Apoſtolum electionem referre ad incomprehenſibilia judicia Dei : ſed talis non eſt electio ad gloriam ; conſtat enim, quod referet quiſque prout geſſit : ergo Apoſtolus loquitur de electione ad fidem, cujus cauſſam nemo novit.

R. Petavius (b) : *Sit verior illa ſententia, quæ definit, ſufficientem omnibus vim & auxilium ſufficere, poſtea, ut quiſque conceſſis adjumentis uti voluerit, aut noluerint ita eligi, aut reprobari : tum, ſi quis iniquum id eſſe Dei arbitrium cauſſari vellet, non exceptione illa ſummovendus eſſet adverſarius, qua uſus eſt Apoſtolus, nec arcanorum Dei altitudo commovenda : ſed facilis eſſet illa defenſio, ideo juſtam eſſe Dei in utramque partem ſententiam , quod & illos, qui invitati paruerint , ad cæleſte convivium admiſerit, & eos, qui vocati renuerint, excludendos cenſue-*

(a) *L.* 9. 12. 3.
(b) *L.* 9. *c.* 8. *n.* 4.

fuerit. Salvatur ergo in Auguftini fententia ex Petavio arcanorum judiciorum altitudo (*a*).

Op. VII. Petavius ib. c. 2. ait: *Viæ Domini,* Pf. 24., *funt mifericordia, & veritas.* In illa locum non habent merita, idque ex facris literis fpectat ad vocationem, & gratiam: fed ex his etiam docemur, gloriam meritis fanctorum ex juftitia deberi, ut docet Ap. 2. Cor. 9.: ergo &c.

R. Petavius (*b*), *Deum electis illis, quos liberavit, æternam falutem haud abfolute deftinaffe: non enim gratis hanc illis decrevit dare, fed ut bravium.* Docet ergo per Auguftinum, gloriam effe coronam juftitiæ, & tamen prædeftinationem ad gloriam effe ex beneplacito. Quare ambæ viæ Domini late patent in Auguftini fyftemate: *mifericordia,* quod gratis aliquos eligat, & adjuvet, *juftitia* vero, quod meritis vitam æternam rependat. Nota, Auguftini difcrepantiam a veteribus PP. objeciffe primo Semipelagianos, deinde Grotium, Voffium, & Launojum, fed omnium jacula retudit S. P. l. de Præd. Sanctor. 14., & cuique refpondet S. Profper in vulgato Epigrammate: *Te ftylus ifte conficit, & verbis perdéris ipfe tuis.*

CAPUT X.

An merita Chrifti fint noftræ juftificationis cauffa.

OMNES prædeftinatos Chrifti morte falvari, catholici fatentur; fed quæritur, an Chrifti merita cauffa fuerint electionis fanctorum, an illam fint fubfecuta? Ut diximus de complexu auxiliorum, quibus pervenitur ad gloriam, & quæ cauffa funt meritorum, fed propofitum confequuntur. Sit ergo

PROPOSITIO. Prædeftinatorum electio fit ex Chrifti meritis.

Prob. Ex Ap. Ephef. 1.: *Prædeftinavit nos in ado-*

(a) *Vide t.* 8. *in* R. *ad* 4. (b) *L.* 9. 12. *n.* 2.

adoptionem filiorum per Jesum Christum &c. Prob. II. ratione. Christus enim nobis promeruit omnes prædestinationis effectus, ideſt gratiam, justificationem, perſeverantiam; ait enim Apoſtolus: *Creati ſumus in Christo in operibus bonis:* ergo &c.

Ob. I. Christus eſt prædeſtinationis noſtræ exemplar: ſed Christi prædeſtinatio eſt gratuita: ergo & noſtra. R. diſt. maj. Ita ut Christus ſit caput Eccleſiæ, & prædeſtinatorum primogenitus, nos vero filii, ac membra, conc.; ita ut pares ſimus dignitate, neque ab illo ſpiritalem vitam participemus, neg. Vide cap. 6. Prob. ult.

Ob. II. Mors Christi eſt medium, quo ſalutem conſequimur: ſed Deus prius vult finem, quam media; voluit ergo prius ſalutem hominum, quam mortem Christi: ergo nequit hæc eſſe prædeſtinationis noſtræ cauſſa.

R. diſt. maj. Medium eſt relate ad redemptionem hominum, conc.; relate ad abſolutam electionem aliquorum ex numero redemptorum, neg. Nam horum reſpectu Christi mors habet rationem cauſſæ; Deus enim voluit redemptionem hominum, & ob hanc decrevit incarnationem Verbi. Deinde vero ex redemptis aliquos prædeſtinavit, & intuitu paſſionis Christi eis auxilia efficacia præparavit.

CAPUT XI.

De interceſſione ſanctorum pro electis.

INQUIRITUR a theologis, an prædeſtinati juvari poſſint ſanctorum precibus, non quidem relate ad divinum propoſitum, quod eſt immutabile, ſed relate ad finis conſecutionem. Sit ergo

PROPOSITIO. Utiles ſunt prædeſtinatis orationes ſanctorum.

Prob. I. Scripturis. Ep. Jac. 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini.* Prob. II. exemplis. Nam orationibus Stephani, ac Monicæ, Saulus, & Auguſtinus ad Christi fidem converſi ſunt: ergo &c.

Ob. I. Oratio ſanctorum, vel eſt pro aliquo particulari, vel in communi, vel indeterminate: ſed ſi primum, eſt inutilis; cur enim Deus hunc, non illum trahat, nullam habet cauſſam, niſi voluntatem ſuam: ſi ſecundum, eſt fruſtranea, cum plurimi reprobentur: ſi tertium, nullam requirit efficacem intentionem conferendi gloriam: ergo &c.

R. neg. min. Quamvis enim per orationes ſanctorum immutari nequeat Dei decretum, juvatur tamen, velut mediis quibus comparatur prædeſtinationis effectus, nempe deteſtatio peccatorum, juſtificatio & finalis perſeverantia: ergo &c.

Ob. II. Prædeſtinatio ſortitur infallibiliter effectum: ergo inutiles ſunt orationes ſanctorum. R. diſt. ant. Sortitur effectum eo modo, quo Deus diſpoſuit, & mediis cauſſis ſecundis, ideſt ſanctorum interceſſionibus, ac bonis operibus, conc.; ſecluſis operibus, & interceſſionibus ſanctorum, neg.

Ob. III. Electio Auguſtini præceſſit prævifionem orationum S. matris, alias non fuiſſet gratuita: ergo, licet Monica non oraſſet, Auguſtinus ſalutem conſecutus fuiſſet.

R. diſt. ant. Præceſſit ordine intentionis, conc.; executionis, neg. *Si aliqui nondum ſunt vocati, pro eis oremus, ut vocentur. Fortaſſis ita prædeſtinati ſunt, ut noſtris orationibus & gratiam accipiant, & efficiantur electi*, ait S. P. de D. Perſ. 2. Erat ergo ita prædeſtinatus Auguſtinus, ut orante matre gratiam conſequeretur.

CAPUT XII.

De variis prædeſtinationis effectibus.

PRÆDESTINATIONIS effectus ſunt beneficia, quæ Deus confert electis ex efficaci intentione illos ſalvandi. Ad hoc autem tria requiruntur: primo, ut bona ſint, & Deo auctore fiant; peccatum enim cum ſit averſio a Deo, nequit per ſe ad vitam æternam

nam ordinari: secundo, ut conferantur ex intentione dandi gloriam, qua de re gratiarum munera reprobis collata, non sunt effectus prædestinationis ad gloriam: tertio, ut reapse ad gloriam perducant; est enim prædestinatio, *præparatio mediorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.*

Propositio I. Effectus prædestinationis primarii sunt vocatio, justificatio, & glorificatio.

Prob. ex Ap. Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit ... justificavit ... glorificavit:* sed hæc a prædestinatione oriuntur, tamquam a caussa: ergo &c. Pr. min. Nam prædestinatio est præparatio auxiliorum liberationem importans: atqui *glorificatio* a miseriis perpetuo liberat, *vocatio* autem & *justificatio* ipsam glorificationem præcedunt: ergo &c.

Ob. I. Vocatio, & justificatio etiam reprobis conferuntur; Calvini enim dogma est, non dari reprobus vere justos: ergo &c.

R. dist. ant.; conferuntur ex efficaci intentione perducendi ad gloriam, neg.; ad gratiam, conc. Diximus supra, ad prædestinationis effectum requiri, ut descendat ex efficaci proposito dandæ beatitudinis, quod sane ad nullum attinet reproborum.

Ob. II. Prædestinati sæpe deserunt vocationem, justitiam, & fidem ipsam: ergo vocatio, & justificatio non sunt media prædestinationis. R. neg. cons. Nam ex recordatione prioris vocationis magis electus trahitur ad assentiendum præsenti: & ex præterito lapsu timorem concipit, clamans cum Davide: *Priusquam humiliarer, ego deliqui; propterea mandata tua custodivi.*

Ob. III. Glorificatio non est medium, sed finis: ergo non est prædestinationis effectus. R. neg. cons. Nam quodlibet beneficium, quo electi a perditionis massa liberantur, per modum termini, aut

 medii

medii est effectus prædestinationis, adeoque glorificatio est præcipuus ejusdem effectus.

Propositio II. Substantia prædestinati, aliaque naturæ dona sunt aliquo modo prædestinationis effectus.

Not. Licet substantia prædestinati absolute spectata, prout pendet a solo creationis decreto, non sit prædestinationis effectus; illud enim præcedit ratione præscientiam originalis peccati; est tamen ejus effectus, quia servata misericorditer post culpam, præordinatur ad gloriam. Prob. Substantia prædestinati post culpam servata est ob Christi merita: ergo &c. Prob. ant. Nam propter originale peccatum genus humanum promeruit etiam in nihilum redigi: ergo ob Christi merita servatum fuit. Hinc S. P. ser. 2. de V. Ap. ait: *Electos per Jesum Christum esse creatos.*

Ob. I. Voluit Deus homines redimi: ergo substantia prædestinati præsupponitur ad Christi merita. R. dist. conf. Præsupponitur, idest voluntas redemptionis antecedit ratione incarnationis decretum, conc.; voluntas implendi prædestinatorum numerum præsupponitur ad Christi merita, neg. Substantia enim prædestinati Christi merito servata posterior est incarnatione, prout præordinatur ad hunc numerum instaurandum.

Ob. II. Prædestinatio facta est post prævisionem originalis peccati: sed hoc supponit substantiam prædestinati: ergo &c. R. dist. min. Si spectetur absolute, ut creata, conc.; ut præservata ad instaurandum electorum numerum, nego.

Inst. Etiam substantia reproborum meritis Christi servata est: ergo & ipsa erit prædestinationis effectus. R. neg. conf. Non enim omne beneficium per Christum collatum est prædestinationis effectus, sed quod habet conjunctum propositum conferendi gloriam. Idem dicendum est de ingenio, arbitrio, aliisque naturæ donis, quæ quidem non se solis

possunt

possunt ad gloriam perducere, sed gratiæ supernaturalis auxilio.

Propositio III. Etiam permissio peccati est aliquo sensu prædestinationis effectus.

Not. Non loquimur de peccato finali, quod perditionem secum trahit; hoc enim nullum est in prædestinatis, quibus donatur perseverantia; neque de effectu elicito, qui per se ad gloriam confert; nam hæc permissio per se est magis pœna, quam donum; sed loquimur de effectu imperato, qui remote, & mediate ad gloriam perducit. Pr. I. ex Ap. Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Prob. II. ex Aug. de Corr. & gr. 9. *Etiamsi qui eorum*, prædestinatorum, *deviant; etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.* Et l. 14. C. D. 13. *Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum peccatum, unde sibi displiceant, qui sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando præsumpsit.* Idem docet Gregorius M. l. 2. moral. 26. Pr. III. ratione. Nam peccati permissio ex Dei ordinatione conducit ad spirituale bonum prædestinati, idest ad humilitatem &c. ergo &c. Vide Prop. I. Ob. II.

Ob. I. Permissio peccati non est Dei beneficium meritis Christi collatum, non opus misericordiæ, sed justitiæ, non distributio, sed negatio gratiæ: ergo &c. R. dist. ant. Permissio in se, conc.; ut subest Dei proposito, neg.. Permissio ergo, prout est in se, est pœna præsumptionis; sed prout subest Dei proposito, est aliquale beneficium, nam excitat in prædestinato humilitatem, sollicitudinem &c.

Ob. II. Sapiens provisor non debet summum malum permittere, ut bonum conferat, sicut nec medicus morbum, ut reddat sanitatem: ergo &c.

R. neg. ant. Deus enim sapientissime peccata permittit, ut finem assequatur, in quo justitia & miseri-

ricordia relucet ; ſicut enim per adverſarios vult Deus reprobationem negativam aliquorum, ut juſtitiam oſtendat in reprobos, miſericordiam in electos, ita peccatum permittit, ut oſtendat gratiæ neceſſitatem, infirmitatem arbitrii &c. Nec medicus morbum permittit, ut conferat ſanitatem, ſed ut reddat robuſtiorem ; ſic Deus non ſinit peccatum, ut juſtificet, ſed ut validius ſanctificet. *Cooperatur enim caſus ille in bonum, unde & humiliores efficimur, & cautiores,* ait D. Bernardus in Pſ. 9.

CAPUT XIII.

De certitudine, atque immutabilitate prædeſtinationis ſanctorum.

NOT. Cum prædeſtinatio ſpectari poſſit in *intentione*, & in *executione*, quæritur an utroque modo ſit infallibilis? ideſt relate ad Deum eligentem, & hominem libere præcepta ſervantem. Sit itaque

PROPOSITIO. Prædeſtinatio tam ex parte Dei, quam hominis, eſt immutabilis, ſed illa certa eſt, hæc incerta.

Prob. I. pars. Decreta Dei efficacia, & abſoluta ſunt immutabilia. *Non eſt Deus, ut filius hominis, ut mutetur*, ex Num. 23., nec volenti efficaciter ſalvum facere humanum reſiſtit arbitrium: ergo ex parte Dei prædeſtinatio eſt immutabilis. Eſt etiam ex parte hominis; poſito enim Dei decreto, prædeſtinatus infallibiliter gloriam conſequitur : ergo &c.

Prob. II. pars ex Ap. 1. Tim. 2. *Cognovit Dominus, qui ſunt ejus.* S. P. A. de Corr. & gr. 7. *Nemo eorum perit, quia non fallitur Deus :* ergo prædeſtinatio reſpectu Dei certa eſt. Eſſe homini incertam docet Eccl. 9. *Neſcit homo, an amore, vel odio dignus ſit :* & Trid. ſeſſ. 6. *Nemo*, ait, *de prædeſtinationis myſterio præſumere debet, ut certo ſtatuat, ſe eſſe in numero prædeſtinatorum.* Accedit

ra-

ratio. Decet homines talis spes, qua cum tremore salutem suam operarentur, & dona Dei non superbiendo fastidirent, sed timendo custodirent: ergo &c.

Ob. I. Augustini proloquium: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.* Idem serm. 102. de Temp. ait: *Velle Deum mutare sententiam, si homo resurgat ad pœnitentiam.* Ecclesia etiam orat, *ut liber vitæ prædestinatorum nomina adscripta retineat:* ergo prædestinatio est mutabilis.

R. I. dist. cons. Est mutabilis, quoad effectum medium, idest justificationem, & opera, conc.; quoad propositum, & gloriæ coronam, neg. Proloquium illud, & sermo 102. de Temp. non est Augustini, vel prædestinatio ibi sumitur inadæquate pro justificatione, aut signis prædestinationis. Vide c. 7. ad 4. Hoc sensu Ambrosius ait: *Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum*, & Ecclesia orat: *ut liber vitæ* &c.

R. II. Loca laudata accipienda esse, non de prædestinatione relate ad efficacem Dei voluntatem, sed relate ad legem Dei, quæ statuit peccatoribus impœnitentibus æternum supplicium, pœnitentibus delet mortis chirographum; quæ responsio facilior est, & germanior.

Ob. II. Exod. 33., ait Moyses: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo:* ergo &c. R. I. dist. ant. Et loquitur Moyses de libro vitæ temporalis, con.; de libro vitæ æternæ, neg. Sensus est ergo, si non dimittis, *obsecro, ut interficias me*, ut ait Num. 11. R. II. neg. cons. Moyses enim rem petendo impossibilem, vehementissimum desiderium expressit de Hebræorum salute, quam proprie anteponere visus est.

Ob. III. Apostolus I. Cor. 9. ait: *Castigo corpus meum, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar:* ergo &c. R. dist. ant. *Reprobus efficiar*, idest e gratia excidam, conc.; de prædestinatorum numero, neg. Loquitur enim Apostolus de gra-

tiæ privatione, ac de reprobationis effectu, non de proposito Dei.

Ob. IV. Si prædestinatio immutabilis esset, posset quis dicere: *Vel sum prædestinatus, vel non. Si primum, quodvis crimen admisero, salvus ero; si secundum, quidquid boni egero, nihil mihi prodest:* ergo &c. Neg. ant. Licet enim prædestinatio immutabilis sit, quoad Dei propositum, tamen in *executione* liberis meritis comparatur. Vide c. 8. R. ad 3. Argumenta hæreticorum contra 2. partem Prop. alibi excutiam. Interim nota, ex Trid. sess. 6. c. 9. neminem scire certitudine fidei, se gratiam Dei consecutum.

CAPUT XIV.

De Prædestinatione hæreseos pseudo-historia.

NOT. I. duo sunt errores circa prædestinationem, & gratiam. I. Pelagianorum, qui eam repetebant ex prævisione meritorum; II. Prædestinatianorum, qui victricem gratiam, & prædestinationem secundum propositum, ita defendunt, ut liberum arbitrium, *titulum sine re esse arbitrentur.* Utrique malæ causæ patroni. Pelagiani enim & Semipelagiani pessime de Christi gratia, de Augustino irreverenter locuti sunt. Prædestinatiani autem impie de libertate hominis, imperite de Augustino sensere; constans enim est S. P. doctrina, neque prædestinationem, neque libertatem esse negandam (1).

Not.

(1) Observat cl. Auctor in Schol. c. 1. l. 6., Augustino, ejusque discipulis, ubi de prædestinatione, & gratia disputatur, primum a Pelagianis deliramenta Manetis, tum a Semipelagianis hæresim Prædestinatianam, postea a quibusdam catholicis quidem, sed magis pro arbitrii libertate, quam pro Christi gratia sollicitis, ipsam Calvini fata-

Not. II. Prædeſtinatianorum, quæ in Calviniana ſecta adhuc vigent, præcipua dogmata ſunt, I. Deum eodem modo ad vitam, & mortem prædeſtinare. II. divinam præſcientiam voluntatem compellere. III. perire Dei voluntate, qui pereunt. IV. Trahi etiam invitos ad ſalutem. V. nullam eſſe in Deo voluntatem ſalvandi omnes. VI. Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe &c. Ortam eſſe hanc hæreſim an. 427. apud Monachos Adrumetinos, in Galliis emerſiſſe an. 429. & a Gotheſcalcho recuſam an. 847. aſſerunt Tyro Proſper, Sigebertus, Baronius, Spondanus, &c. Sed eam eſſe fictitiam putant Uſſerius, Maguinus, Noriſius, Cabaſſutius, Alexander, aliique: qui odioſo Prædeſtinatianorum nomine traductos eſſe Auguſtini diſcipulos obſervarunt.

Not. III. Nullum inferri Auguſtinianæ doctrinæ præjudicium, etſi daremus Auguſtini ævo hanc ſectam emerſiſſe; ejuſque aſſeclas ſe ſe tanti doctoris auctoritate muniiſſe. *Non enim melius loqui potuit Auguſtinus, quam Prophetæ, quorum verbis male intellectis tam multis ſuos defendere conantur errores*, ait Facundus Herm. l. 6. contra Motianum. Imo cum conſtet, Gotheſcalchi cauſſam ad Auguſtini ſcripta, veluti ad lydium lapidem, fuiſſe revocatam, magnum eidem robur acceſſit. Sit ergo

Propositio I. Nulla fuit in Adrumetino Monaſterio, Auguſtino ſuperſtite, hæreſis Prædeſtinatiana.

Prob. I. Ex S. Prudentio Trecen. Epiſcopo lib. contra Jo. Erig. 4. ubi ait: *Tertiam hæreſim, qua ita*

---

fatalem neceſſitatem, poſtremo ab Arminianis (inter quos Joannes Pherepomus, ſupra cæteros omnes Auguſtino infenſiſſimus fuit) omnes iſtas, quæ tandem in idem recidunt, injuriarum pleniſſimas notas opponi. Qua in re Pelagianorum veſtigia præmunt, qui eaſdem calumnias, ad nauſeam uſque repetitas, ingeminant.

ita donum gratiæ prædicatur, ut libertas arbitrii auferatur, nec legimus, nec audivimus. S. Remigius c. ipsum Erig. ait: *Quæ est ista hæresis tam inaudita, quæ libero arbitrio denegato solius gratiæ sit prædicatrix, nisi disputator iste B. Augustinum quasi hæreticum accusat.* Reapse S. P. A. scripsit librum de hæresibus an. 428. jam sedatis Adrumetinis dissidiis; cur ergo hæresim non memorat a se præfocatam? Cur Pelagianam vocat recentissimam, si aliam juniorem profligaverat?

Pr. II. ex historia. Cum enim Augustini epistola 105. a Floro Adrumetum delata a Monachis avide legeretur, aliquibus imperitis visum est, vocationem secundum propositum, & gratiam victricem tollere libertatem. Valentinus Abbas, & Florus pro Augustino stetere. Hinc turbæ excitatæ, quas Felix, & Cresconius ad Augustinum ambigue retulerunt, qui videns, Adrumeti, sub prætextu libertatis, novum bellum contra gratiam Christi parari, scripsit librum de gratia & lib. arbitrio: sed opponentibus Adrumetinis, non corripiendos transgressores ob gratiæ defectum, librum addidit de correptione & gratia, plenum, ait Prosper, *divinæ auctoritatis.* Ex hoc origo, & finis dissidiorum.

Ex quibus constat Semipelagianam hæresim, non Prædestinatianam inde erupisse. Qui enim negant electionem secundum propositum, eamque libertatem auferre putant, non Prædestinatiani sunt, sed Semipelagiani; nam Prædestinatiani electionem secundum propositum, ex Augustini doctrina, tuentur, licet errent quoad libertatem: ergo &c.

Confirmatur ex D. Prosp. in ep. ad Aug., ubi, narratis Semipelagianorum oppositionibus contra divinum propositum, ait: *Evenit, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de Corr. & gr. plenum divinæ auctoritatis emitteres.* Similis ergo fuit Semipelagianorum, & Adrumetinorum expostulatio. Reapse nullus fuit Prædestinatianus inter Adrumetinos. Non Valentinus, de cujus fide nemo

nemo dubitat, neque Florus, quem conſtat ex Valentini epiſtola a Felice, & Creſconio falſo accuſatum. *Servi tui Flori* (ait Valentinus ib.) *fides eſt, non ſicut fratres illi locuti ſunt, non juxta merita noſtra dari donum pietatis, ſed per gratiam Redemptoris:* neque alii Monachi; ii enim ita arbitrium propugnabant, ut gratiam negarent. Rumor ergo exortæ Adrumeti hæreſeos, ex falſa illorum relatione ortus eſt. Vid. ep. Valentini ad Aug. & hujus reſponſionem ad Valent.

Ob. I. S. P. cit. ep. ait: *Retulerunt, monaſterium veſtrum diſſenſione turbatum, eo quod quidam in vobis ſic gratiam prædicent, ut negent hominis eſſe liberum arbitrium:* ergo &c.

R. neg. conſ. Felix enim & Creſconius falſa narraverant. Illos ergo, utpote inſcios, diu apud ſe retinuit S. P.; *quo inſtructiores redirent adverſus Pelagianos:* iiſque redeuntibus Adrumetum una cum libro de Gr. & lib. arb. ſic Monachos hortatus eſt: *Neque negetis Dei gratiam; neque liberum arbitrium a gratia ſeparetis.* Reſcripſit Valentinus: *liberum arbitrium Dei gratia non negamus.* Hinc S. P. Monachis gratulatur, *hanc fidem etiam in Floro inveniſſe*, *unde*, ait, *potius corrigendi ſunt, qui eum non intelligebant:* ergo &c.

Ob. II. S. P. l. de Gr. & arb. utrumque defendit, ſed ex quo gratiam defendat, ſequitur extitiſſe, qui eam negarent: ergo a pari. Erant ergo in eo monaſterio duæ factiones, Pelagianorum, & Prædeſtinatianorum.

R. neg. conſ. Nam, etſi daremus, Auguſtinum initio credidiſſe Felici, & Creſconio, & contra Prædeſtinatianos ſcripſiſſe; bene ſe geſſiſſet evellendo, cum erumpente Semipelagianorum hæreſi, etiam ficti erroris radices, quas noverat olim inſitas a Manichæis. Sed Auguſtinus ibi probat, gratiam merita non ſupponere, nec tamen perimi liberum arbitrium, ut Pelagiani criminabantur. Hæc itaque propoſitio: non datur ſub gratia efficaci libertas, enun-

enuntiatur a Pelagianis, & Prædestinatianis: illi, ut Dei gratiam tollant, ajunt, ex ea sequi libertatis exitium: isti, ut arbitrium eliminent, censent, per illum Dei gratiam auferri. R. II. dist. ant. Augustinus utrumque defendit retundens criminationem Pelagianorum, conc.; repellens assertionem Prædestinatianorum, nego.

Ob. III. meminere hujus hæresis Sigebertus, Prosper Tyro, Arnobius, aliique: ergo &c. R. neg. cons. Cum enim eo nomine a Semipelagianis traducerentur Augustini discipuli, plures falsa crimina pro veris historiis venditarunt. Ita Sigebertus a Fausto Rejensi, qui Augustini discipulos Prædestinatianos appellat, hanc fabulam hausit. Arnobius quoque Semipelagianus fuit, ut ostendit Norisius (a), vel falso rumore a Semipelagianis accepit, Prædestinatianos exstare, qui tollerent libertatem. Hinc forte errorem hausit Prosper Tyro in historia hospes, qui hanc hæresim refert ad ann. 417. quando Augustinus nondum egerat de Præd. SS., nec epistolam ad Xistum dederat ante an. 424.

Propositio II. Neque sub Cælestino I. erupit in Galliis secta Prædestinatianorum.

Prob. Qui eam apud Massilienses suscitatam tradunt, putant Hilarium, & Prosperum Augustini, & Cælestini opem implorasse, sed ii non contra Prædestinatianos, sed contra Semipelagianos ad Augustinum confugere ex cit. Prosperi ep., ex qua constat, Massilienses improbasse gratuitam prædestinationem: cum Prædestinatiani gratuitam prædestinationem admitterent: ergo controversiæ illæ non Prædestinatianæ seminarium, sed Semipelagianæ hæresis incrementum fuere. Deinde S. P. A., acceptis illis epistolis, morbo occurrit libris de Præd. SS., & de Don. Pers. quos contra Augustinianæ doctrinæ obtrectatores editos esse constat: ergo

(a) *L. 2. hist. Pel. 15.*

ergo Augustinus non exagitat ibi Prædestinatianos, sed Semipelagianos.

Ob. I. Auctor *Prædestinati* ex Veter. Cod. a Sirmondo editi ait, hanc hæresim irrupisse sub Cælestino P.: ergo &c. R. Norisius, Sirmondum, qui effeta ann. 80. ætate *Prædestinatum* edidit, deceptum esse: unde ejus historia fabula dicitur a Maguino: nam dogmata Massiliensium a Prædestinatianis quam longe absunt. Adde auctorem *Prædestinati* se prodere Pelagianum, dum ait, concupiscentiam esse a creatore, nec pœnam peccati, sed legem naturæ.

Ob. II. Prosper, & Hilarius narrant, plures apud Massilienses asseruisse, Dei constitutione tolli libertatem, & sub nomine prædestinationis necessitatem induci: ergo &c. R. dist. ant. narrant in propria sententia, neg.; in sententia Massiliensium, qui *non ex veritate, sed ex livore* hæc absurda opponebant Augustini doctrinæ, ut scribit Fulgentius l. 1. ad Mon. c. 1. conc. Vide test. Prosperi supra c. 6.

Ob. III. ex libris Fausti, ex Arelatensi, ac Lugdun. Synodo, & epistola ad Lucidum constat, Prædestinatianos extitisse circa an. 470.: ergo &c.

R. neg. ant. Nam, dato etiam a Fausto Synodos illas non fuisse confictas, ut censet Maguinus, constat, Faustum, utpote Semipelagianum, Prædestinatiana dogmata Augustinianis objecisse. Cum ergo Faustus retulisset, plures existere Prædestinatianos, provide Galliarum Præsules sex a Fausto exhibitas propositiones damnarunt. Constat ergo, paradoxa illa esse hæretica, & a Semipelagianis objecta, ut sententiæ Prædestinationis gratuitæ invidiam conflarent: jure ergo damnata sunt, hinc tamen non eruitur, extitisse sectam Prædestinatianam. Quod spectat ad Lucidum, si vera sunt, quæ de eo narrat Faustus, eum dicimus a Semipelagianis acutis ingenio in hac difficillima quæstione circumventum forte ea retractasse, quæ recte sentiret:

ret: quod sæpe contingit rudioribus, qui cum versutis adversariis decertant.

Propositio III. Gothescalchus Prædestinatianus non fuit, licet veram caussam imprudenter defenderit.

Sic censent Maguinus, Lupus, Norisius, &c. Pr. I. auctoritate S. Prudentii, Remigii, & Lugdunen. Ecclesiæ: quam errore facti deceptam esse perperam scribit Pagius ad an. 849. ob testimonium Hincmari, aliorumque, apud Natal. Alex. diss. 8. sect. 9. Nam I. digniores fide sunt laudati scriptores, Lugdunensis, & Valentina Synodus, quam Hincmarus. II. Gothescalchi dogmata sensum habent catholicum, & toto cælo distant a Calviniano. III. ex Hincmaro colligitur, Gothescalchum sensu catholico ea propugnasse. Nam quod ait primo, quosdam esse prædestinatos ad mortem, de malo pœnæ accipi debet, *propter præscita ipsorum merita*, ut constat ex ejus confessione, & ex Hincmaro ipso. Quod ait secundo, non esse in Deo voluntatem salvandi omnes, de efficaci intelligitur ex Aug. in Ench. c. 96. a quo eadem ferme verba exscripsit in epistola ad Nicolaum Pont. Quod ait tertio, Christum non esse mortuum pro mundi redemptione, intelligit non esse mortuum pro reprobis *perpetualiter*, idest efficaci voluntate dandi illis perseverantiam, quæ tria capita sunt ipsa Gallorum objecta apud Prosperum. Gothescalcho ergo contigit, quod Augustinianæ doctrinæ assertoribus.

Ob. I. Gothescalchus docuit, Prædestinationem ad mortem in collatione cum Eberardo Comite, & cum Episcopo Brixiensi Nothingo, qui cum Rabanum Archiepiscopum Moguntinum in Gothescalchum incendisset, is in Moguntina Synodo damnatus est an. 848.: ergo &c. R. dist. ant. Docuit prædestinationem ad culpam, quam tradunt Prædestinatiani, neg.; ad pœnam ob prævisa demerita, quam admittunt catholici, conc. Constat ex ejus confessione, & ex Hincmaro ipso.

Dices:

Dices: Gothescalchus in gemina confessione errorem simulavit: ergo &c. R. neg. ant. I. enim eum ad extremum usque fuisse pertinacissimum scribunt adversarii. II. Rabanus, & Hincmarus fatentur, Gothescalchum fuisse Augustinianæ doctrinæ studiosissimum, cupiens ut de ipse arbitrio teneretur, *quod ab Augustino & aliis PP. inculcatum est, non juxta dogma Gennadii Massiliensis.* Nothingus autem parum in Augustiniana palæstra exercitatus, ait Norisius, non poterat Rabanum de altissima quæstione informare, *unde ad rem non pertinentem disputationem assumpsit.* Recte ergo a Rabano errores illi proscripti sunt, licet a Gothescalcho improbati.

Ob. II. Hincmarus, Annalista Bertinianus, & Synodus Carisiaca Gothescalchum damnarunt: ergo &c.

R. neg. conf. Nam Hincmarus fuit, Sirmondo teste, *fallere, & falli proclivis: ejusque concilia, conventicula de sanguinibus dicta sunt.* Præceps judicio fuit, maxime in hac caussa, in qua idem testis, accusator, & judex Gothescalchum damnavit, & virgis cæsum compulit ad comburendam propriam apologiam (1). Carisiaca capitula merito a Valentina Synodo exploduntur, propter *inutilitatem, vel noxietatem & errorem:* eique interfuit sola factio Hincmari, cum Valentinæ interfuerint Lugdunensis, Viennensis, & Arelatensis Episcopi:

 ejusque

(1) Gothescalchum etiam ab Amolone Antistite Lugdun. & Floro Diacono tanquam *Prædestinatianum*, refutatum nuper tradidit Franciscus Morenas t. 3. H. E. p. 477., sed fallitur: nam Florus, & Ecclesia Lugd. pro Gothescalchi doctrina pugnarunt, & S. Remigius Amolonis successor ait: *Quæ de prædestinatione docuit*, Gothescalchus, *vera sunt, & ideo in hac re dolemus, non hunc miserabilem, sed ecclesiasticam veritatem esse damnatam.*

ejusque canones a Concilio Tullensi plenario 12. Provinciarum firmati sunt.

Dices, cum Alexandro, Valentina decreta non pugnare cum Carisiacis: ergo &c.

R. Posset responderi, aliter judicasse Valentinos Patres, qui in iis errorem notarunt, & Hincmarum, qui miratur, ea capitula ab Episcoporum primoribus fuisse damnata. Sed demus Alexandro, Valentinos Patres errore facti putasse in iis capitulis errorem contineri; demus, Valentinos canones ab Ebbone Hincmari hoste corruptos esse, licet oppositum eruatur ex Hincmaro aliisque: sicut ergo erravit Valentina Synodus errore facti per Alexandrum, & canone 4. proscripsit hæresim Semipelagianam, ita errare potuit Carisiaca, & quatuor capitulis damnare hæresim Prædestinatianam, quam a Gothescalcho, errore facti, credidit propugnari. Christum enim pro solis prædestinatis efficaciter mortuum esse, & dari prædestinationem impiorum ad mortem, nedum Gothescalchus, sed etiam Augustinus, Fulgentius, Prosper, aliique asserunt. Si Ebbo, ob simultatem cum Hincmaro, canonem 4. Valent. Syn. vitiavit, cur non potuit Carisiaca cap. vitiare Hincmarus ad fallendum proclivior? Non est tamen dissimulandum Gothescalchum verum dogma imprudenter asseruisse; nam prædestinationem ad mortem ita prædicavit, ut multi in desperationem inducerentur. Defuit ergo Gothescalcho & macula erroris, & cordati theologi temperamentum.

CAPUT XV.

An populis prædicanda sit Augustiniana de gratuita prædestinatione sententia.

AUGUSTINIANA de gratuita prædestinatione sententia removeri virtutes, & torporem induci, adeoque nec populis prædicandam vetustissima est Semipelagianorum querimonia, quam etiamnum inge-

ingeminant quidam fraternæ caritatis obliti: contra quos sit

Propositio. Opportunum est populis prædicare Augustinianam de gratuita prædestinatione sententiam, prudenti tamen, ex Augustini monitis, temperamento.

Prob. I. pars auctoritate Augustini, qui in lib. de Don. Perf. c. 20. ait: *Quid est, quod isti dicere existimant: etsi verum est, quod dicitur de prædestinatione, non est tamen populis prædicandum? Prædicandum est prorsus, ut qui habet aures audiendi audiat.* Cujus rei rationem profert S. D. Si enim recte prædicatur pudicitia, pietas &c., ut Deus recte collatur: recte ergo prædicatur prædestinatio gratuita, ut nemo nisi in Domino glorietur. Et c. 22., postquam monuit, in unoquoque excitandam spem, & sedulam legis observantiam, subdit: *Hæc atque hujusmodi cum dicuntur, sive paucis, sive multitudini Ecclesiæ, cur metuimus prædestinationem prædicare?* ergo &c. (1).

(1) Idipsum probari potest auctoritate Romani Pontificis Pauli III., qui speciali Brevi sub die 11. Martii an. 1538. hanc doctrinam probavit in Augustino Musæo Tarvisino Ord. Erem. S. Augustini Theologiæ Magistro, qui eam 20. circiter annis in celebrioribus Italiæ urbibus prædicaverat, cumque, ea de re, tanquam violatæ fidei esset ab aliquibus postulatus, ornatissimam doctrinæ apologiam Pontifici exhibuit, quam ille Archiepiscopo Brundusino, & Magistro S. Palatii tradidit examinandam. Quibus *omnibus mature consideratis, sanam doctrinam*, a Musæo traditam fuisse deprehendit Pontifex, sed populum non ita accepisse, quod ille commissariis prædictis explicaverat. Quamobrem jussit, *ut ad civitatem Senarum*, & Vicetiæ, se conferret, *& in publica prædicatione eam doctrinam, quam Commis-*

Prob. II. ratione. Hæc enim doctrina non removet, ut adversarii contendunt, sed promovet virtutes, & vitia coercet: ergo &c. Prob. ant. Per eam quippe in fidelibus excitatur HUMILITAS, quod nemo ab altero se ipso, sed Dei liberalitate discernitur: SPES intuitu divinæ misericordiæ, cui complacuit pusillo gregi regnum parare: TIMOR ex consideratione humanæ infirmitatis, cujus arbitrium, nisi adjuvetur a Deo, nonnisi ad peccandum valet: CARITAS recogitando summam Dei dilectionem, qua *non ex operibus justitiæ, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit*: GRATITUDO erga Christum, qui redemit nos in sanguine suo, & fecit nos Deo nostro regnum; & FUGA PECCATI, cum simus incerti, an post culpam gratia victrix donetur, qua cordis durities penitus auferatur: ergo &c.

Prob. II. pars ex ipso Augustino, qui cit. lib. de Don. Perf. c. 22. ait, *Prædestinatio non ita populis prædicanda est, ut apud imperitam multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædicatione videatur, si dicatur: Sive curratis, sive dormiatis, quod vos præscivit, qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi vel imperiti medici est utile medicamentum sic alligare, ut vel non prosit, vel obsit.* Constat autem ex Gothescalchi historia, veram etiam doctrinam offensionem quandoque excitare posse: atqui ex Augusti-

sariis explicaverat, *& se tenere, & prædicasse dixerat, ita clare & distincte diceret, ut in formula, & responsionibus descripta continetur.* Mandans præterea Vicariis Generalibus Patriarchæ Aquilejensis, & Episcopi Tarvisini, ne eum permitterent per quoscumque, ea de re, quomodolibet molestari. Ex his ergo constat, doctrinam de gratuita prædestinatione, & sanam esse, & populis prædicandam, &, quod secundo loco positum est, adhibendum in ea prædicanda prudens, ex Augustini monitis, temperamentum.

gustino lib. laud. c. 16., *Utile est, ut taceamus aliquid verum propter incapaces, maxime si timendum sit, ne pejores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt, facere doctiores:* ergo &c.

Quibus verbis monentur Augustini discipuli, ut a vocabulis, atque sententiis durioribus abstineant, quæ imperitos turbare possent, tum a prædicanda prædestinatione ad mortem, ne ipsa veritas fiat occasio scandali simplicioribus, & mulierculis ad desperandum pronis: præsertim cum in sacris literis summa Dei miseratio, bonitas, atque voluntas salvandi omnes passim commendetur. Qua de re imprudenter se gereret sacer orator, qui tantum ostenderet, non posse prædestinatum a gloria excidere, aut reprobum vitare supplicia. Licet enim prædestinatis ex Dei beneplacito salus, reprobis ex prævisione meritorum æterna supplicia parata sint, tamen sacræ literæ vitæ æternæ coronam nonnisi legitime certantibus exhibent, contra, ignem solis transgressoribus minitantur. Nec omnino laudandus esset, qui adversus prædicantem prædestinationem ex meritis obloqueretur, tum quia hæc doctrina nulla censura notata est, & de ordine executionis est verissima; tum quia sacri oratores moribus efformandis, non quæstionibus enodandis incumbunt.

Oppones. Leonardus Utinensis Ordinis Prædicatorum anno 1549. accusatus est apud Grimanum Patriarcham, quod in concione dixisset: I. *Prædestinatus nullo modo damnari potest:* II. *Prædestinatio in arbitrio nostro posita non est.* Grimanus vero, ob ejus defensionem, ut hæresis suspectus, ad Inquisitionem delatus est: ergo non licet populo prædicare prædestinationem gratuitam.

R. Leonardum injuria accusatum, & pro eo pugnasse Grimanum epistola ad Vicarium Generalem Utinensem, ubi gratuitæ prædestinationis sententia defenditur, & quoad dogma probatur a Patribus Trid.

 Quod

Quod constat I. ex epistola Card. Lotharingiæ ad Pium IV., ubi ait, Grimanum unanimi consensu fuisse purgatum. II. Ex epistola ad S. Carolum Borromæum a quatuor Cardinalibus subscripta, ubi habetur: *Judicarunt omnes, Grimanum absolvendum a calumnia.* III. Ex votis Episcoporum, & theologorum apud Pallavicinum in Historia Conc. Trid. IV. Ex sententia absolutionis Grimani sub die 14. Septembris 1563., ubi ejus epistolæ a nota hæreseos vindicantur.

Inst. Grimani epistolæ interdictæ sunt a Patribus Tridentinis: ergo &c. R. dist. ant. Interdictæ sunt propter dogma prædestinationis gratuitæ, neg.; ob quædam ibi minus exacte exposita, conc. Non enim vetitum est a Tridentinis Patribus, ne gratuita prædestinatio prædicaretur, sed ne vulgarentur Grimani epistolæ, non propter dogma, sed propter aliqua, quæ ille in theologicis disputationibus minus exercitatus non satis exacte explicaverat, ut constat ex laud. epistola ad S. Carolum.

Inst. II. Grimanus post Tridentini sententiam rursus ad Inquisitionis tribunal delatus est: ergo &c. R. neg. cons. Irrito enim perversorum consilio hoc factum est; nam inde ejus innocentia magis refulsit, ita ut hymni laudis ei publice canerentur (1).

CA-

(1) Opponi etiam posset, ex laud. Brevi, *populum, ob hujusmodi doctrinæ difficultatem scandalum passum in perniciem*, & Musæum ipsum Venetiis *carceribus mancipatum*: ergo, etsi vera est, hæc doctrina prædicanda non est: *Utile est enim*, ex Aug., *ut taceamus aliquod verum propter incapaces, ne pejores faciamus &c.* Sed constat ex Brevi ipso, Musæum, nedum *pristinæ famæ & honoribus restitutum*, & ejus doctrinam, ut sanam probatam, sed ipsi jussum esse a Pontifice, ut in *publica concione eam clare & distincte*

CAPUT XVI.

De numero, ac signis prædestinatorum.

Soli Deo cognitum esse numerum electorum Ecclesiæ orationes demonstrant. Quidam tamen opinantur, eos comparandos esse angelis lapsis, vel iis, qui steterunt. S. P. A. l. 22. C. D. 1. de cælesti Jerusalem hæc habet: *Nulla civium suorum, idest angelorum lapsorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse regnabit.* Quid nos ea de re sentiamus declarabit sequens

Propositio. Magnus est electorum numerus, sed valde exiguus, si comparetur cum numero reproborum.

Prob. I. pars. Apoc. 7. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus stantes ante thronum:* ergo &c. Prob. II. pars Matth. 7. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam.* Luc. 13. *Multi quærent intrare, & non poterunt.* Matth. 22. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Qui proinde, *pusillus grex*, vocantur in evangelio, *ob majorem numerum reproborum*, ut ait Bedas in Lucæ 12.

Prob. II. ex Patribus. Aug. Ps. 48. ait, vix unum esse vel duo, *qui videntur observare præcepta Dei. Ipsos solos liberaturus est Dominus, & cæteros damnaturus.* Greg. Magn. hom. 14.: *Ad fidem multi veniunt, sed ad cælestia regna pauci perveniunt.* Chrysost. or. 14. ad Antioch. ait: *Quot putatis esse in civitate, qui salvi fiant? Non possunt in tot millibus centum inveniri, & de his dubito.*

Prob. III. ratione. Nam in lege naturæ multa malitia hominum erat in terra, omnis quippe caro cor-

ste diceret, ut populus inde erigeretur ad salutem, unde scandalum passus est. Ex Augustino solum evincitur, servandum hac in re prudens cordati theologi temperamentum, ut 2. parte propositionis supra probatum est.

corruperat viam suam, itaut aquis diluvii omnia consumpta fuerint. Post diluvium crevit iniquitas, idolorum cultus, & effrenis libido. In statu legis soli Judæi legem habuere, & de iis etiam cecinit David: *Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* In lege gratiæ major est pars Ethnicorum, & Hæreticorum. Vix enim Catholici partem tenent Europæ, & Americæ, neque ex his omnes salvi fiunt: nam, *præter paucissimos, qui mala fugiunt, quid est aliud pene omnis cœtus Christianorum, quam sentina vitiorum?* ut ait l. 3. Provid. Salvianus: constat ergo gregem prædestinatorum esse vere *pusillum.*

Quæres, quænam sint signa prædestinatorum? R. Primum esse mundi voluptatibus renunciare. II. persecutiones, ac probra propter justitiam æquo animo ferre (*a*). III. Humilitas spiritus, qua efficiamur sicut parvuli (*b*). IV. Amor Dei, & proximi cum observantia divinæ legis (*c*). V. Dei verbum libenter audire (*d*). VI. Specialissimus Deiparæ cultus &c. VII. Non confidere in homine, sed in Deo (*e*). VIII. Sollicitudo vitandi peccata, studium placandi Deum, sacramentorum frequentia, candor morum, divini judicii formido &c.

DISSERTATIO II.

De prædestinatione impiorum ad mortem.

PRÆDESTINATIONEM, aliam esse electorum ad vitam, aliam impiorum ad mortem supra observavimus. Hæc autem, reprobatio simpliciter dici solet, & duplex est: scilicet positiva, & negativa. Illa est actus divinæ voluntatis, quo reprobis infligenda pœna decernitur: hæc vero est prædestinationis privatio, seu non electio aliquorum ad gloriam, electis aliis. De utraque agemus hoc

(a) *Matth.* 5. (b) *Matth.* 18. (c) *Jo.* 14. (d) *Jo.* 8. (e) *Ps.* 39.

hoc loco: tum de reprobationis effectibus, de reproborum numero, ac via perditionis breviter de more tractabimus.

CAPUT I.

De reprobatione positiva.

Cum reprobi in sacris literis passim dicantur, *maledicti*, *vasa iræ*, *& contumeliæ*, *repulsi* &c., dari reprobationem negari non potest, dicente Domino Matth. 25.: *Ite maledicti in ignem æternum* &c. Hujus reprobationis caussam, non aliam agnoscit Calvinus, præter divinam voluntatem, adeoque independenter a prævisione cujusque peccati, tam actualis, quam originalis putat, aliquos cum angelos, tum homines a Deo conditos ad gehennam, iisque Deum imponere peccandi necessitatem, & efficaciter ad peccatum impellere. Ita Calvinus (*a*), Zuinglius (*b*), Piscator (*c*), Beza (*d*), aliique Calviniani: licet Glassio (*e*) hæc sententia visa sit detestabilis. Sit itaque

Propositio. Calvinianum dogma de reprobatione horrendum est & execrabile.

Prob. I. Scripturis. Sap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Osee 13. *Perditio tua ex te, Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Jac. I. *Deus intentator malorum est.* Concilium Arausicanum (*f*) can. 25. dicit anathema iis, qui credunt, aliquos ad *malum* esse *prædestinatos.* Synodus Valentina (g) can. 3. statuit: *In damnatione meritum malum præcedere justum Dei judicium.* Et Tridentinum sess. 6. can. 6. ait: *Si quis dixerit, reliquos omnes, qui vocantur, gratiam*

 non

(a) *Exp. ep. ad Rom.*, 3. *Inst.* 21., *& alibi.*
(b) *Serm. de Provid.* (c) *In not. ad Coll. Worst.*
(d) *De prædest.* (e) *Sess.* 6. *can.* 6. *&* 17.
(f) *Celebratum est an.* 520.
(g) *Celebrata est an.* 855.

non recipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.

Prob. II. ex traditione; quam etiam agnovere Magdeburgenses (*a*), qui de Patribus Apostolis coævis ajunt: negasse *hominis, & diaboli lapsum fatali necessitate contigisse, nec prædestinationem in eo Dei, sed præscientiam solam admiserunt.* Vossius (*b*) etiam plura ea de re Justini loca collegit; sed his omissis, Aug. 13. Trin. 12. ait: *Modus iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam Deus hoc fecerit, aut jusserit, sed quod tantum permiserit, juste tamen;* & l. 3. contra Jul. *Non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* S. Prosper obj. 7. Gall. ait: *Reproborum lapsum Deo adscribere immodicæ pravitatis est.*

Prob. III. rationibus Augustini. I. Calvini dogma ordinem universi pervertit: ergo execrabile est. Pr. ant. ex l. 3. de lib. arb. 9. *Si peccatis detractis miseria perseverat, recte deformari dicitur ordo universi.* II. Ex eo dogmate tollitur Dei providentia, & justitia. Nam *providentia Dei*, ait S. P. ib., *regitur mundus, & ideo nunquam esset istorum æterna miseria, nisi esset magna malitia.* Justitia vero: nam *omnis pœna*, ait l. 3. arb. 18., *si justa est, peccati pœna est.* III. Calvinus Deum facit tyrannum; si enim de Pelagianis recte ait S. P. l. 2. Imp., *cum dicitis nullum peccatum parvulis imputandum, injustum facitis Deum, qui eis grave jugum imposuit;* quanto magis Calvinus Deum facit injustum, qui non solum vult, absque culpa excludi a gloria creaturam Dei, sed etiam prædestinari, ex sola Dei constitutione, ad interitum sempiternum.

R. Calviniani, Deum præparare quidem reprobis supplicium independenter a meritis, sed non infligere, nisi post culpam: sicuti gloriam paratam ante

(a) *Centur.* 2. *c.* 4.
(b) *L.* 7. *H. Pel. P.* 1. *Th.* 2.

ante prævisionem meritorum non confert, nisi post merita. Sed inepta responsio; sicut enim pœnæ inflictio per Calvinum injusta esset, si innocentes afficeret, ita injustum est decretum, quod pœnam decernit absque culpæ prævisione. Deinde hoc decretum vel justum est, vel injustum: si primum; poterit ergo executioni mandari, licet reprobatus innocens perseveret: si secundum; injustus est Deus, qui injusta decernit. Nec valet comparatio prædestinationis ad gloriam; hæc enim, cum sit opus misericordiæ, non supponit merita, sed efficit; justitia vero dignis rependitur.

R. II. Calvinistæ. Etiam catholicos reprobationem admittere, sine peccatorum præscientia. Sed ii de reprobatione negativa loquuntur, non de positiva. Aliud est non eligi ad gloriam indebitam, aliud destinari ad pœnam soli culpæ debitam. Qui vero ajunt, posse Deum etiam innocentes igni addicere, non loquuntur de ordinaria, sed de absoluta potentia: vide notam c. 7. l. 2. Calviniani autem de hac providentia loquuntur.

Ob. I. Legitur 1. Petr. 2. *Qui offendunt verbo, nec credunt in quod & positi sunt*: ergo aliquis efficienter prædestinatur ad non credendum: ergo &c. Pr. conf. Nam τιθέναι sæpe sumitur pro destinare, ut Grotius ostendit: non ergo legendum est, ut vulgata, *in quo*, sed *in quod positi sunt*, ut legit Beza, cujus lectionem probat græca εἰς ὃ *in quod*. Quibus verbis significatur, aliquos efficienter prædestinari ad non credendum, quippe neutrum ὃ nequit ad masculinum λόγον referri: ergo &c.

R. neg. conf. ad prob. neg. conf. Vulgata enim lectio tenenda est, quam confirmat Arabica, & Syriaca, quæ habent: *in quem positi sunt*: aut ergo græca emendanda est, aut neutrum ὃ respondet λογῳ *Verbo*, prout Christi personam indicat, ut 1. Jo. 1. *Quod erat in principio*. Deinde non legi-

legimus, *positi sunt a Deo;* si ergo ultro daremus Bezæ, reprobos in incredulitate positos esse, non sequitur Dei decreto esse positos, sed propria malitia.

Ob. II. Exod. 7. *Ego indurabo cor ejus.* Jo. 12. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor, ut non intelligant:* ergo &c.

R. dist. conf. Deus indurat & excæcat subtrahendo gratiam, conc.; impertiendo malitiam, neg. *Excæcat*, ait S. P. Tract. 53. in Joan. *& obdurat Deus deserendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* Et l. 20. contra Faust. ait: *In opere malo aliud venire de astutiæ suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis, cum diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit:* ergo &c.

Dices Augustinus l. de Gr. & arb. c. 20. docet exemplo Pharaonis &c., *Operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, sive ad bona, sive ad mala, pro meritis eorum:* ergo Deus trahit efficienter reprobos ad perditionem.

R. dist. conf. Trahit directe, & per se, neg.; indirecte, & permissive, conc. Ita D. Th. in Ep. Rom. 9. ubi ait: *Instinctu quodam moventur homines a Deo ad bonum, & ad malum. Nam ad bonum inclinat voluntates directe & per se, tanquam auctor bonorum: ad malum autem occasionaliter, in quantum Deus homini proponit, quod ex se est inductivum ad bonum, sed homo propter suam malitiam utitur ad malum.* Ita regem Deus inclinat ad bonum, puta *ad defendenda jura regni sui, sed hoc instinctu bono malus abutitur, secundum malitiam cordis sui, & hoc modo circa Pharaonem accidit: qui cum a Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem.*

Inst. Repugnat, Deum summe bonum inclinare voluntates ad malum, etiam occasionaliter: ergo &c. R. dist. ant. Repugnat Deum inclinare, id est constituere in tali occasione, quæ per se trahit ad

ad peccatum, conc.; quæ trahit per accidens, & posset illum excitare ad bonum, nisi malitia sua abuteretur in malum, ut de Pharaone dictum est, nego.

CAPUT II.

De reprobatione negativa.

NOT. I. Thomistæ complures, quos sequitur Sylvius, Estius, aliique docent, reprobationem negativam nullum ex parte reprobi habere motivum, sed Deum absolutum donorum suorum Dominum, sicut absque meritorum intuitu aliquos elegit ad gloriam, ita absque prævisione peccati plurimos reprobasse. Quæ opinio a Calvini dogmate quam longe abest. Non enim putant Thomistæ, ex Dei reprobatione fieri peccata, aut reprobos creatos ad necem, ut ait Calvinus, ad illam trahi fatali necessitate. Verum cum ipsi in statu innocentiæ gratuitam prædestinationem propugnent, coguntur reprobationem negativam, saltem angelorum, admittere ante prævisionem peccati, sicuti ante meriti prævisionem, eorum electionem propugnant. Quo enim instanti angeli alii prædestinati sunt, alii reprobati sunt negative, idest non electi: ergo datur aliqua reprobatio negativa, nempe angelorum ante prævisa merita, ut Gotti fatetur. Coguntur ergo Thomistæ fateri reprobationem negativam in hominibus opus esse justitiæ ob peccatum originale, in angelis autem denegationem indebiti beneficii: corruunt ergo Augustini argumenta, quibus contra Pelagianos originalis peccati existentiam ostendit ex ipsa exclusione a regno cælorum. Reponerent enim Pelagiani, etiam angelum, cum elevatione ad finem supernaturalem creatum, nulla culpa exclusum a gloria: licet ergo parvuli ad finem supernaturalem elevati essent, exclusio ista pœna non est, neque ex ea evincitur, illos obnoxios esse peccato.

Not.

Not. II. Augustini sententia est, voluisse Deum homini, & angelo salutem & gloriam in primo creationis instanti conferre, non absolute, sed si per liberum arbitrium in accepta justitia stetissent. Prævidit enim ex angelis alios perseveraturos, alios casuros, & illos ad gloriam assumpsit, hos in sua perditione reliquit; pars ergo angelorum ob meritum electa est, pars alia ob demeritum reprobata. Vidit etiam Adæ culpa humani generis massam infectam, quam statuit reparare per mortem Filii sui, cujus beneficio noluit omnes Adæ posteros fieri eodem modo participes. Quibusdam enim talem gratiam conferre constituit, qua finaliter perseverent: atque hi sunt vasa misericordiæ, seu prædestinati: reliquis vero Deus donorum suorum Dominus noluit tantam gratiam impertiri, sed justo judicio permittit, ex ea perditionis massa nonnullos privari gratia Baptismi, quosdam etiam ex baptizatis sua libertate perire. Qui ergo damnatur, ob originale peccatum aliquo pacto damnatur: sed alii proxime, alii remote. Proxime ii, quibus hoc peccatum non remittitur per Baptismum; remote autem, & *radicaliter* tantum alii, quibus originale peccatum remissum est, sed justo Dei judicio cadere permittuntur, & libero voluntatis arbitrio perire. Hæc vera est Augustiniana doctrina, quam tradit S. P. in pluribus locis (*a*), Fulgentius (b), S. Prosper (*c*), PP. Africani (*d*), nec non D. Thomas, ejusque celebriores discipuli Zumel, Lemos, Bancel, Godoi, Gotti. Ex nostratibus ferme omnes: Norisius, Ariminensis, Argentinas, Gibbon, Gavardi, Bellelli, Manso, Piette &c. Ex Scotistis Macedo, & Frassen. Ex recentioribus Juenin, Du-

(a) *Ep.* 105. *ad Sixt.*, *Ench.* 98., *& lib.* 3. *contra Jul. cap.* 3.
(b) *L.* 1. *de Ver. præd. & gr.*
(c) *Ad* 7. *Obj. Gall.*
(d) *In epist. Synod. c.* 6.

Du-Hamel, Habert, l'Herminier. Ex ipsa S. J. Bellarminus, Suarez, Simonet, Vasquez, &c. Sit itaque

Propositio. Reprobatio negativa ex parte reprobi caussam habet originale peccatum.

Prob. I. ex Ap. Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi; Esau autem odio habui.* Et v. 21. *An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* quæ verba de reprobatione negativa accipi debent, non de positiva, quæ fit ob actualia peccata. Et sic arguitur: qui reprobati sunt negative, odio habentur a Deo, & vasa iræ, aut contumeliæ appellantur: sed ex Augustini epistola ad Xistum Deus nil aliud *Oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum;* & ex l. 1. ad Simpl. q. 2. *Non odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem:* ergo &c. II. potest Deus ex eadem massa unum eligere, alium reprobare; sed si hæc massa, antequam inficeretur, foret Dei lubitu destinata, ut ex ea fierent vasa iræ, *Id merito* (ait S. P. ep. 157. ad Opt.) *videretur injustum: quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ pertinet ad debitam pœnam.* III. qui reprobationem negativam defendunt, ajunt, Deum excludere creaturam a regno, tamquam ab indebito beneficio: atqui Deus neminem deserit, nisi prius deseratur; & sola exclusio a regno maxima pœna est, cujus non aliam caussam assignat Augustinus ep. ad Xistum præter originale peccatum: ergo &c.

Pr. II. ex August. l. de Corr. & Gr. 11. & 12., ubi docet, Adamum non indiguisse perseverantiæ dono, quia tales vires habebat ejus recta voluntas, ut perseverandi facultas ejus committeretur arbitrio. Nunc autem ad perseverandum opus est auxilio validiori, quia si in tanta infirmitate sibi relin-

relinqueretur, inter tot tentationes voluntas ipsa succumberet. Quare peccato Adæ perdita est potentia proxime expedita perseverandi, quæ modo prædestinatis confertur per auxilium actualis perseverantiæ, sive per adjutorium, *quo* Deus operatur in nobis velle, & perficere. Hocque adjutorium quibus deest pœna peccati est. Ex quibus sic arguitur. Illi negative sunt reprobati, quibus Deus non præparavit donum actualis perseverantiæ, neque conferre decrevit adjutorium, *quo* vividiori gratia reddantur in extremo agone potentia proxime expedita, ut nulla adversitate vincantur: sed hujus potentiæ privatio in nobis est pœna peccati originalis: ergo propter hoc, saltem remote, quilibet reprobatur. Vide l. 4. diss. 2. c. 6. & 7. II. S. P. A. prædestinationem gratuitam admisit solum post Adæ peccatum: eamqne definit l. de D. Pers. 14. *Præscientia, ac præparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur &c.* sed liberatio pœnam supponit: ergo, sicut prædestinatio, ita reprobatio negativa peccatum supponit, quæ cum sit, *non electio electis aliis*, sit cum prædestinatione eodem instanti. III. Ex reprobatione fiunt homines *vasa iræ &c.*: ergo, si fieret absque culpa, Deus esset injustus. Si enim hæc *massa*, ait S. P. ep. 86., *esset ita media, ut nihil boni, nec mali mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam:* ergo &c. IV. S. P. l. 3. contra Jul. c. 3. demonstrat contra Pelagianos originale peccatum hoc argumento: Per vos excluduntur parvuli a regno cælorum, quæ maxima pœna est: sed justus Deus pœnam non infligit sine culpa: ergo &c. Sed hoc argumentum nullum esset, si creatura ad regnum ordinata posset ab eo excludi sine culpa: ergo &c. *Si parvam pœnam fatemini, quæ magna est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei, videte qua justitia pœna ista infligenda sit parvulo, quem originali obnoxium negatis esse peccato.* Ita S. P. ibid.

Pr. III.

Pr. III. ratione. I. Reprobatio negativa est non electio aliquorum, electis aliis: sed non electio supponit originale peccatum: ergo &c. II. Reprobatio negativa pœna est: ergo culpam supponit. III. Licet gratia, & gloria non sit debita rationali creaturæ, ex quo tamen Deus eam condidit cum originali justitia, iniquus esset, si stantem in gratia, sine culpa a regno cælorum excluderet. IV. Sicut prædestinatis gratis datur perseverantia, ita reprobis justo judicio negatur: sed hæc negatio pœna est originalis peccati: ergo & reprobationis negativæ caussa est originale peccatum.

Ob. I. Ap. Rom. 9. ait, Esau odio habitum, antequam aliquid boni egisset, aut mali: ergo. II. Apostolus id refundit in Dei potestatem exemplo figuli, qui ex arbitrio alia vasa in honorem, alia in contumeliam fingit: ergo &c. III. S. P. de D. Pers. 8. tam reprobationem, quam prædestinationem, refundit in inscrutabilia judicia Dei; ait enim, *In hac re, sicut justa est ira ejus, ita inscrutabilia judicia ejus.* Et S. Th. l. 1. ad Annib. ait: *Voluntas, secundum quam vult Deus aliquem non salvari, non requirit rationem ex parte voliti, cum salus non sit debita naturæ humanæ.* Accedit ratio: Deus enim est gloriæ dominus absolutus: ergo potest eam denegare creaturæ, etiam sine culpa.

R. ad I. dist. ant. Et Ap. ibi excludit merita personalia, conc.; originale peccatum, neg. Constat ex dictis. Ad II. dist. ant. Refundit in Dei judicia reprobationem relativam, conc.; absolutam, neg. Cum enim omnes spectent ad eandem massam, & possit Deus juste universam damnare, voluit ex ea fieri quædam vasa honoris, quædam contumeliæ. Qua in re, sicuti justa est ira ejus ob peccatum, ita magna est misericordia. Hinc S. Th. q. 3. de Verit. a. 2. ait: *In electione ratio est divina bonitas, ratio autem reprobationis peccatum originale, ut Augustinus dicit.* Quod ergo S. Th. scribit ad Annib. accipi debet de massa humani generis spectata cum

originali noxa, qua ſuppoſita, gloria eſt indebita, cum tamen deberetur creaturæ conditæ cum originali juſtitia, ſi in ea ſtetiſſet. Ex his autem ſolvitur ratio ultimo loco producta. Ad III. diſt. ant. Refert ad Dei judicium reprobationem comparative acceptam, conc.; abſolute, neg. Reprobatio ergo ſumi poteſt abſolute, ſi quæras, cur reprobatus ſit Cain, Judas, Eſau? comparative, ſi quæras cur ſit reprobatus Cain, non Abel? cur Eſau, non Jacob? &c. Priori ergo quæſtioni reſpondetur: Propter peccatum originale. *Ex uno quippe omnes in condemnationem. Qui ergo liberatur gratiam diligat, qui non liberatur debitum agnoſcat.* Ita S. P. l. de D. Perſ. 8., cui ſubſcribit S. Th. in Ep. ad Rom. Alteri autem quæſtioni: cur liberatus eſt Abel, non Cain? R. cum Apoſtolo: *An non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Vel cum Aug. ib. *Cur iſte aſſumatur, ille derelinquatur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei.*

Ob. II. Trident. Synodus ſeſſ. 5. de orig. peccato ait: *In renatis nihil odit Deus; quia nihil damnationis eſt iis, qui conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma:* ergo in iis ſaltem hoc peccatum non eſt reprobationis cauſſa. R. Hoc argumento, plures ab Auguſtino receſſere, non percipientes, quomodo originale jam remiſſum ſit cauſſa reprobationis negativæ. Ubi nota, hanc eſſe ſecundam objectionem Gallorum, cui non reſpondet Proſper, Auguſtinum de baptizatis non loqui: novit enim ex Auguſtino Deum odiſſe in Eſau originale peccatum, cui per circumciſionem remiſſum fuerat. Recurrendum eſt ergo ad ſupra ſtatuta Auguſtini principia. Nempe, ex originali peccato, nedum ſequi privationem gratiæ ſanctificantis, ſed etiam potentiæ proxime expeditæ ad perſeverandum, quæ privatio tollitur per auxilium *quo* neceſſarium in hoc ſtatu, ubi non amplius viget arbitrii ſanitas, quam perdidimus, & quam perficit medicinalis Chriſti

Christi gratia. Qui ergo non baptizantur a regno *proxime* excluduntur propter originale, ex quo sequitur privatio gratiæ sanctificantis; qui vero baptizantur reprobantur propter originale *remote*, quatenus non datur eis donum perseverantiæ, & potentia proxime expedita, per speciale illud adjutorium, *quo* Deus in homine operatur, ut velit. Ita Augustinus, Africani PP. Greg. M., aliique ap. Noris. in Vindic.

Itaque ad arg. R. dist. ant. *Nihil remanet*, ideft deletur penitus peccati macula, & infunditur habitus gratiæ sanctificantis, non vero, ut ajunt hæretici, originaria labes non imputatur, aut tegitur, conc.; nihil remanet, ita ut in renatis sanetur vulnus concupiscentiæ, reddatur libertas vegetior, quam habuit Adam, aut conferatur unicuique auxilium *quo*, & donum actualis perseverautiæ, neg. Nam Tridentinum ibi definit, manere in baptizatis concupiscentiam, quam Apostolus *peccatum appellat, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Et sess. 6. ait: *Justificatum sine speciali auxilio Dei perseverare non posse.*

Dices: Deus remittens reatum, remittit etiam pœnam peccati: atqui renatis remittitur reatus: ergo & pœna. R. dist. maj. remittit pœnam, ideft debitum proxime connexum cum ipsa culpa, conc., connexum remote, neg. Exclusio a gloria est proxime connexa cum reatu, & remote cum privatione potentiæ proxime expeditæ, sive specialis auxilii actualis perseverantiæ, quæ privatio est pœna peccati. Renatus ergo non damnatur proxime ob labem originalem; nihil enim damnationis in eo remanet; damnatur tamen ob eam labem remote, quia, ut ajunt Africani PP., *Impius per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permanet, illius judicio relictus, qui gratis salvat, justeque damnat.*

Inst. Adam innocens caruit dono perseverantiæ, & adjutorio *quo* absque labe originali: ergo ejus

privatio non est pœna peccati. R. neg. conf. Nam Adam integer tali gratia non indigebat: nunc autem ad reprimendos concupiscentiæ motus, opus est amplioris gratiæ vi, quam Deus aliis dat, aliis negat, ut qui liberantur gratiam agnoscant, qui relinquuntur judicium (*a*).

Ob. III. Non datur caussa prædestinationis: ergo neque reprobationis. R. neg. conf., *Potest enim Deus*, ait S. P. (*b*), *aliquos sine meritis liberare, quia bonus est, non potest sine meritis damnare, quia justus est.*

Ob. IV. Nonnulli theologi sententiam nostram comparant impio dogmati Calviniano: ergo &c.

R. dist. ant. Comparant justa de caussa, neg.; iniquo judicio, conc. Siquidem Augustiniana sententia toto cælo distat a Calvini dogmate, qui primam reprobationis caussam, non peccatum constituit, sed absolutam Dei voluntatem: cum Augustinus dicat, neminem sine culpa reprobari. Calvinus docet, homines ad interitum impelli: Augustinus, voluntate cadere, qui cadit. Ille ait, in renatis tegi, vel non imputari peccatum originale, adeoque proximam in iis peccati caussam manere. Iste hanc labem Baptismo prorsus abstergi, & remanere ad agonem concupiscentiam caussam damnationis remotam. Calvinus in concupiscentia statuit originalis peccati naturam: Augustinus in macula reatus. Ille nulli reprobo veram fidem, aut justitiam tribuit: Augustinus ex iis plurimos & credere, & justificari fatetur, licet in accepta justitia non perseverent: ergo &c.

CA-

(a) *Vide Aug. de Corr. & gr. 12.*

(b) *L. 1. cont. Jul. c. 12.*

CAPUT III.

De reprobationis effectibus, tum de reproborum numero, ac via perditionis.

Cum Deus non sit efficiens caussa peccati, divinæ reprobationis effectus non est, sed potius caussa; ut enim ait Valentina Synodus, *in damnatione meritum malum*, ut originale peccatum, *præcedit justum Dei judicium*, non sequitur. Alia vero peccata fiunt ex voluntatis malitia, nec decretum supponunt, nisi permissivum. Sunt autem peccata reprobationis caussa diverso modo. Originale negativæ in sensu exposito, & peccatum, quod cum morte conjungitur, positivæ.

Sunt ergo reprobationis effectus permissio actualium peccatorum, & denegatio auxiliorum efficacium. Prævidens enim Deus alicujus peccata, statuit ea non impedire speciali gratia, impium relinquens in manu consilii sui, obdurans & excæcans subtrahendo gratiam, non impertiendo malitiam. Ad malum enim sufficit se sola voluntas. Quare subtrahente Deo gratiam victricem, sequitur obduratio, cujus permissio, non efficientia Deo tribuenda est. Quæ ergo diximus de prædestinationis effectibus sunt etiam de reprobatione, servato utriusque ordine, confirmanda; ita ut reprobationis effectus sit quidquid est a Deo reprobante, & ad damnationem ex Dei intentione perducit. Unde nec reprobi substantia, nec libertas arbitrii sunt reprobationis effectus; non enim ea largitur Deus creaturis, ut pereant. Neque inclinatio ad malum, aut peccatum, sunt effectus reprobationis, cum non sint a Deo efficienter. Sunt ergo ejus effectus permissio peccati, quod nunquam dimittitur, denegatio doni perseverantiæ, excæcatio, & induratio, prout sunt debita hominis derelictio. Et supplicium æternum, quo Deus juste punit, quod ipse non fecit.

Dices. Permissio peccati, quod non dimittitur,

eſt effectus reprobationis: ergo non eſt cauſſa damnationis. R. Permiſſionem illam eſſe effectum reprobationis negativæ, qua negatur donum perſeverantiæ, & peccatum cum morte conjunctum eſſe cauſſam reprobationis poſitivæ; ſicut donum finalis perſeverantiæ effectus eſt gratuitæ prædeſtinationis, & perſeverantia ipſa eſt cauſſa glorificationis. Nihil eſt ergo in ſententia noſtra repugnans.

Quod ſpectat ad numerum reproborum, quantus futurus ſit, ille ſolus novit, cui noti ſunt, qui permaneant ad coronam, aut flammam; majorem tamen eſſe reproborum, quam prædeſtinatorum numerum c. 16. Diſſ. I. dictum eſt. Id vero humiliores nos reddere debet, & magis ſollicitos, ut ibi monuimus,

Via denique perditionis his gradibus conficitur. Primo reprobus leviora peccata contemnit, torpeſcit ſubinde & orationis ſtudium, ac ſenſuum cuſtodia remittitur: unde in majora prolabitur. Deinde contrahitur culpa, quam ſequitur animæ mors. Hinc deſcendit in peccandi conſuetudinem, qua veluti catena conſtringitur. Delabitur poſtea in mentis excæcationem. Tum profundior ſuccedit gradus, ideſt cordis obduratio, maloque inhærens animi pertinacia, de qua Rom. 2. *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.*

Si quis noſtrum, quod abſit, per hos perditionis gradus progreditur, pedem cito retrahat: revertatur a via ſua mala, & ne differat de die in diem, ne quando iraſcatur Dominus & pereat de via juſta. Speret in eo, qui coronat in miſericordia & miſerationibus. Utinam libri hujus aſſidua lectio id præſtet, ut nemo deſperet, nemo intumeſcat.

PARS

PARS SECUNDA

DE DEO TRINO.

DEUM unum, ejusque præcipua attributa, prima hujus voluminis parte sex libris spectavimus. Sequitur de altissimo Trinitatis mysterio pars altera, quam tribus libris complectimur. Quorum primus, qui est servato Auctoris ordine VII., totus erit Polemicus, eoque adversus Judæos & Hæreticos pro fide individuæ Trinitatis pugnabimus. VIII. Apologeticus, in quo Ante-Nicænorum Patrum, aliorumque vindicabimus orthodoxiam. IX. Scholasticus adiaphoras continebit disputationes, quæ salva fide agitari solent in Scholis.

LIBER VII.

In quo pro fide individuæ Trinitatis contra Judæos & Hæreticos disputatur.

Ex fidei inimicis quidam Trinitatem personarum impugnarunt, alii unius, aut alterius personæ divinitatem. Illis itaque revincendis duplici dissertatione occupabimur. Ac I. quidem de numero; II. de divinitate personarum proposita brevitate tractabimus.

DISSERTATIO I.

De trino divinarum personarum numero.

TRINITATEM personarum in Deo, præter Judæos, plures Heterodoxi impugnarunt. I. Montanistæ (a), qui unicam in Deo personam, Hieronymo (b) teste agnovere. II. Noætus (c), qui

(a) *II. Ecclesiæ sæculo.* (b) *Ep. ad Marcellam.*
(c) *III. Ecclesiæ sæculo.*

qui ait eundem esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, qui dedit legem in veteri testamento, in novo autem in similitudinem hominum, & igneis linguis apparuit. III. Marcellus ac Photinus, qui Patrem, Filium, & Spiritum sanctum solo nomine putarunt esse distinctum. IV. His adhæsit (a) Priscillianus. Contra vero Theodorus Mopsuestenus, & Nestorius quaternitatem invexere. V. Impudentissime de Trinitate blasphemavit (b) Michael Servetus, qui *triplicem cerberum* illam appellavit: eumque secuti sunt Ochinus, Danæus, Crellius, Wolzogenius, & Sociniani omnes, quorum insaniam septem sequentibus capitibus refutabimus.

CAPUT I.

In quo Trinitas personarum ex veteri Testamento demonstratur.

Quamvis Deus Hebræis Trinitatis mysterium aperte non revelaverit, ne forte ad idololatriam proni, Deorum adstruerent pluralitatem, ut censent Basilius (c), & Isidorus (d), vel ut gradatim humana fragilitas altissimarum rerum cognitione imbueretur, ut visum est Augustino (e), plura tamen in veteri testamento deprehenduntur sanctissimæ Trinitatis vestigia. Sit itaque

Propositio I. Trinitas personarum evincitur ex v. 1. Geneseos: *In principio creavit Deus* &c.

Prob. I. ex hebraica voce אלהים, *Elohim*. Ibi enim vox illa pluralis numeri cum ברא *Barah* singulari conjuncta probabile saltem pro personarum pluralitate suppeditat argumentum. Licet enim *Elohim* nec personas designet, nec triplicem gradum divinitatis, ut aliquibus visum est, in

(a) *IV. Ecclesiæ sæculo.* (b) *An.* 1531.
(c) *Orat de Moys.* (d) *L.* 2. *Epist.* 143.
(e) *In q. vet. Test. c.* 86.

in ea tamen apud Hebræos inusitata syntaxi latet mysterium. Cum enim Dei opera ad extra fiant per omnipotentiam tribus personis communem, singulari *creavit* Moyses usus est. Cumque in Dei essentia tres hypostases subsistant, plurale *Elohim*, non singulare *Eloha*, aut *Jehova* usurpavit. Neque id exigit hebraica phrasis, ut quidam putant, honoris caussa; licet enim sæpe in sacris literis nomen plurale cum singulari verbo, Hieronymo teste, jungatur, id tamen non postulat linguæ proprietas, sed latens mysterium. *Nisi enim scriptum esset, non licuisset dicere: creavit Elohim*, ut legitur in Beresciit Ketana. Idem tradit Rabbi Moyses Hadar, aliique (*a*). Deinde in sacris literis, ubi *Elohim* pluraliter effertur, ne plures Dii adstruantur, statim singulari conjungitur, ut notat Rabbi Jonatan. Sic, ubi legitur: *faciamus hominem*, statim subditur, *creavit Deus hominem*, & ubi Genes. 11. legitur: *descendamus*; c. 35. legitur: *descendit Dominus*: ergo non ex vi phrasis hebraicæ, sed œconomiæ caussa, conjungitur singulare *Barah* cum plurali *Elohim*. Non enim solent Hebræi, honoris caussa, nomina pluraliter efferre, ut Europæi, nec recte dicitur hebraice, *vobiscum Dominus*, sed, *Dominus tecum*: nec ait Thecuitis 2. Reg. 14.: *servate*, sed, *serva me rex*, ut patet ex sacris bibliis.

Prob. II. Ex voce בראשית, *Beresith, in principio*, quam legit, *in Filio*, auctor *Altercationis Jasonis & Papisci* (*b*), & Tertullianus (*c*): unde Chaldæus Paraphrastes vertit, *in sapientia*. Licet ergo Hieronymus *Beresith* exponat in sensu grammaticali, possumus tamen theologico sensu interpretari, *in sapientia*, vel *in Filio*. Hinc Augustinus in q. ad Dulc. 8. ait: *Intelligimus Patrem in Dei no-*

(a) *Apud Galatinum l.* 2. *c.* 9.
(b) *Apud Orig. l.* 4. *contra Celsum.*
(c) *Contra Herm.* 20.

nomine, & Filium in principii nomine, qui universæ creaturæ principium est. Quam lectionem Picus etiam Cabbala nititur comprobare. Vide Auctorem.

Ob. I. Bellarminus. Pluralitatem personarum loc. cit. negant ostendi viri doctissimi in hebraica lingua. Nec desunt exempla, in quibus ex vi hebraicæ phraseos plurale pro singulari usurpatur: ergo &c. Prob. ant. I. Nam Gen. 24. legit hebræus, *Fœmur Abraham Dominorum suorum;* & Exod. 20. *Non erit tibi Dii alieni.* II. *Elohim* etiam cum plurali jungitur 2. Reg. 7. *Iverunt Elohim*, & alibi passim. III. Nemo hactenus vertit *Barah Elohim*, creaverunt dii: ergo non habet pluralem significatum.

R. ad primam partem ant. Longe plures hebraicæ linguæ peritos ibi deprehendisse mysterium. Nam præter Magistrum, D. Thomam, Catharinum &c. idipsum notarunt clarissimi interpretes Steuchus, Lyranus, Burgensis, & De la Haje; imo Capellus, Glassius, Meisnerus, aliique hæretici, qui Socinianos impugnarunt. Et neg. secundam partem ant. Ad I. prob. R. in voce אדונין, *Adonin*, literam Jod, cum sequatur suffixum, non esse notam pluralis, sed pronominis. Unde a grammaticis dicitur redundans. Deinde, licet appellativa, ut *Adonai*, plurali numero pro singulari efferantur, id in primitivis, ut est *Elohim*, non habet locum. Ad II. respondetur, *Elohim* Exod. 20. dici de diis gentium, qui, cum plures sint, pluraliter efferuntur: dicitur autem *non erit dii*, ut constet non esse eo cultu adorandos, qui debetur vero Deo. At 2. Reg. 7. plurali *Elohim* innuitur personarum distinctio: ad tollendam autem pluralitatem deorum, additur singulare, *ut redimeret.* Ad III. neg. conf. Cum enim Dei nomen substantiam latine significet, nemo vertit, *creaverunt dii*, quod esset scripturis oppositum; nam ex Jerem. 10. *Dii cœlum & terram non fecerunt.*

Ob.

Ob II. Bellarminus. Plurales voces בעלים *Baalim*, אדונים *Adonim*, & אלהים *Elohim* in sacris literis passim de uno homine, aut idolo, de Moyse, de aureo vitulo, de arca, & aqua enunciantur: ergo ex hebraica phrasi plurale pro singulari usurpatur.

R. neg. cons. Vox enim *Baalim* de falsis diis in scripturis dicitur, qui, cum plures sint, ea vox plurali numero effertur. Singulariter effertur, ubi additur nomen unius idoli, ut *Baal*, & *Beelphegor*. Cum de hominibus dicitur, additur ei genitivus, ibique Jod redundat, ut dictum est. Adjectivum singulare קשה *Kasceeh*, additum plurali *Adonim*, partitionem significat, innuitque, singulos Ægypti reges crudeles futuros: hinc Vulgata legit, *tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium*. *Elohim* de uno vitulo dicitur, eo quod in cultum plurium deorum Ægypti fuerit erectus; quo nomine gaudent Moyses, Samuel, & reges, quia Dei vices gerunt; arca ob specialem Dei præsentiam; aquæ denique ad significandas superiores, ut imbres, & inferiores, ut fluviales, atque palustres.

Ob. III. Judic. 13. Manue ait, *Moriemur*, *quia vidimus Elohim*: sed hic erat angelus: ergo &c. R. dist. min. Et angelus Dei personam referebat, unde ait, *moriemur* &c. conc.; secus, neg. Reapse Manue hœdum & libamina obtulit Domino; vel ergo angelus ille Dei personam gerebat, vel Manue pro vero Deo ipsum agnovit.

Ob IV. Petavius. In Hebraica, Ismaelitica, & Arabica lingua res eximiæ pluraliter efferuntur: ergo &c. Pr. ant. Nam & scortum 3. Regum Salomoni ait: *Date illi infantem*: ergo &c. R. neg. ant. Nam duo tantum exempla producit Petavius, *Baalim*, & *Adonin*, quæ cum sint appellativa, non primitiva, ut *Elohim*, non sunt ad rem. Ad prob. neg.

neg. conf. Scortum enim Salomonem fimul, ac lictorem pluraliter alloquitur.

Ob. V. Divinæ perfonæ dici nequeunt dii, vel domini: ergo vel mendum irrepfit in facris codicibus, *aut Elohim* eft nomen fingulare. R. neg. conf. Conftat enim, *Elohim* plurale effe fingularis *Eloha*. Cur autem latine reddi nequeat, dii, vel *Domini* eft, ex D. Thoma 1. p. q. 39. a. 3., *quia diverfæ linguæ diverfum habent loquendi modum, unde ficut Græci dicunt tres hypoftafes, ita apud Hebreos dicitur pluraliter Elohim. Nos autem non dicimus neque deos, neque fubftantias, ne pluralitas ad fubftantiam referatur.*

Propositio II. Ex v. 26. Genef. *Faciamus hominem &c.* demonftratur Trinitas perfonarum.

Prob. I. Verba illa *faciamus &c.* funt unius perfonæ alteram alloquentis, & per illa *ad imaginem &c.* divinæ effentiæ unitas defignatur: ergo &c. II. Imago Patris eft Filius. Generatio enim per D. Thomam eft *in fimilitudinem naturæ*: atqui Filius non effet fimilis Patri, nifi effet ei confubftantialis: ergo &c. III. Spiritus Sanctus, cum fit mutuus amor Patris & Filii, dici poteft fimilitudo utriusque: ergo in verbo *faciamus* intelligimus Patrem, in *imagine* Filium, in *fimilitudine* Amorem. Nam Spiritus Sanctus eft amor Patris ad Filium. Accedunt PP., qui hoc teftimonio utuntur ad probandam Trinitatem perfonarum, Chryfoftomus (*a*), Ambrofius (*b*), Theodoretus (*c*), Juftinus (*d*), nec non interpretes, & theologi ferme omnes: ergo &c.

Ob. I. Illis verbis: *Faciamus &c.* unus Deus angelos alloquitur, ut ait Aben-Ezra, & Maimonides: ergo &c. II. Plato in Tim. ait, in productione hominis a Deo fummo minores fuiffe adhibitos: ergo &c. III. Deum adftantes angelos de Achabi ruina confuluiffe, liquet ex 3. Reg. 22.: ergo

(*a*) *Hom.* 2. *tom.* 5. (*b*) *L.* 6. *in Hexam.* 7.
(*c*) *Q.* 19. *in Genef.* (*d*) *In Dialog. cum Triph.*

ergo Deus hominem conditurus ait, *Faciamus*, quasi cum angelis de suo opificio deliberans.

R. neg. ant. Hebræi enim, qui hanc interpretationem excogitarunt, ne Verbum a Patre distinctum agnoscerent, plures deos videntur adstruere, quod iis exprobrat D. Basilius; nam ad creationem opus est infinita potentia, qua caret creatura. Qui ergo cum Platone minores deos, aut angelos cum Rabbinis assumunt, plures deos videntur admittere: sicque *prærogativam, quam Filio negant, servulis donant*, ut ait Ambrosius. Deinde animam hominis unus Deus creavit, quando *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*. Corpus etiam 2. Genes. *formavit de limo terræ:* ergo totus homo a solo Deo creatus est, *ad imaginem Dei*, non angelorum, ut scriptura testatur. Ad III. neg. ant. Deus enim per angelos malos, non jubendo, sed permittendo, Achab decepit; dedecet enim Dei bonitatem homines in mendacium inducere. Creatio autem ad ejus spectat omnipotentiam: ergo non opus erat, ut angelorum exquireret ministerium.

Ob. II. Illud *Faciamus* Dei auctoritatem significat, qui regum more pluraliter loquitur, ut illi, *jubemus, interdicimus &c.* Addit Socinus Deum, ut solent artifices, se se ad opificium hortari, ut Annibal venenum sumpturus, *Liberemus*, ait, *diuturna cura populum Romanum:* ergo &c.

R. neg. ant. *Si Deus propter auctoritatem in plurali de se loqueretur, oportuisset, eum ita loqui præsertim cum legem daret in Sina*, ait Theodoretus q. 20. in Genes. Principes quidem, *modestiæ gratia, ne soli videantur omnia gerere*, loquuntur fere pluraliter, ait Laurentius Valla. Non ita Deus, qui ait: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Socini commentum sic rejicit Basilius Hom. 9. in Exam. *Quis faber solus sibi admurmurat dicens, faciamus gladium &c.?* Quod si homo dicat labore deterritus, non tamen Deus, qui verbo omnia fecit. Annibal milites alloquitur, qui domus suæ fores

res occluſerant, cujus rei nullum extat in ſacris literis exemplum, ubi Pharao, Achab, aliique reges ſuperbiſſimi non loquuntur pluraliter.

Ob. III. Veteres Rabbini ajunt, iis verbis Deum alloqui terram, unde hominem finxit: ergo &c. R. neg. conſ. Abſurdum eſt enim mortuum elementum ad opem Deo ferendam advocari.

Ob. IV. Nulla creatura eſt Deo ſimilis: ergo verba illa ſunt angelorum, quibus anima ſimilis eſt. R. neg. Conſ. Non enim angelus, ſed Deus creavit hominem ad imaginem ſuam: quam imaginem in ratione conſtituit S. P. l. 24. contra Fauſt. 2.

Ob. V. In. Deo non eſt locutio vocalis, quæ a ſpiritu non emittitur, neque mentalis; cum enim in divinis unica ſit intellectio, non poſſet una perſona ſuam intellectionem alteri dirigere: ergo ea verba ſunt Dei angelos alloquentis. R. diſt. maj. In Deo non eſt locutio mentalis, qua manifeſtetur cogitatio occulta, conc.; qua dirigatur ſermo unius perſonæ ad aliam per communicationem divinorum conſiliorum, nego.

Propositio III. Ex verbis Geneſ. 19. *Dominus pluit ſulphur & ignem a Domino*, probatur diſtinctio divinarum perſonarum.

Prob. I. Ibi enim nomen יהוה, *Jehova*, repetitur cum emphatica propoſitione מאת, *Mehed*, *ex*, *ab*, qua origo unius ab alio exprimitur. II. Nomen illud ſemper ſignificat verum Deum: ergo duæ ſaltem perſonæ ibi exprimuntur, quarum una ab alia originem habet. III. Rabbi Heccados ait, *Jehova ſignificare generantem: at non poteſt generans eſſe abſque genito, propterea nos volumus, generantem, & genitum unam eſſe ſubſtantiam*: ergo &c.

Opp. Repetitio *Jehova* fit loco pronominis, & ſenſus eſt, *Pluit Dominus a ſe* &c. Sic Gen. 4. habetur, *Uxores Lamech* pro *uxores meæ*: ergo &c.

R. neg. ant. Hæc enim repetitio non fit, ubi de

Deo

Deo ſermo eſt, ne Judæis idololatriæ præbeatur occaſio; ſed etſi daremus hoc loco Judæos revinci non poſſe, poſſent tamen hæretici, contra quos eum urget Juſtinus (a), Irenæus (b) Athanaſius (c), Hilarius (d), aliique. Hinc Synodus Sirmienſis anathema dicit ei, qui hunc locum non de *Filio, ac Patre intelligat, ſed ipſum a ſe dicat pluiſſe. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre.*

Dices. Synodus illa fuit conventiculum hæreticorum: ergo &c. R. neg. conſ. Nam Ariani Epiſcopi hac in parte fidei patrocinati ſunt, unde hæc Synodus recipitur ab Hilario (e); nec aliter ſentiunt Patres Antiocheni, in epiſtola Synodica.

Ob. II. *Jehova* convenit monti, altari, ac urbi Jeruſalem: ergo non ſoli Deo. R. diſt. ant. Convenit abſolute, neg.; cum aliquo addito, conc. Mons enim dicitur, *Dominus videt*, altare, *Dominus exaltatio mea*, Jeruſalem, *Dominus illic.* Ibi ergo Dei præſentia, non eſſentia deſignatur.

Propositio IV. Ex aliis locis veteris teſtamenti perſonarum diſtinctio poteſt oſtendi.

Pleraque proferemus, ubi agemus de Verbi, ac Spiritus S. divinitate. Interim prob. Geneſ. 3. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.* Et c. 11. 7. *Venite, deſcendamus, & confundamus linguam.* Pſ. 11. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te.* Pſ. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Pſ. 32. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Iſaiæ 6. *Sanctus ſanctus, ſanctus* &c., quod de perſonarum pluralitate explicat R. Jonatan. Et c. 61. *Spiritus Domini Dei ſuper me*, quod de Spiritu ſancto ſuper Meſſiam habitante exponit R. Kimki: ergo &c.

Opp. Locus Gen. 3. & 11. de angelis accipiendus eſt, quorum ſcientiam Adam expetiit. Nam de iis exponunt Philo, Auguſtinus, aliique. In Pſ. 11. & 119. alloquitur David Salomonem. Pſ. 32. Verbum

(a) *In dial.* (b) *L.* 3. (c) *L. contra Sabell.* (d) *L.* 4. *Trin.* (e) *L. de Syn.*

bum significat Patris vocem, & Spiritus anhelitum oris. Trisagium Isaiæ summam Dei sanctitatem: ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Ibi enim extat *Jehova*, quod angelis non convenit, irridetque ibi Dominus Adamum, quod similitudinem Dei concupierit, ut Angelus concupivit, non per ignorantiam, sed per debitæ considerationis omissionem. Confusionem linguarum, & alia plura fecisse Deum per angelos, non negamus, sed illi divinam majestatem verbis, at signis præseferebant; sequitur enim: *Atque ita divisit eos Dominus &c.* Locus Ps. 11. recte de Christo intelligitur, cum ipsi Messiæ hæreditas gentium sit repromissa. Sed de hoc argumento alibi. Psalmus 119. nequit accipi de Salomone, qui non sedit a dextris David, neque ante Luciferum genitus est, &c. Adde ibi etiam efferri nomen Dei tetragrammaton. De Ps. 32. hæc habet Nyssenus or. 4. Catech. *Quænam tanta virtus proficiscitur a verbis, & ab anhelitu, ut sufficiant ad construendum cælum, & quæ in eo sunt virtutes?* Isaiæ trisagium designat gradum superlativum, sed in eo latet mysterium, ut notat Ambrosius de Fide c. 4. Sequitur enim c. 8. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Ex quibus pluralitas innuitur personarum: ergo &c.

CAPUT II.

De Judæorum, ac Sabellianorum argumento ex Dei unitate petito (1).

AJUNT itaque: Ex scripturis unus Deus prædicatur: ergo personarum consortium excluditur. Prob. ant. Deuter. 6. *Deus noster Deus unus est.* Is.

---

(1) Optime observat Jaquelotius (dissert. 2. *du mistere de la Trinite*) unicum offensionis lapidem, quo Judæi in sua cæcitate tanta pervicacia versantur, ipsum esse Trinitatis mysterium, ex quo tres

If. 44. 6. *Ego primus, & novissimus, absque me non est Deus:* v. 24. *Ego sum Dominus, & nullus mecum:* c. 45. *Ego Dominus, & non est alter:* ergo &c. II. Solus Pater omnia condidit: ergo *non est alius*, præter Deum Patrem. III. Deus Abraham, Isaac &c. est solus Deus Pater; nam Deus Filius a Deo Abraham dicitur glorificatus Act. 3.: ergo Deus Filius alius est a Deo Patre.

R. neg. conf. Ad prob. neg. ant. Nam loca illa unitatem naturæ, non personæ significant. Sic Deut. 6. prædicatur unitas Dei contra deorum pluralitatem, sed mysterio non caret trina divini nominis repetitio, ut notant Rabbini apud Galat. in l. 2 c. 1. Hinc Cabbalistæ notant *Jehova* יהוה *Jehova* ter repetitum cum numerali אחד *Echad*, *unus*, numerum conficere 91. qui resultat ex voce אמן, *Emun*, *veritas*, *amen*, ut constet, non esse summam veritatem, nisi trinum cum unitate conjungatur. Unde probat Glassius, veteres Hebræos a doctrina de Trinitate non abhorruisse. If. 44. vaticinatur Messiæ adventum, qui primus dicitur, quia est *ante luciferum genitus*, & novissimus, quia in fine mundum judicabit, ut explicat Epiphanius. Ad II. neg. ant. Cum enim trium personarum una

---

tres necessario Deos induci arbitrantur. Cum enim fide constet, unum esse verum Deum, nec alium, præter ipsum, jure putant a se Christum rejici, ejusque evangelium, unde tam immane absurdum consequitur. Verum cum *omnes catholici tractatores*, ut ait S. P. A. l. 1. de Trin. c. 4., *hoc intenderint docere, quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus unius, ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres dii, sed unus Deus*, satis constat, nonnisi imperite, aut inique Christifidelibus tribui Polytheismum.

ſit omnipotentia ac divinitas, Patri æque, ac Filio, & Spiritui ſancto creatio tribuitur. Ad III. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Dicitur glorificatus Deus Filius Chriſtianorum, ut carne indutus, ſive in natura humana, qua minor eſt Patre, conc.; in natura, quam communem habet cum Patre, nego.

Præterea revincuntur Hebræi linguæ ſanctæ peritia, veterum Rabbinorum Commentariis, & Cabbaliſtarum obſervationibus, in quibus, licet plura ſint puerilia, conſtat tamen, Hebræos aliquam Trinitatis notitiam habuiſſe. Urgentur etiam Philonis ſui Theologia, qui l. de Sacr. Abel, & Cain agnoſcit in Deo ſermonem mundi opificem, qui neque eſt ingenitus, ut Pater, neque genitus, ut homines. Adde R. Maimonidem, Joſephum Albo, & Aben-Ezram, qui in uno Deo diſtinguunt id, quod cognoſcit, quod cognoſcitur, & cognitionem. Cabbaliſtæ etiam Deum in tria lumina dividebant. Item in Gemara miſſio ſpiritus Dei memoratur. Sicut ergo per eos non repugnant in Deo tria lumina & miſſio ſpiritus, ita nec repugnat diſtinctio perſonarum.

CAPUT III.

Ubi ex novo teſtamento Trinitas perſonarum demonſtratur.

NON ſolum ex veteri teſtamento, ſed ex novo etiam Trinitatem evinci poſſe perfracte negant Unitarii; contra quos ſit

Propositio. Ex novo teſtamento Trinitas perſonarum inviCtiſſime demonſtratur.

Pr. ex Matth. 3. Marci 1. & Luc. 3. ubi Pater & Filius monſtrantur per ea verba: *Hic eſt Filius meus dilectus*, & Spiritus ſanctus per iſta: *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba:* ſed hæc dicta ſunt de filio naturali, non de adoptivo, ut putant Unitarii: ergo &c. Prob. min. ex Hilario, qui l. 6. de Trin. ait: *Alios quidem cognominatos ab*

ab eo in filios, quibus nempe donavit *adoptionis nomen, sed iste mihi Filius est*: ergo &c. Frustra per Spiritum sanctum gratiæ plenitudinem intelligunt, qua donatus est Christus. Quis enim gratiam descendere, aut manere dixerit corporali specie? Neque columba descendit in gratiæ signum, sed Spiritus sanctus quasi *columba*, ut Græcus habet ὡσεὶ περιστερὰν, in quo ὡσεὶ pro similitudine, non pro identitate usurpatur: ergo Spiritus sanctus, non columba descendit, nec inde sequitur, quod inepte arguit Schlittingius, Spiritum sanctum dispertitum fuisse, dum igneis linguis apparuit. Nam a signorum aut imaginum partitione non arguitur divisio personarum, cum unius principis esse possint plures imagines, unde Act. 2. dicitur *Apparuerunt dispertitæ linguæ*, ob charismatum divisionem, *seditque supra singulos*, ob Spiritus sancti unitatem.

Pr. II. Matth. 28. præscribitur baptisma *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: sed *in nomine* unitatem substantiæ, alia verba trinitatem significant personarum: ergo &c. Si enim Pater & Filius distinctæ personæ sunt, erit etiam Spiritus sanctus, qui eodem modo hic exprimitur, & alibi dicitur, *missus, descendens, sedens, &c.* ut persona subsistens.

R. Sociniani posse baptisma conferri in nomine plurium, qui unum natura non sunt. Ita 1. Cor. 10. *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari*: sed nubes & mare alia sunt a Moyse natura: ergo &c. Item Exod. 14. *Crediderunt Domino & Moysi*; 1. Reg. 12. *Timuit Dominum & Samuelem*. Commendatur etiam anima *In nomine Patris &c. & angelorum*, & ipsæ humanæ leges nomine principis, & magistratus promulgantur.

Sed contra: non ait Apostolus baptizatos in nomine Moysis, nubis &c. (quod esset eandem fidem mari, & nubi tribuere) sed in Moyse, quia huic Hebræi credidere, & eo duce iter ingressi sunt sub

 nube,

nube, & per mare. Deinde Apoſtolus ibi vult præfiguratum Baptiſmum in *Moyſe*, *nube*, & *mari*, ac ſi dicat: quaſi baptizati ſunt, omnia enim in figura contingebant illis; inepte ergo inde arguitur contra formam noſtri Baptiſmi. Locus Exod. 14. ſignificat, Iſrael Deo, ut Domino, Moyſi, ut ejus ſervo crediditte. Ex 1. Regum eruitur, nos & Deum, & homines ſimul timere poſſe, non poſſe tamen iis devoveri, ut ſacramentorum auctoribus. In animarum commendatione τὸ *in nomine* eſt nota invocationis, licitum eſt autem etiam angelos invocare, ut interceſſores. At in forma Baptiſmi τὸ *in nomine* ſummam auctoritatem, & poteſtatem ſignificat. Ad ultimum dico, leges ferri nomine principis, ac magiſtratus, ubi viget ariſtocratia: at in monarchia non recte dicitur, imperat princeps & magiſtratus, ſed, imperat magiſtratus nomine principis.

Prob. III. Ex Ep. 1. Jo. c. 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*: ergo &c. R. I. Eraſmus, Simonius &c., hunc verſiculum non eſſe genuinum. R. II. alii, nullius roboris eſſe, ex quo Patres contra Arianos eo uſi non fuerint. R. III. alii, ibi ſermonem inſtitui de teſtimonii, non de naturæ unitate.

Propositio II. Germanus eſt, non adſcititius laud. verſiculus 7.

Prob. I. Licet enim in aliquibus mſſ. deſideretur, invenitur tamen in aliis pluribus: nam Robertus Stephanus, Lovanienſes, & Correctorium Bibliorum, ex magno numero mſſ. in paucis deeſſe teſtantur. Extat ex Amelotio in vetuſtiſſimis Vaticanis, ex Eraſmo ipſo, ac Simonio, in Britannico, & Sangermanenſi annorum 800. In melioribus tandem, ex Valla, Calvino, Beza. Aliud vetuſtiſſimum laudat Grotius: & Salmeron Hiſpanienſem & Rhodienſem laudat Eraſmo cognitos: conſtat ergo ex tanto mſſ. numero v. 7. eſſe germanum. Nec obſtat

obſtat in aliquibus mſſ. deſiderari; id enim forte accidit amanuenſium incuria, ob repetitionem verborum: *Et hi tres unum ſunt*. Sic Jerem. 30. in pluribus græcis codicibus LXX. quatuor commata deſiderantur, eo quod repetantur verba, *propter multitudinem &c.* Et Joſ. 22. in pluribus hebræis deeſt v. *Civitates quatuor &c.*, qui tamen extat ex Glaſſio in vetuſtiſſimis mſſ.

Prob. II. ex contextu. Nam particula copulativa 8. v. *Et tres ſunt &c.*. & v. 9. *Si teſtimonium &c.* oſtendit, de utroque teſtimonio Joannem diſſeruiſſe. Quod confirmatur ex ejus ſcopo; ſcripſit enim contra Ebionitas, qui ajebant, Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Duplici ergo uſus eſt teſtimonio, ut Chriſti divinitatem probaret, & veritatem Dominicæ Incarnationis: ergo ex mſſ. codicibus, ex more Amanuenſium, & ex ipſo contextu germanitas verſ. 7. demonſtratur.

PROPOSITIO III. Plures Eccleſiæ PP. auctoritatem v. 7. agnovere.

Prob. Nam, præter Tertullianum, & Cyprianum, qui non ita aperte loquuntur, ut germanum laudant hunc v. Eugenius Carthaginenſis (*a*), auctor Prologi in Epiſtolas Canonicas, Hyginius Papa (*b*), Victor Vitenſis (*c*), Vigilius Tapſenſis (*d*), Innocentius III. (*e*), qui in ipſo Lateranenſi Concilio eo uſus eſt contra Abbatem Joachimum, S. Bernardus (*f*), aliique (*g*). His adde Athanaſium Africanum Epiſcopum, qui antiquæ Italicæ ſemper adhæſit, quique v. 7. laudat in expoſitione Symboli

(a) *In Profeſſ. Fidei Hunnerico exhibita an.* 484.
(b) *In Ep.* 1. *ad Orth.* (c) *L.* 3. *de Perſ. Vandal.*
(d) *L.* 3. *ad Varimad.*, *qui Tom.* 6. *Bibl. PP. inſcribitur nomine Idacii Clari.*
(e) *Cap.* Quadam *de celebr. Miſſ.*
(f) *Serm.* 1. *&* 2. *in oct. Paſch.*
(g) *Apud Tournelium, L' Herminier, Bullum, Blanchinium &c.*

boli a Blanchinio edita, & Caſſiodorum, qui emendatiſſimis codicibus uſus eſt, in lib. Complexionum, quas vulgavit Maffejus.

Propositio III. Ex laudato v. 7. evincitur perſonarum diſtinctio.

Prob. Ibi enim Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus dicuntur tres, & unum: atqui non ſunt unum unitate conſenſus, & teſtimonii, ut infra oſtendemus: ergo ſunt unum unitate naturæ.

Ob. I. Eraſmus. D. Cyrillus l. 14. Theſ. profert contra Arianos verſum 8. non. 7. Nec ejus meminit S. P. A. contra Maximinum, nec Beda in obſervandis vetuſtis codicibus diligentiſſimus. II. Hieronymus primus fuit, qui v. 7. dolo malo intruſit ex Græcis codicibus. Nam vel Græci codices variabant, vel non: ſi primum, incerta eſt vera lectio; ſi ſecundum, cur ergo Patres omittunt? Hinc eſt Hieronymum, tanquam falſarium, apud aliquos audiiſſe. III. Cum conſtet codices variaſſe, nil prodeſt contra hæreticos hujuſce verſus additio: ergo &c. IV. Eraſmus, qui ex Britannico hunc v. addiderat, videns deeſſe in Burgenſi, & Vaticano, rurſus expungere coactus eſt: ergo &c.

R. ad I. & II. neg. conſ. Ideo enim Patres illi hunc locum Arianis non objecere, vel quia habebant ad manus codices eo verſu deſtitutos, vel quia de ejus authentia diſputare noluerunt cum poſſent aliunde Arianos confutare. Uſi tamen ſunt Patres alii ſupra laudati: ergo extabat hic verſus in eorum codicibus. Extabat etiam in antiqua Itala, qua Athanaſius, & Caſſiodorus uſi ſunt, ex quibus patet reſponſio ad II. Hieronymus enim publicam lectionem reſtituit, non corrupit, ut quidam obtrectatores opponebant; nam Eccleſiæ omnes ejus editionem apertis ulnis exceperunt, quod non feciſſent, ſi communem lectionem immutaſſet. Ad III. neg. ant., de quo vide Prob. II. Ad IV. neg. conſ. Nam in Burgenſi codice mendum

irre-

irrepſit amanuenſium incuria. Vide Prob. I. Propoſ. II. Vaticano Eraſmi codice vetuſtiorem profert Amelotius. Neque illi acceſſit auctoritas pontificia, ex quo in Pontificis bibliotheca ſervetur, ut ineptit Eraſmus.

Ob. II. Simonius. I. Deeſt v. 7. in 7. regiis mſſ., in 5. Colbertinis, in pluribus Græcis, Latinis, Syriacis, Arabicis, & Ethiopicis: ergo &c. II. In aliis v. 8. permittitur 7.: ergo ex margine in textum irrepſit. III. Nullus ejus meminit ante V. ſæculum. IV. Nec meminit Hieronymus, cui falſo adſcribitur Prologus in epiſtolas canonicas: ergo &c.

R. Ad I. neg. conſ. Cum enim extet in aliis melioris notæ, cur deſit in aliquibus, Prop. II. dictum eſt. Ad II. neg. conſ. In iis enim amanuenſes repoſuere, quod omiſerant; unde in Sangermanenſi extat hic verſus in textu, non in margine. Ad III. neg. ant. Laudarunt enim ante V. ſæculum hunc v. Athanaſius, Hyginius, aliique Hieronymo vetuſtiores.

Quod ſpectat ad Prologum in epiſtolas canonicas, perperam Hieronymo eum abjudicat Simonius. Quod enim ait I. deſiderari in pluribus vetuſtiſſimis codicibus, reſpondent Maurini, extare in regiis num. 3561., & 3564., in quatuor Sangermanenſibus, in Colbertino, & Corbejenſi antiquiſſimis. Addunt deſiderari in mſſ. regio numero 3564. præfationem in libros Eſdræ, & in aliis præfationem in Pſalmos, quas nemo Hieronymo abjudicat. Quod ait ſecundo, quoſdam codices retinere Prologum ſine auctoris nomine, R. Maurini, alias plures Hieronymi præfationes reperiri ſine auctoris nomine, ut in codicibus mſſ. Montis majoris, in Canone veritatis, in Colbertino numero 16., in Sangermanenſi numero 164. &c. Quod ait tertio, hujus Prologi auctorem eum eſſe, qui libros novi, & veteris teſtamenti unico volumine complexus eſt, ut conſtat ex præfatione Act. Ap., quæ non a Hieronymo, ſed ex ejus Prologo Galeato conſtructa eſt. R. Maurini, præfationem in Actus de-

ſumptam eſſe ex epiſtola Hieronymi ad Paulinum. Nam in Prologo Galeato de libris novi teſtamenti altum eſt ſilentium. Ex quibus revincitur Simonius, Oudinus &c. Verum quidem eſt aliis de cauſſis hunc Prologum Hieronymo abjudicaſſe Patres Maurinos, quos tamen refellit Tournelius de Trin. pag. 116.

Ob. III. Hæretici. Ex verſ. 8. non infertur unitas ſubſtantiæ: ergo nec ex 7. R. I. Cum ea verba: *Et hi tres unum ſunt*, deeſſe in 15. vetuſtiſſimis codicibus teſtentur Lovanienſes, Grotius cenſet addita ab Arianis. Alii ajunt, haberi in Græcis, *in unum ſunt*, & apud Vigilium, *in nobis ſunt*. Verum licet reſponſiones iſtæ probabiles ſint, cum tamen ea verba in Vulgata legantur, & apud Auguſtinum l. 2. contra Maximinum c. 24., germana eſſe cenſemus. Itaque

R. II. neg. conſ. Nam ſpiritus, aqua, & ſanguis ſigna ſunt, non unum ſubſtantia, ſed unius ſubſtantiæ; ut ſi dicam: *petra, & aqua ſunt unum*, ſignificans in petra Chriſtum, in aqua Spiritum ſanctum, non ſequitur petram & aquam eſſe unum natura, ſed quod unam naturam habeant Chriſtus, & Spiritus ſanctus, quorum ſigna ſunt. Quod vero *ſpiritus*, *aqua* &c. ſint ſigna, probat S. P. ibidem: ait enim, ſpiritum ſignificare Patrem ex Jo. 4., *Spiritus eſt Deus*, ſanguinem eſſe Filium ex Jo. 1. *Verbum caro factum eſt*; aquam Spiritum ſanctum ex Jo. 7. ubi *flumina* Jo. interpretatur *de ſpiritu, quem accepturi erant credentes*: ergo cum dicitur *ſpiritus*, *aqua*, *& ſanguis unum ſunt*, non oſtenditur unitas in ſe, ſed in ſubſtantia Patris, Filii, & Spiritus ſancti, qui per hæc ſacramenta ſignificantur. Contra Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus cum ſigna non ſint, unum dicuntur unitate naturæ. Deinde ſpiritus, aqua, & ſanguis, quia ad eandem Chriſti ſubſtantiam ſpectabant, exierunt enim de ejus corpore, recte dicitur quod unum ſunt: Pater vero, Verbum, & Spiritus ſanctus non

ſunt

funt unum, ut partes divinæ fubftantiæ, quæ fimplex eft, fed unitate naturæ. Quia Pater, Verbum, & Spiritus fanctus unus eft Deus. In Græco legitur μαρτυρῦντες, *qui teftimonium dant*, mafculini generis poft neutra, τὸ πνεῦμα, τὸ ὕδωρ, τὸ αἷμα, ut conftet, hæc verba ad præcedentem verfum 7. referri τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυρῦντες, *tres funt* &c. Tandem non fit ibidem comparatio inter unitatem teftimonii cæleftis, & unitatem fpiritus, aquæ, & fanguinis, fed inter rem, quam teftificantur: Apoftolus enim ibi oftendit, Chriftum verum Deum ex teftimonio cælefti, & verum hominem ex terreftri, idque ob hærefes exortas circa divinam, humanamque naturam.

CAPUT IV.

Ubi folvuntur hæreticorum objecta ex novo teftamento petita.

Sabelliani, & Sociniani ex novo teftamento Trinitatem perfonarum his argumentis impugnant.

Ob. I. Crellius. Jo. 17. legitur: *Hæc eft vita æterna, ut cognofcant te folum verum Deum* &c.: ergo folus Pater eft Deus. Prob. conf. Si dicatur: folus Chriftus eft redemptor, fenfus eft, nullum effe redemptorem, præter Chriftum: ergo a pari.

R. dift. ant. Et ibi folus Pater dicitur Deus per exclufionem inanium deorum, conc.; per exclufionem Filii, & Spiritus fancti, neg. Non enim fenfus eft Patrem folum effe Deum, fed Patrem effe illum folum verum Deum. Significat enim ibi Joannes, vitam æternam comparari per fidem in unum Deum, & incarnationem Filii, & modum præfcribit parandæ vitæ æternæ, ut ejurata pluralitate Deorum, unum Deum confiteamur, & Chrifti doctrinam religionemque fectemur. Unde Ignatius ep. ad Magnef. de Chrifto ait: *Ad multitudinem impactis deorum, unum & folum verum Deum annun-*

 ciat

ciat Patrem suum. Et 1. Theff. 9. *Conversi estis ad Deum a simulacris servire Deo vero, et expectare Filium ejus*, ubi *Deus verus* non dicitur per oppositionem ad Filium, sed ad simulacra, & idola.

Ob. II. Apostolus 1. Cor. 8. ait: *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia .. et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia* &c.: ergo Deus differt a Domino, & illud nomen Patri, hoc Filio tribuitur. R. I. Retorqueo argumentum. Sicut enim Christus dicitur unus Dominus, non éxclufo Patre, ita Pater dicitur unus Deus, non exclufo Filio. R. II. neg. conf. Pater enim dicitur folus Deus per exclufionem inanium deorum, ut conftat ex verbis præcedentibus: *Etsi sunt, qui dicantur dii, nobis tamen unus* &c. Ubi Pater Deus dicitur per oppofitionem ad eos, qui dicuntur dii. Habent ergo verba illa catholicum fenfum, nempe, *nobis unus Deus Pater, ex quo omnia*, ideft rerum principium, & origo divinitatis, *et unus Jesus Christus, per quem omnia*, ideft nulli creaturæ fubjectus, fed fapientia Patris, per quem fecit & fæcula: ergo &c.

Ob. III. In 1. Cor. 12. ait Apoftolus: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem autem Deus*, ubi unus tantum dicitur Deus: ergo &c. II. Cohæret Apoftolicum fymbolum, & Conftantinopolitanum, quæ habent, *Credo in unum Deum Patrem*: ergo &c.

R. I. neg. conf. Apoftolus enim ibi alloquitur *gentes ad simulacra euntes*, fpe futura fciendi &c. Quærere ergo poterant Corinthii, cur non omnes futura prædicerent, ut prophetæ? Cui quæftioni refpondet *divisiones gratiarum sunt* &c., ideft, non omnibus omnia dantur, fed omnia ex eodem fpiritu funt, & ad eundem Dei cultum pertinent, ut diverfi ordines miniftrorum ad unius Domini famulatum, ficut diverfa corporis membra, quæ non

non eundem actum habent, ad unius hominis vitam.

R. II. alii neg. conf. Apoſtolus enim nomine *ſpiritus Domini*, & *Dei*, vel unum ſpiritum innuit, vel tres perſonas. Si I., ea dicuntur de variis Spiritus ſancti muneribus, cui gratia proprie convenit, ut miniſtratio Domino, operatio Dei omnipotentiæ; ſi II., Dei nomen accipitur, prout eſt deitatis principium, quo ſenſu Pater ſpecialiter Deus appellatur. Ad II. neg. conf. Symbola enim ſunt inſtituta, ut ab idololatria revocati, poſſent ab opinione *multitudinis deorum removeri*, ait Cyrillus l. 2. de Ador. Additur etiam divinitas Filii iis verbis: *Et in Jeſum Chriſtum unicum Dominum noſtrum.* Unde Ambroſius in 1. ad Gal. ait: *Nec minorem Filium ſignificat, cum Dominum vocat, nec Patrem majorem, quia Deum appellat, quia non erit verus Deus Pater, niſi et Dominus ſit, neque verus Dominus Filius, niſi Deus ſit.* Eodem modo reſpondetur aliis ſcripturæ locis, ex 1. Tim. 25., Rom. 3., Jo. 44., ubi ad excluſionem inanium deorum unius Dei mentio fit.

Ob. IV. Wolzogenius. Romani theologi docent, Trinitatis myſterium ex ſcripturis non probari, ſed traditionibus. Hinc Petavius de Trin. l. 1. c. 1. ait, *Ante Nicœnum Conc. perfecte ſciri non potuiſſe, quia poſt certamen cum Arianis, Catholicis eſt revelatum.* Bellarminus l. 4. de verbo Dei c. 6. *Cum ex ſcriptura non convincerentur Ariani, damnati ſunt ex ſermonibus non ſcriptis.* Eadem habent Sacroboſcus (*a*), Skarga (*b*), Salmeron (*c*), Florimundus (*d*), Hoſius, Fevardentius, Gordonius, Gretſerus, aliique: ergo &c.

R. neg. ant. Nuſquam enim Romani theologi hoc

(a) *In defenſ. Trid. c.* 6.
(b) *Ad Chriſti verba:* Baptizate.
(c) *Comment. in Jo.* 16.
(d) *Hiſt. de ortu & progreſſu Hær.*

hoc docuere; ſed ſolum ajunt, præter ſcripturas, etiam traditione dogma Trinitatis ad nos derivaſſe. Porro traditio neceſſaria eſt, ut vera ſcriptura, ejuſque ſenſus intelligatur, ubi eſt obſcura, & eget declaratione. Hæc Petavius c. 1. de Trin., ubi non extant verba a Wolzogenio citata, quæ, ſi ſcripſit alicubi, accipienda ſunt de vocibus *Omouſion*, *Uſiæ* &c., quæ Nicæna Synodus conſecravit, & de quibus agit Petavius l. 1. c. 3. Falſum eſt autem, Nicænos Patres non pugnaſſe pro ſide Trinitatis ſcripturis. *Allegarunt enim*, ait Theodoretus l. 1. Hiſt. c. 8., *ex ſcriptura reſplendeſcentiam, fontem, flumen &c., & hoc: In lumine tuo videbimus lumen, & hoc: Ego & Pater unum ſumus* &c. Nec aliter docent Sacroboſcus, & Salmeron. Sed, etſi Patres ſola traditione Arium damnaſſent, eſſet tamen irrefragabile eorum judicium. Bellarminus falſo citatur a Wolzogenio; ait enim ibidem: *Etſi quædam ſcripturæ poterant afferri contra Arianos, tamen, quia Arius etiam proferebat ſcripturas, ex doctrina non ſcripta, ſed tradita illum condemnaverunt.* Non ait ergo Bellarminus, Arianos ſcripturis revinci non poſſe, ſed, cum ſcripturis abuterentur, ex traditionibus eos refellerunt Nicæni Patres. Skarga ait ſolum, Apoſtolos non ſtatim neophytis aperuiſſe Trinitatis arcanum, quod etiam Paulus fecit in Areopago. Hoſius vero, aliique ajunt, non omnia ſcitu neceſſaria ex ſcripturis probari, adeoque traditiones non eſſe rejiciendas, quod nos etiam ſuo loco oſtendemus. Non eſt tamen negandum, Petavio quædam dura excidiſſe, quamvis conſtet (a), Trinitatem perſonarum ex verbo Dei ſcripto eum demonſtraſſe.

CA-

(a) *Ex l. 2. c. 7. & ſequ.*

CAPUT V.

De Patrum traditione circa Trinitatis mysterium.

NOT. Veteres Patres Trinitatem agnovisse, non inficiantur Sociniani: ajunt tamen, eos Platonicorum placitis plus æquo addictos, Arianis ex parte adhæsisse, quod falsum esse infra ostendemus.

PROPOSITIO. Veteres Patres catholice de Trinitate sensere.

Prob. I. Clemens in ep. ad Corinth., quam laudat Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius &c., ait: *Vivit Deus, & Dominus Jesus Christus, & Spiritus sanctus.* Justinus martyr in dial. docet, præter Deum Patrem, *esse Filium virtutem Dei, ac Deum numero alterum.* Athenagoras Apol. 9. ait: *Non esse ridiculum, Deo esse Filium, cum Pater, & Filius unum sint.* Irenæus l. 5. adv. hær. c. 6. ait: *Patrem, & Filium vere Deum esse.* Item Dionysius Rom. in ep. contra Sabellianum, & Tertullianus contra Praxeam Trinitatem tam perspicue defendit, ut Clerico tres admisisse substantias visus sit. De Græcis aut Latinis Patribus, qui post tertium sæculum floruere, dubium non est. Vide Basilium Magnum (*a*), Cyrillum Jerosolymitanum (*b*), Nazianzenum (*c*), Epiphanium (*d*), Chrysostomum (*e*), Theodoretum (*f*). Quid plura? *Omnes Catholici tractatores hoc intenderunt docere, quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus*, ut scribit S. P. A. l. 1. de Trin. 4. Prob. II. Ex Conciliis Nicæno I. Constantinopolitano, Toletano I., Arelatensi, Lateranensi, & Tridentino. Prob. III. ex

(a) *In Exercit. Monast.* (b) *Catech.* 6.
(c) *Or.* 13. 29. 32. (d) *Hær.* 56., & 57.
(e) *Hom.* 2. *in Marc* (f) *Quæst.* 20. *in Gen.*

ex Romanis Pontificibus Dionyſio (*a*), Hormiſda (*b*), Gregorio Magno (*c*), Agathone (*d*), Leone IX. (*e*), Innocentio III. (*f*). Adde Imperatorem Juſtinianum, Baſilium, Leonem philoſophum, Carolum M., & Catholicos omnes. Nec dicas, Gentiles nunquam Catholicis deorum pluralitatem objeciſſe, quæ ex Trinitate conſequi videtur; non enim extant omnes Gentilium libri, nec primi Chriſtiani Ethnicis irriſoribus revelarunt prima fidei capita, ut eſt Trinitas, Incarnatio &c. Deinde ex Juſtini apologia conſtat, Chriſtianos ab Ethnicis redarguros eſſe, quod Chriſtum ut Dei Filium haberent. Imo Praxeas, & Celſus pluralitatem Deorum Catholicis objecere, quos Tertullianus, & Origenes confutarunt.

Nonnulli Scholaſtici Trinitatem probant ex l. 6. & 8. Conſtit. *Apoſt.*, quæ ſub *Clementis* nomine circumferuntur; ſed eas ſpurias eſſe norunt eruditi. Proferunt alii Areopagitæ libros de divinis nominibus, & de myſt. theol., quos genuinos cenſuit contra Eraſmum Facultas Pariſien., Alexander, Annatus &c. contra Launojum, Morinum, Dupinium &c. ſed alii pluribus momentis apocryphis accenſent. Laudat etiam Coccius epiſtolam Prochori, ſive Joannis hiſtoriam; ſed hanc fabuloſam cenſent Baronius, Bellarminus, Alexander, aliique. Accedit Hermæ, ſeu Paſtoris liber ſcriptus circa an. 69., ubi Chriſtus vocatur Deus antiquior omni creatura, & Spiritus ſancti divinitas ex eo comprobatur. Hic ab Origene (*g*), & Irenæo (*h*) ſcripturæ nomine inſignitur. Rejicitur tamen ab Euſe-

(a) *Apud Athan. Ep. de Synod. Nic.*
(b) *Ep. 76. ad Juſtinum.* (c) *In Symbolo.*
(d) *Ep. ad Conſt.* (e) *Ad Epiſcopum Antioch.*
(f) *L. 4. de myſt. Miſſ. c. 3.*
(g) *Hom. 1. in Pſ. 37.* (h) *L. 4. c. 3.*

Eusebio (*a*), Rufino (*b*), Prospero (*c*), Gelasio (*d*): sed, licet non sit in canone, est tamen optimæ notæ, simplex, & Ecclesiæ utilis, non tamen hæreticis revincendis aptissimus. Sunt qui S. Zenonis Veronensis Episcopi Conciones in medium proferant: sed eas a Basilio, Hilario, aliisque Græcis, Latinisque scriptoribus absque delectu desumptas esse, ab eruditis est observatum. Ut taceam, S. Zenonem passum sub Gallieno non potuisse Arianam hæresim multo posteriorem perstringere. Cæterum libri apocryphi, si antiqui sint, neque corrupti, possunt traditionem ostendere, quæ vigebat in Ecclesia, quo tempore sunt exarati.

CAPUT VI.

Trinitatis mysterium, etsi incomprehensibile, non est denegandum.

HÆRETICI, ut Trinitatis mysterium pessumdent, ad humanam nos provocant philosophiam. Itaque

Opp. I. Nullum est tam sublime mysterium, quod scrutandum non sit: ergo &c. Prob. ant. Ap. 1. Thess. v. 21. jubet, ut probemus omnia, & quod bonum est, teneamus. Sola enim scriptura via est indagandi veritatem, ad quam, veluti ad lydium lapidem, religionis controversiæ sunt exigendæ; nec spectat ad fidem, quod in sacris literis non continetur, aut inde legitime non infertur. Addunt *mysterii* nomen ad terrendos rudes invectum, ne veritatem inquirant. Nam de re qualibet duo quæri solent: an sit, & quomodo sit? Licet ergo Trinitas in unitate mysterium sit, nemo vetat, ne inquiratur, an sit. Non enim religionis capita sine probatione obtrudi debent: ergo, si ratione

(a) *L.* 3. *c.* 25. (b) *In Symbolo.*
(c) *c.* 30. *contra Coll.*
(d) *In Decreto de script. can.*

tione non constet, Trinitas personarum non est credenda.

R. neg. conf. Licet enim cæco modo non sit credendum, ubi tamen scripturis, aut traditione constat de veritate revelationis, captivandum esse *intellectum in obsequium Christi*, ait Ap. 2. Cor. 10. Nec temere scrutandum, quod mentis aciem excedit. Recte ergo monet Apostolus, ut omnia probantes, quod bonum & verum est teneamus; non enim omni spiritui credendum est, ex Jo. ep. 1. c. 4. Ceterum si sola scriptura est fidei norma, cur ergo adhibent hæretici philosophica argumenta? Cur negant dogmata, quæ rationem excedunt? Sit itaque scriptura fidei norma, eique Deum unum in Patre, Filio, ac Spiritu sancto proponenti credamus. Nam, si scripturæ clare Trinitatem insinuant, cur syllogismis certamus? si obscure, cur tentamus mysteria ratione assequi? Hoc mysterium perspicue in novo testamento revelatum esse, supra ostendimus, quod si esset obscurius, non ratio, sed Ecclesia consulenda esset: alias non fides, sed ratio esset prima credendi ratio. Duo quæstionum genera distinguimus, sed in mysterio, ubi constat rem esse, non quærimus quomodo sit. Si enim obvia ignoramus, quanto magis remotissima? Narrent Unitarii, si valent, creationis, resurrectionis, & conceptionis Dominicæ modum. Explicent alia infinita naturæ arcana. Dicent cum Wolzogenio, se nescire; cur ergo credunt, si modum ignorant? Quia certi sumus, ajunt, *quod sit, non quomodo sit*. Idipsum respondent Catholici.

Dices. Ex hac responsione sequitur, Trinitatem esse mysterium, ut res naturales. R. neg. ant. Nam rerum naturalium existentiam naturaliter novimus, non modum; at vero Trinitatis sine revelatione utrumque ignoramus.

Dices II. Cur ergo student Scholastici modum exponere, quo Deus unus est, & trinus? R., eos duci argumentis, quæ ratio imaginis, & amoris

sup-

ſuppeditat, quem Deo ineſſe revelatione acceperunt. Non enim ſine ratione credimus. Hæc autem ſuadet, non rationi fidem ſubjiciendam eſſe, ſed fidei rationem, ut infra videbimus.

CAPUT VII.

Socinianorum ſophiſmata diluuntur.

OB. I. Dogma Trinitatis ſeipſum evertit; ſtatuit enim unum Deum, & tres Deos. Nam Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus: ergo tres ſunt Dii. Sicut enim per Trinitarios Pater eſt perſona divina, Filius, & Spiritus S. eſt perſona divina: ergo tres ſunt perſonæ divinæ; ſic per Unitarios Pater eſt Deus ſummus, Filius, & Spiritus ſanctus eſt Deus ſummus: ergo tres ſunt Dii ſummi.

R. neg. ant. Non enim ſequitur, ex quo ſingulæ perſonæ ſint Deus, tres eſſe Deos ſummos, cum quævis perſona unam habeat eademque naturam. Deus enim ſpectari poteſt, & quoad ſubſtantiam, & quoad ſubſiſtentiam, ut cum dico Patrem, divinam ſubſtantiam intelligo cum ſua ſubſiſtentia, ideſt paternitate: cum dico Filium, eamdem ſubſtantiam dico cum ſua hypoſtaſi, ideſt filiatione. Idem de Spiritu ſancto dicendum eſt.

Pater ergo eſt Deus, ideſt divinam habet ſubſtantiam cum perſonalitate Patris, & Filius, & Spiritus ſanctus eamdem ſubſtantiam habent cum perſonalitate Filii, & Spiritus ſancti: ergo triplex eſt in eadem ſubſtantia perſonalitas. Nec valet comparatio de trina perſonalitate; Pater enim non eſt divina ſubſtantia indefinite, ſed cum ſuo modo exiſtendi, qui eſt paternitas. Idem de Filio, & Spiritu ſancto dicimus: ergo tres ſunt exiſtendi modi in una eademque ſubſtantia, quæ conſequentia catholica eſt.

Falſum eſt etiam eodem modo numerari Deum in primo ac ſecundo ſyllogiſmo. Deus enim ratio-

ne naturæ, quæ ſimplex eſt, numerari non poteſt, ſed tantum ratione perſonæ, quæ eſt triplex. Numerus enim & diſtinctio vel oritur ex limitatione, vel ex ordine ad aliud. Dei ergo natura, utpote infinita, numerari non poteſt, licet poſſint perſonæ, quæ ad invicem referuntur.

Ob. II. Ex Dogmate Trinitatis ſequitur, Patrem eſſe Filium, & viciſſim. Dici enim poteſt: Deus ille unus eſt Pater, Filius eſt Deus ille unus: ergo Filius eſt Pater. Idem de Filio, & Spiritu ſancto dici poſſet. Major eſt in ſcriptura, min. catholicorum, conſequentia ſequitur.

R. neg. ant. Ad prob. dico, ex præmiſſis illis particularibus nihil concludi; idem eſt enim ac ſi dicas, Petrus eſt homo, Paulus eſt homo: ergo Petrus eſt Paulus. R. II. diſt. maj. Deus ille unus eſt Pater, prout Dei ſubſtantia contrahitur ad unum ſubſiſtendi modum, conc.; prout omnes complectitur, neg. Sic enim Pater non eſt ille unus Deus, niſi una cum Filio, & Spiritu ſancto: unde retorq. argumentum: Deus ille unus eſt Pater, prout Deus eſt divina ſubſtantia in ſuppoſito Patris: ſed Filius non eſt hujuſmodi: ergo Filius non eſt Pater.

Ob. III. Ex hoc dogmate ſequitur, tres perſonas non eſſe unum verum Deum. Nam verus Deus eſt Pater: ſed Filius non eſt Pater: ergo &c. Vel verus Deus eſt Filius: ſed Pater non eſt Filius: ergo non eſt verus Deus.

R. neg. ant. Ad prob. diſt. maj. Verus Deus eſt Pater, ideſt divina ſubſtantia, cum uno ſubſiſtendi modo, conc.; cum omnibus ſubſiſtendi modis, nego.

Ob. IV. Sequitur ex Trinitate, quamvis perſonam trinam eſſe; nam Deus ille unus eſt trinus: ſed quævis perſona eſt Deus ille unus: ergo &c. R. neg. ant. Ad prop. diſt. maj. Eſt trinus, ſi ſumatur adæquate, tam ſecundum id, quod dicit abſolute, quam connotative, conc.; inadæquate, & prout

prout divinitas coarctatur ad unum ſubſiſtendi modum, nego.

Ob. V. Quæ ſunt eadem realiter uni rei, ſunt eadem realiter inter ſe ex noto axiomate &c. Sed tres perſonæ realiter diſtinctæ ſunt idem uni rei, ideſt eſſentiæ divinæ: ergo & inter ſe. Hinc Trinitarii probant, attributa divina inter ſe non diſtingui, quia cum uno tertio, ideſt divina eſſentia, ſunt eadem.

R. neg. maj. Illud enim axioma (quod in Deo non habet locum) valet in iis, quæ convertuntur ad invicem, non in iis, quæ opponuntur. Nam rationale, & irrationale idem ſunt cum animali, ſed quia ſunt differentiæ oppoſitæ ejuſdem generis, realiter inter ſe diſtinguuntur: cum ergo divinæ perſonæ invicem opponantur, licet idem ſint cum eſſentia, non ſunt idem inter ſe. Non eſt tamen eadem ratio de attributis, quæ, cum ſint abſoluta, non poſſunt oppoſita relatione diſtingui, adeoque ſunt eadem inter ſe.

Ob. VI. Suppoſita Trinitate, in Deo eſſet una ſimul & tres ſubſtantiæ, ideſt tres diſtinctæ perſonæ: ergo &c. R. neg. ant. In Deo enim unica ſubſtantia eſt, & tres ſubſiſtentiæ, ſeu tres exiſtendi modi, Pater nempe, Filius, & Spiritus S., *& hi tres unum* ſubſtantia *ſunt.*

Ob. VII. In creatis una ſubſtantia intelligens una eſt tantum perſona: ergo Deus, cum una ſit ſubſtantia intelligens, non tres, ſed una eſt perſona. Nec alia eſt ratio Dei, & creaturæ, ex quo Deus ſit infinitus, creaturæ finitæ: ideo enim finita ſubſtantia unam tantum perſonam conſtituit, quia perſona totam in ſe ſubſtantiam complectitur, nec poteſt eadem ſubſtantia eodem tempore bis eſſe idem: ſed eadem ratio in Deo eſt. Quævis enim perſona divina totam divinam ſubſtantiam complectitur, nec partem decerpit: ergo non magis ſubſtantia infinita poteſt plura in ſe habere ſuppoſita, quam finita. Adde, quod ſi divina ſubſtantia plures conti-

tineret perſonas, quia eſt infinita, non tres, ſed infinitæ perſonæ fingi poſſent: ergo &c.

R. neg. conſ. Duæ enim aut plures ſubſiſtentiæ creatæ nequeunt eſſe in eadem natura, non quod repugnet, unam naturam ad plurium jura pertinere (plures enim theologi docent, tres ſimul perſonas divinas potuiſſe eandem naturam humanam aſſumere) ſed quia perſonæ creatæ, cum eſſentia diſcrepent, arguunt diſtinctam ſubſtantiam, nec poſſunt in unica hominis, vel angeli natura plura inveniri ſuppoſita. Tres ergo perſonæ divinæ, quæ non diſcrepant eſſentia, eandem poſſunt terminare naturam, cum ſint indiſtinctæ, nec una perſona decerpit partem ſubſtantiæ divinæ, ſed illam determinat, ſub uno tantum reſpectu, cumque hi reſpectus ſint plures, plures ſunt quoque perſonæ. Cur autem non ſint infinitæ, evincimus, I. ex ſcriptura, quæ tres tantum enumerat; II. ratione, quia ſummum bonum non poteſt ſe ſe ad intra communicare, niſi per generationem, & proceſſionem. Nec poteſt eſſe niſi unus Pater, eique unus Filius, qui mutua dilectione Spiritum S. producunt.

Ob. VII. in hoc dogmate nequit intelligi quomodo Filius & Spiritus S. ſunt perſonæ infinitæ, ſi carent generandi poteſtate? Cur Spiritus S. aliam perſonam non generet? Cur non dentur termini infiniti aliorum attributorum? Cur infinite perfectus non habeat infinitas operationes, quibus communicatione naturæ infinitæ perſonæ conſtituantur.

R. Gignendi vim eſſe etiam in Filio, & Spiritu Sancto, nec tamen gignere, quia hæc eſt perſonæ proprietas, non perfectio ſubſtantiæ. Cum enim Spiritus S. ab aliis perſonis procedat, non habet rationem principii reſpectu divinæ naturæ, ſicuti nec habent divina attributa, quia referuntur aut ad creaturas, ut omnipotentia, providentia &c., vel ad eſſentiam, ut æternitas &c., non vero ad termi-

terminum ſubſiſtentem. Deus autem, utpote ſimpliciſſimus, unam habet operationem, ideſt divinam ſubſtantiam, ſola terminorum connotatione multiplicem: falſum eſt ergo perfectioris ſubſtantiæ plures eſſe operationes.

Ob. IX. Primum Trinitatis fundamentum, hoc eſt diſtinctio inter eſſentiam, & perſonas, labile eſt. Nam Dei eſſentia eſt ejus natura, per quam Deus eſt, perſona autem eſt ſubſtantia completa & intelligens: ergo tres perſonæ erunt tres ſubſtantiæ intelligentes. Ad hæc, perſona eſt res completa: ergo habet ſuam ſingularem eſſentiam: ergo qui ſtatuit in Deo tres diſtinctas perſonas completas, tres etiam eſſentias admittit. Multiplicatis enim perſonis, etiam eſſentia multiplicatur.

II. Trinitatis fundamentum eſt, in eadem eſſentia trinum exiſtendi modum affingere: ſed hoc eſt abſurdum; ſic enim eſſentia non una res eſſet, ſed multiplex, quot ſunt modi, quibus exiſtit. II. Hoc eſt ipſum Sabellii commentum, qui ait, Deum ſummum eſſe unam perſonam, quæ ſe tribus modis, ut Patrem, ut Filium, ut Spiritum S., revelavit: ergo &c. III. Deus ob infinitatem eſſentiæ unam habet eſſentiam: ergo unum exiſtendi modum.

III. Fundamentum eſt perſonarum περιχώρησις, ſeu *circuminſeſſio* unius perſonæ in alia: ſed hæc I. intelligi nequit. II. Qui fieri poteſt, ut tres perſonæ permixtæ ſint, nec inter ſe confundantur? III. Si in quavis perſona eſt tota Trinitas, erunt tres Trinitates & 9. perſonæ, & ſic in infinitum. IV. Si quævis perſona eſt in tota Trinitate, erit Pater in Patre &c. quod eſt abſurdum. V. Si Spiritus ſanct., & Filius in terris viſus eſt: ergo abierunt a Patre, qui in cælis eſt.

IV. Fundamentum eſt duplex Dei nominis acceptio, *eſſentialiter*, & *perſonaliter*, quæ non extat in ſacris literis. II. Cum Filius totam habeat divinam eſſentiam, cur Dei nomen in Filio nequit eſſentialiter accipi? III. Nomen Dei unum Creatorem & Dominum importat, quod munus perſonæ eſt:

 ergo

ergo nomen Deus unam tantum personam significat. Hæc Unitarii

R. neg. ant. Cum enim persona sit rationalis naturæ individua substantia, eam a substantia non secernimus, nec dicimus addere naturæ formam distinctam, nec partem esse, sed totam substantiam. At persona connotative distinguitur a natura, quæ dicitur ad seipsam, illa refertur ad aliud. Non ergo sequitur: sunt tres personæ: ergo tres sunt substantiæ; sed: sunt tres personæ: ergo tres sunt ejusdem substantiæ supposita. Nam essentia significat id, quod est, persona id, quod est alteri incommunicabile: ergo, si in una substantia sint plures proprietates alteri incommunicabiles, erunt distinctæ personæ in una substantia, cujus rei frustra in creatis exemplum quæritur: Scripturis ergo credendum est. Dum ajo Patrem, nomen est personæ; dum Deum dico, est nomen substantiæ; dum dico Deum Patrem, & substantiam dico, & ordinem ad Filium. Nec repugnat, unam substantiam trinam esse in personis, quia unitas ad naturam spectat, numerus ad relationem. Ad ult. dico, divinam naturam, cum sit infinita, multiplicari non posse, ut fit in creatis.

Ad I. Argumentum contra 2. fund. neg. min. Ad prob. neg. ant. Nam plures existendi modi multiplicant naturæ respectum, non rem existentem: nec diversus est homo, dum stat, aut sedet, licet varii sint standi, aut sedendi modi. Ad II. neg. ant. Non enim ex diverso modo se se manifestandi, sed ex diverso modo terminandi naturam sequitur personæ distinctio, quam negavit Sabellius, non Catholici. Ad III. neg. conf. Cum enim creatæ substantiæ discrepent aut specie, aut separatione naturæ, utraque distinctio limitationem importat, quæ infinitæ substantiæ repugnat. Atqui personæ neutro modo invicem distinguuntur: ergo non repugnat earum distinctio.

Ad I. Argumentum contra 3. fund. neg. I. part. min.

min. Fit enim *circuminsessio* per inseparabilem naturæ unitatem, quæ, cum ubique tota sit, separationem non patitur personarum. Ad II. R., personas non distingui ab essentia, cui non opponuntur, sed inter se, quia referuntur ad invicem. Ad III. R., unam personam esse intra aliam, qui unum substantia sunt, non quod unius proprietas sit alterius, & ideo non sunt tres substantiæ, sed una in qualibet proprietate. Ad IV. R., quod Pater, & Filius ipse est in Patre, quia utraque persona eadem res est cum substantia communi. Ad V. vide l. 2. c. 4. Prop. 2.

Ad I. argumentum contra 4. fund. R., nomen Dei, cum sit concretum, primo naturam, secundo personalitatem innuere, ut homo 1. humanam naturam significat, 2. individuum. Ita Jo. 1. *Deus erat Verbum* personam designat, ut Genes. 1. *Creavit Deus &c.* divinitatem designat subsistentem in quavis persona. Si ergo enuncietur munus personæ, *Deus* pro persona accipi debet, ut *Deus carnem assumpsit.* Si munus naturæ exprimitur, ut *Deus est unus*, pro natura accipitur.

Ob. X. Sequitur ex hoc dogmate Deum esse *genitum, & ingenitum:* sed hoc repugnat: ergo &c. 2. Sequitur, rem eamdem communicari, & non communicari; Filius enim communem habet cum Patre naturam, non paternitatem: ergo &c. 3. Sequitur esse simul tres personas, & unam aliam præcedere, & opera certo ordine destribui inter plures, quorum una est operatio.

R. ad I. dist. min. Repugnat, si in iis propositionibus accipiatur Deus pro diversa persona, neg.; si pro eadem, conc. Si vero in 1. propos. *Deus* pro Filio sumatur, in 2. pro omnibus personis, prima vera est, secunda falsa. Ad II. dist. ant. Sequitur communicari personaliter, idest Patris naturam, neg.; essentialiter, idest Dei naturam, conc. Ad III. dist. ant. Sequitur, unam aliam præcedere ordine, conc.; tempore, neg.; Nam personæ divinæ

 sunt

ſunt ſimul æternitate, & natura, ſed una oritur & procedit ab alia. In operibus etiam diverſæ rationes diſtinguuntur, quarum aliæ ad communem omnipotentiam pertinent, aliæ ad perſonalem proprietatem. Ita incarnatio, prout eſt conceptio & productio hominis, etiam a Patre, & Spiritu S. peracta eſt; ſed, prout eſt terminatio humanæ naturæ, eſt ſolius Verbi; hoc enim non eſt munus omnipotentiæ, ſed hypoſtaſis (a).

Hæc argumenta urgentur ferme omnia a Wolzogenio Sociniano, qui Crellii ſophiſmata, & omnia fere majorum ſuorum arma callida dexteritate tractavit: non ergo negandum eſt Trinitatis myſterium humanæ mentis captum excedere. Non deſunt tamen in creatis exempla, queis illuſtrari poſſit. I. Petitur ab aqua: Nam *Fons*, *Fluvius*, & *Potio*, ait S. P. ſer. 38. de V. Ap. 7., *ſunt aqua*, & *tamen nihil horum eſt alterum*. II. a ſole, in quo tres ſunt, quæ, ut ait S. P. ſer. 13., ſeparari non poſſunt, *curſus*, *ſplendor*, *calor*. III. ab anima, quæ *meminit ſui*, *intelligit ſe*, *diligit ſe*: *hoc ſi cernimus*, *cernimus Trinitatem*, ait S. P. l. 14. de Trin. IV. ex perfectione numeri ternarii, cujus ordo in rerum principiis, in partibus temporis, in corporum dimenſionibus, in animarum potentiis, in omni re, quæ in numero, pondere, & menſura producta eſt, & cui ineſt trina perfectio, unitas, veritas, bonitas, mire obſervatur. His adde alia quædam ex conflictu Serapionis, & Arnobii T. 8. Bibl. PP. p. 203.

Neque Trinitas perſonarum rationi repugnat, eo quod eadem eſſe nequeat multarum perſonarum operatio. Nam duorum oculorum, aurium, manuum, pedum &c. unus eſt viſus, auditus, contactus, & greſſus. Nec repugnat, quod una perſona ab alia originem habeat, & tamen omnes ſint duratione æquales; nam ex flatu vox, ex hac ſermo

(a) *Vide Aug. l. 2. de Trin. 5.*

ſermo eodem tempore exoritur. His accedunt plura miracula, apud Baſilium, Amphilochium, Victorem Vitenſem, Gregorium M. Ex his unum proferam hæreticis revincendis aptiſſimum. In ciſta ſellea B. Claræ O. N. tres globuli reperti ſunt figura, colore, & pondere ita pares, ut unus idem pondus haberet, quod duo vel tres, tres idem ac duo vel unum.

DISSERTATIO II.

De Perſonarum divinitate.

De Patris divinitate nulla eſt controverſia. Conveniunt hæretici, eum eſſe unum ſummum & verum Deum. Difficultas eſt de Filio, ac Spiritu S. De his itaque diſtinctis capitibus eo, qui ſequitur, ordine diſputabimus.

CAPUT I.

De Verbi divinitate, ejuſque ante Incarnationem præexiſtentia.

Verbi divinitatem præcipue impugnarunt Cerinthus, Arius, & Socinus. Cerinthus ann. V. Æ. 80. purum hominem Dei Verbum prædicavit, dicens, *Ante Mariam non fuiſſe.* Hunc ſecuti ſunt Ebionitæ, contra quos Joannes, Hieronymo teſte de Script. Eccl., ſcripſit evangelium. Arius an. 320. etiam Filio Dei divinitatem negavit. Socinus denique Ebionitarum, & Arianorum errores inſtauravit, & cum illis præexiſtentiam, cum his impugnavit Verbi divinitatem. Sit ergo

Propositio. Verbum erat, antequam de Virgine naſceretur.

Prob. I. ex Jo. 1. *In principio erat Verbum &c.:* ſed hoc *Verbum caro factum eſt:* ergo erat perſona, nam Verbum incarnatum perſonam eſſe, non negant hæretici: ergo &c. Secundo ait, hoc Verbum eſſe Patris *quaſi unigenitum:* ſed hæc perſona *erat*

in principio, ideft ante fæcula, ut exponit Chryfoftomus Hom. 7. in Jo.: recte ergo ex hoc loco Nicæni PP. Arianos damnarunt, dicentes, Verbum factum *ex non extantibus, & fuiſſe aliquando, cum nondum erat*, quos ita refellit Ambrofius l. 1. de Fid. 5. *Ecce quater erat: ubi impius invenit quod non erat.* Deinde per Verbum facta funt omnia, & ipfum caro factum eft: ergo erat antequam omnia fierent, aut nafceretur ex Virgine. Tandem ex v. 1. Genef. *In principio &c.* conftat, nihil fuiffe ante cælum: ergo ex v. 1. Jo. conftat nihil fuiffe ante Verbum.

Prob. II. Jo. 8. 56. Chriftus ait: *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, quæ fruftra de Chrifti præ-deftinatione exponunt Sociniani; per hanc enim nedum Chriftus, fed quivis prædeftinatus Abraham præceffit. Deinde cum Judæi objicerent Chrifto: 50. *annos nondum habes, & Abraham vidiſti*, de præexiftentia temporis locuti funt: ergo & Chriftus. Et fenfus eft: *Abraham expetivit videre diem meum : Vidit*, fpiritu, *& gaviſus eſt.* Ego vero, qui non fum purus homo, fed verus Deus, antequam Abraham crearetur, jam eram. Ubi notat Auguft. (a) ibi dici: *Ego ſum, non ego eram*, ut fuam æternitatem defignet, ut Pf. 89. *Priuſquam montes fierent, tu es.*

Pr. III. Demonftratur præexiftentia Patris ante creaturas ex If. 41. *Ego Dominus primus, & noviſſimus:* fed eadem de Chrifto dicuntur Apoc. 18. *Ego ſum α, & ω, principium et finis*: & c. ult. *primus et noviſſimus:* ergo &c. Quæ verba non de Patre, fed de Filio dicta funt. Nam c. 1. de judice fermo eft, qui veniet cum nubibus, qui eft *Radix David, et Agnus in throno* fedens. Similia habentur Hebr. 13. *Jeſus Chriſtus heri et hodie, ipſe et in ſæcula.* Et Michææ v. 2. *Egreſſus ejus a diebus*

(a) *Tr.* 43. *in Jo.*

diebus æternitatis: ſed hæc non de Patre dicuntur, ſed de parvulo in Bethlehem naſcituro: ergo &c.

Prob. IV. ex traditione PP. Antenicænorum (nam de aliis dubium non eſt) qui docent, in veteri teſtamento Filium Dei ſub variis ſpeciebus apparuiſſe Abrahamo, Jacobo, Moyſi, ut docent Juſtinus (*a*), Irenæus (*b*), Clemens Alex. (*c*). Tertullianus (*d*), Origenes (*e*), quæ opinio fuit Græcorum omnium ex Euſebio (*f*). Hæc autem argumenta, præſertim ſecundum, tam validum Socino viſum eſt, ut ejus ſolutionem a Deo accepiſſe impudenter effutiat (*g*). Unde

Opp. I. Senſus verborum Jo. 8. 56. is eſt: *Antequam Abraham* fiat pater multarum gentium in futura converſione, jam ego ſum Salvator, & pater veſter: nam ibi græce habetur γένεσθαι, *fieri*, aoriſtus verbi γίνομαι, *fio*, qui junctus præſenti λέγω, habet ſignificatum præſentis, ut Jo. 12., & 14., ubi Vulgata legit *priuſquam fiat*, græca legit γένεσθαι, ubique aoriſtus a verbo præcedenti temporis ſignificationem mutuatur. R. neg. ant. Ad prob. dico, an aoriſti ſint præteriti, aut futuri temporis, ex contextu eſſe evincendum, ſed ibi tum ex ſcopo, tum ex propoſitione πρὶν conſtat γένεσθαι eſſe præteritum: ergo &c. Ad prob. retorqueo argumentum. Nam Jo. 14. γένεσθαι eſt futuræ ſignificationis, & tamen jungitur cum præterito εἴρηκα. 2. Nego in orationis complexu nulla præterita reperiri, habetur enim: *Dixerunt Judæi*, & *Abraham vidiſti*. 3. Vult Socinus, aoriſtum hic habere ſignificationem futuri, & tamen λέγω, *dico*, & εἰμὶ, *ſum*, præſentis temporis ſunt.

Inſt.

(a) *In Dialog. cum Triph.*
(b) *Adverſ. Hær. c.* 11. (c) *L.* 1. *Pæd.* 7.
(d) *c. Prax. c.* 14. (e) *L.* 3., *&* 6. *contra Celſum.*
(f) *In Proœm. H. E.* (g) *In diſp. contra Eraſm.*

Inst. Wolzogenius: Si Christus præexistentiam suam significavit, cur non ait, *ego eram*, vel *fui*? Respondetur per præsens melius exprimi æternitatem, ut Ps. 89. *Antequam montes fierent, tu es, non eras:* sed & Syrus habet, *ego eram.*

Inst. Wolzog. Gen. 17. Abram dictus est *Abraham*, idest, *pater multarum gentium*, quod impletum est ex Rom. 9., cum gentes in Christum credidere; sensus ergo est: antequam gentes fiant per fidem Abrahæ filii, ego sum Messias in lege promissus: ergo &c.

R. neg. ant. Nam ex orationis complexu, & ex responsione Christi in prob. 2. satis constat, sumi hoc loco Abraham, non juxta etymon, sed prout personam significat. Deinde ibi non dicitur: antequam Abram fiat Abraham, sed *antequam Abraham fieret*, quod a Socini sensu longe abest. Ubi nota, in sacris literis exprimi Abrahami dotes per propositionem de 3. adjacente, ut *Abraham est pater multarum gentium.* Cum ergo Jo. 8. occurrat prop. de 2. adjac. *Antequam Abraham fieret*, non dos exprimitur, sed persona.

Ob. II. Wolz. contra Prob. I. Scopus Joannis est novæ creationis historiam describere, quam orditur, ut Moyses: *In principio &c.* Et sicut Moyses ait, Deum Verbo omnia fecisse, ita Joannes ait, omnem spiritalem structuram factam esse per Christum. Meminit etiam, ut Moyses, vitæ, lucis, tenebrarum, &c. Unde sic arguitur: τὸ *in principio* 1. Genes. significat, ante res omnes factas creasse Deum cælum, & terram: ergo cum ait Joannes *in principio &c.* significat, ante omnia, quæ ad evangelium spectant, Deus erat verbum.

Confirmatur I. Nam Marc. 1. Evangelium inchoatur a prædicatione Jo. Baptistæ, & Jo., postquam ait per sermonem totum opus novæ creationis esse productum, subdit: *Fuit homo missus a Deo* &c. II. To *in principio* initium designat, non rerum omnium

nium, sed illarum, de quibus est sermo, ut Joann. 15. *Vos a principio mecum estis.* III. Potuit Deus Christum creare *in principio*, ideft ante mundum, ut angelos: ergo non est æternus.

Confirmatur II. *Verbum caro* &c. legi debet, *& sermo fuit caro*, ex græco εγένετο, ut v. 6. *Fuit homo* εγενετο II. Si legas *factum est*, sequitur verbum desiisse esse, quod fuerat: sicut aqua esse desiit, cum vinum facta est ad nuptias. III. Ibi significatur, Christum fuisse natura, ut alii homines, infirma, & mortali.

R. neg. ant. Joannes enim, Hieronymo teste de Script. eccl. evangelium scripsit adversum Ebionitas, qui ajebant, *Christum ante Mariam non fuisse*. Addit Irenæus, scripsisse adversum Nicolaitas, & Gnosticos, qui inter Æones censebant *Verbum*, *Vitam*, *& Unigenitum* (a). Joannes ergo ostendit, Verbum esse Deum; dicens; *In principio* &c. Cum autem Gnostici dicerent, alium esse Deum creatorem, alium Verbum, alium Christum, addit Joannes, unum esse, qui omnia fecit per Verbum: *Omnia per ipsum* &c. Nec aliam esse emanationem *Verbum*, *& Vitam*, sed in ipso Verbo vitam fuisse, quæ erat lux hominum, ne quis putet, aliud esse *Vitam*, aliud *Salvatorem*. Profert deinde missionem Baptistæ, *qui venit, ut testimonium perhiberet*, nedum eum esse *Verbum*, *Vitam*, *Salvatorem*, sed etiam a Verbo indistinctum esse unigenitum, ideft Christum. Subdit enim, *Et Verbum caro factum est*. Constat ergo scopus Joannis ex Patribus, ex verbis, & ex erroribus Gnosticorum. Sed etsi daremus, scopum Joannis esse historiam novæ creationis describere, nihil tamen evincerent adversarii; sic enim arguitur: Demonstrat Joannes novæ creationis auctorem esse Verbum: sed Verbum non secernitur a creatore rerum omnium: ergo is est idem ac auctor novæ creationis. Prob.

(a) *Vid. Fab. Valent. l. 2. c. 5.*

Prob. min. I. Joannes ait, per hoc *Verbum omnia facta* esse: ergo & nova, & vetera per eum facta sunt. II. ait: *Sine ipso factum est nihil*: ergo nulla creatura est facta, nisi per Verbum. III. ait: *Mundus per ipsum factus est*: ergo Verbum, a quo nova creatura facta est, est idem, per quod factus est mundus. *Factus*, inquam, non *refectus*, ut exponit Socinus, qui ait, Joannem ex hebraico idiotismo verbo simplici pro composito usum esse. Constat enim, Joannem græce scripsisse, quæ lingua abundat compositis. Adde ex Heb. 1., 1. Cor. 8. Prov. 8. &c. per Verbum omnia fuisse creata. I. ergo Wolzogenii argumentum sic in illum retorquetur: τὸ *in principio* Gen. 1. significat, ante omnia cælum & terram fuisse creatam: ergo τὸ *in principio* Jo. 1. designat, ante Verbum nihil fuisse. II. Aliud est *creavit*, aliud *erat*. Si Deus in principio creavit cælum & terram: ergo ante non erant: sed si verbum *in principio* jam erat: ergo creatum non est. III. Non ait Joannes, *Verbum erat*, sed *erat apud Deum*, idest æternum, ut habet Arabicus.

Ad I. confir. retorqueo argumentum. Prædicatio Evangelii initium habuit a Baptismo Joannis: sed τὸ *in principio* &c. non refertur ad Joannis Baptismum: ergo nec refertur ad initium Evangelii. Non enim scriptum est: *In principio fuit homo missus* &c. sed, *erat Verbum*. Ad II. neg. ant. Nam τὸ *in principio* jungitur verbis *apud Deum*, quæ æternitatem significant; at in ep. 1. Jo. jungitur verbis *audivimus*, quæ, non æternitatem, sed initium significant auditæ prædicationis. Ad III. neg. ant. Qui enim docent, angelos ante cælum esse creatos, sumunt τὸ *in principio* de initio rerum corporearum: at Joannes ait, omnia per Verbum, & sine ipso nihil esse factum, idest ne unum quidem eorum, quæ facta sunt: ergo &c.

Ad

Ad II. confirm. neg. ant. Nam ἐγένετο redditur *factum* est v. 3. 10. & 14. ubi ponitur simpliciter. At v. 6. additur participium *missus*, adeoque ex regula Erasmi significat *fuit*. Ad II. neg. ant. Nam *Verbum caro factum est*, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, ex Chrysostomo hom. 2. in Jo., unde retorqueo argumentum. Antequam aqua vinum fieret, erat aqua: ergo antequam Verbum caro fieret, erat Verbum.

Ob III. Quod ajunt Patres, Filium Dei Patriarchis apparuisse, falsum est; nam ex Act. 7. constat, iis angelum apparuisse; & Hebr. 1. legitur, Deum novissime *locutum in Filio*: ergo non per Filium, sed per angelos loquebatur olim *Deus patribus*, ac *prophetis*.

R. neg. ant. Quidam enim ex Antenicænis docent, Filium apparuisse visibilem speciem assumendo, & angelum dictum, quia missus est a Patre, ut Is. 9. Alii putant, angelos apparuisse, sed in iis adfuisse Dei Filium. Ita Hieronymus, Augustinus, Gregorius &c. *Apparuit angelus*, ait S. P., *in angelo autem Deum fuisse, quis dubitat?* Ubi enim legitur, Hebræos tentasse Dominum, qui eos eduxit de Ægypto, 1. Cor. 10. habetur tentasse Christum: ergo Christus erat angelus, qui Hebræos eduxit de Ægypto, de quo Exod. 23. ait Deus Pater: *Ecce ego mitto angelum meum* &c. Verum, quidquid sit de hac sententia, certum est, docuisse Patres, Filium Dei patriarchis apparuisse: ergo supponunt Filium Dei tunc extitisse.

CAPUT II.

An Deo Patri sit Filius verus, proprius, et naturalis?

Ariani, ut Verbi divinitatem impugnarent, illud non natura, sed adoptione & gratia Dei Filium

lium esse dixere, nec veram, & propriam in Patre generationem agnovere. Sit ergo

PROPOSITIO. Est Deo Patri Filius, non adoptivus, sed naturalis.

Prob. I. ex veteri testamento. Ps. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te:* sed hæc ad Christum refert Apostolus Heb. 1.: ergo &c. Nam *hodie* ex Augustino est nota æternitatis, in qua omnia præsentia sunt. Tò *genuit* veram generationem significat, ut Ps. 109. *Ante luciferum genui te;* & Prov. 8. *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram* &c. quæ de divina sapientia, nempe Filio, dicta esse constat: ergo &c. Nequeunt hæc dici de sapientia, prout est attributum, ut putant hæretici; nam concipi, & parturiri ad Filium proprie spectat: ergo &c.

Prob. II. ex novo testamento. Jo. 1. habetur: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ubi etiam de hoc Filio dicitur, fuisse ante Joannem, omnes de plenitudine ejus accipere, peccata mundi tollere &c. II. Narrat ibidem Joannes, Judæos Christum interficere voluisse, quia *Patrem tuum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo:* sed, si Christus non fuisset verus Deus, excusabile fuisset scelus Judæorum: ergo &c. III. Ait Christus ibidem: *Sicut Pater suscitat mortuos, sic Filium vivificare quos vult:* ergo &c. IV. Matth. 3. Petrus ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* sed hoc non caro, aut sanguis, sed Pater ei revelavit: ergo &c. Accedit locus Ap. Hebr. 1. *Novissime locutus est nobis in Filio*, ubi ait I. per Filium condita esse sæcula, ubi διὰ cum genitivo effectricem caussam exprimit. Hinc v. 10. habetur: *Tu in principio terram fundasti.* II. Vocatur *splendor æternæ gloriæ*, cum a Patre, ut lux a sole, processerit. III. Dicitur *portans omnia verbo virtutis suæ*, ubi infinita ejus potentia designatur. IV. ait, sedere eum *ad dexteram majestatis in excel-*

sis

ſis (1). V. Excelſiorem angelis vocat, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit: *Cui enim aliquando dixit angelorum: Filius meus es tu?* Sed angeli vocantur adoptione Filii Dei Pſ. 87. & Job. 1.: ergo Chriſtus, qui ab iis differt, eſt vere, & proprie Filius Dei &c.

Prob. III. ex Patribus Antenicænis. Hermas, de quo ſupra, ſimilitudine 9. ait, *Filius quidem Dei omni creatura antiquior eſt.* Ignatius martyr epiſt. ad Magneſ.: *Qui ante ſæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit.* Juſtinus martyr in apol. *Filius ejus, qui ſolus dicitur proprie Filius, Verbum ſimul cum illo, per eum cuncta cona...* Tatianus eum vocat *Verbum cæleſte a Patre genitum*, Athenagoras in apol. *Primogenitam Patris progeniem*, Irenæus l. 4. c. 7. *Filium Verbum Dei:* ergo &c.

Prob. IV. ratione. Generatio enim *eſt origo viventis in ſimilitudinem naturæ:* ſed talis eſt Verbi proceſſio: ergo &c. Prob. min. Jo. 16. Chriſtus ait: *Exivi a Patre*, & Pſ. 2. ait Pater, *hodie genui te;* en origo a Patre. Jo. 1. *In ipſo vita erat;* en

(1) Habetur in græco τῦ θρόνυ καὶ μεγαλοσύνης, *throni magnificentiæ*. & in hebraico כסא כבוד, *chiſeh cavod, throni majeſtatis.* Porro in ſacris literis thronus magnificentiæ & majeſtatis ſummam Dei gloriam ſignificat, ut, præter Grotium a cl. auctore laudatum, evincitur etiam ex ipſis nominibus: μεγαλοσύνη enim a μέγας, *magnus*, in ſacris literis proprie Deo tribuitur, qui vere magnus eſt, & *magnitudinis ejus non eſt numerus.* כבוד, *cavod*, autem gloriam, excellentiam, reverentiam, præſtantiam, majeſtatem, dignitatem, opeſque ſignificat, quæ omnia vero Deo ſpecialiter conveniunt. Eſt a radicali כבד, *cavad*, *ingraveſcere*, *augere divitiis, honore, gloria*, & Deo tribuitur Iſ. 29., Jud. 13. Prov. 3.

filius vivens. Hebr. 1. dicitur *figura substantiæ Patris;* en perfecta cum Patre similitudo: ergo generatio Christi est vera, & propria.

Ob. I. Ariani. Joann. 1. Christus dicitur *quasi unigenitus;* ergo &c. II. Ibidem c. 10. 36. Christus se dixit *Filium Dei*, ex quo cum Pater sanctificaverit: ergo Filius Dei est gratia, non natura. III. Coloss. 1. & 18. dicitur *Primogenitus;* supponit ergo alios filios ejusdem naturæ: sed ii sunt adoptivi: ergo & Christus. IV. 1. Cor. 15.: *Cum subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei:* ergo Christus est Filius Dei sola administratione Ecclesiæ, quam illi Pater subjecit.

R. ad I. neg. conf. Nam Græcum ὡς, *quasi*, ut plurimum est ὁριςικὸν, *definitivus*, sive, ut ait Chrysostomus hom. 2. in Jo. *confirmationis*, & *indubitatæ determinationis.* Ita Matth. 15. *Sicut prophetam eum habebant*, Græce ὡς προφήτην. Nec obstat illud Luc. 5. *Erat incipiens quasi annorum* 30. τὸ *quasi* esse diminutivum; habetur enim ibi ὡσὶ, *indeterminatum*, non ὡς ὁριςιχὸν. Adde τὸ *incipiens* significare annum nondum completum. Ad II. respondet Æstius *a*), neg. conf. Ibi enim probat Christus, se recte dixisse, quod Filius Dei esset. Si enim homines, ad quos sermo Dei factus est, recte vocantur Filii Dei, quanto magis verus Dei Filius? Nec obstat, Christum dici sanctificatum; nam sanctificavit eum Pater, quando genuit, ait S. P. A.; sanctificavit ejus humanitatem, quando eum misit in mundum, ait Hilarius l. 7. Trinitat.. Ad III. neg. conf. Christus enim jure dicitur *primogenitus*, quia fuit *major in donis*, & *prior in imperio.* II. Quia prior est genitus, quam ulla creatura. III. Quia est princeps fratrum suorum, & *princeps regum terræ*, ex 1. Apoc. IV. Quia est *hæres universorum*, per quem omnes hæreditatem capiunt

(a) *Comment. in Jo.*

capiunt salutis: ergo &c. Ad IV. neg. conf. Christus enim subjicietur Patri, ut docet Hieronymus, & Augustinus, juxta dispensationem carnis assumptæ; Apostolus enim loquitur de Christo, ut homine. Ait vero in fine subjiciendum, *Ne quis putaret*, ait S. P. l. contra Serm. Ar. 37., *spiritum, & corpus humanum aliqua conversione in eo periturum*, quod Ariani opinati sunt.

Ob. II. Wolzogenius. Christus dicitur Dei Filius in sacris literis, I. Quod Spiritus S. virtute conceptus est. II. Quod sit a Patre sanctificatus, & missus. III. Quod Deus eum suscitans a mortuis, ad vitam immortalem quasi genuit, ex Ap. Act. 3. IV. Quia ad dexteram suam posuit, donavit illi nomen &c. Sed ex iis non habetur propria generatio: ergo &c.

R. neg. min. Nam Luc. 1. ait angelus: *Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, ubi τὸ *ideo* hunc sensum reddit: *Quia Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te, vocabitur, & erit Filius Dei.* II. Cum supernaturalis Christi conceptio exprimatur iis verbis: *Spiritus sanctus superveniet in te*, sequentia aliquid præstantius significat, unionem nempe divinæ humanæque naturæ. Ad II. vide R. ad II. obj. præc. Ad III. R., illud Ps. 2. *Ego hodie genui te*, etiam de resurrectione dictum, ut docent Origenes, Chrysostomus &c. sed non inde excludi æternam generationem, de qua illud exponunt Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, & Athanasius. Imo de temporali explicat idem Athanasius, Fulgentius, Euthymius, aliique: nec tamen discrepant inter se. Statuendum est enim, I. ex loco citato probari divinam generationem; illud enim, *Filius meus es tu*, demonstrat Christum Filium Dei esse, non adscitum, sed genitum, nec gratia, sed natura, unde Apostolus Hebr. 1. de propria generatione hunc locum accipit. Potest etiam exponi de temporali conceptione, qua factum est, ut filius hominis fieret Filius Dei naturalis ob unio-

nem hypostaticam. Ad resurrectionem vero spectat illud: *Ego hodie genui te*, quia Christus resurgens se verum manifestavit Dei Filium. Ad IV. R., illas Christi prærogativas ab æterna ejus generatione, veluti a primo fonte, manare.

Ob. III. Swikerus. Hermas Filium Dei antiquiorem facit omni creatura, non generatione, sed prædestinatione, quo sensu Ecclesiam vocat *anum*, quia *omnium prior creata est.* II. Spiritum sanctum cum Filio confundit, dicens: Filius Dei Spiritus sanctus est: ergo &c.

R. Ecclesiam *anum* dici posse, & omnium primam ratione angelorum sanctorum, qui ad triumphantem Ecclesiam spectant. An II. neg. ant. Cum enim spiritus nomen sit Deo, & angelis commune, recte Filio Dei tribuitur etiam a Prudentio in Apoth.; ubi ait: *Spiritus ille Dei Deus, & se corpore matris induit.*

CAPUT III.

Wolzogenii sophismata diluuntur.

Ob. I. Si Pater aliam personam ex sua essentia genuisset, alium Deum genuisset, sicut pater in humanis filium gignens ex sua essentia, alium hominem gignit; ergo sicuti hic ex uno duo homines fiunt, sic ibi ex Deo uno duo fient; & sicuti ibi, ita etiam hic Pater, & Filius distinctam habent essentiam, unde in Nicæno symbolo Christus dicitur *Deus de Deo.*

R. neg. ant. Deo enim tribui debent perfectiones creaturarum, detractis imperfectionibus. Quod ergo gignens, & genitus sint res subsistentes, & ille huic naturam communicet, est generationis perfectio, quæ recte de Deo enunciatur. At quod genitor sit prior tempore, quod generatio fiat seminis decisione &c., non est essentia, sed defectus creaturarum. In humanis ergo filius est a patre diversus, quia generatio fit seminis decisione, Deus autem,

autem, qui ſimplex eſt, eſſentiam non dividit. In Symbolo Nycæno Filius Dei dicitur *Deus de Deo*, ideſt perſona ex perſona divina, ut Eccl. ult. *Invocavi Dominum Patrem Domini mei*: ergo hæc propoſitio: Deus Deum genuit, vera eſt, non item alia, *Deitas genuit deitatem*.

Dices. Deus non genuit ſe, neque alium Deum, cum ſit unus: ergo &c. R. diſt. ant. Deus non genuit alium Deum, ideſt aliam perſonam, quæ Deus eſt, neg.; aliam naturam divinam, concedo.

Inſt. Deus Pater Deum non Patrem genuit: ſed Deus non Pater non eſt verus Deus: ergo &c. R. diſt. maj. Genuit Deum non Patrem, ſi nomen Dei ſumatur pro perſona, conc.; ſi pro divinitate accipiatur, neg. ſuppoſitum; Divinitas enim nec gignit, nec gignitur, & neg. minorem.

Ob. II. Pater, & Filius eandem eſſentiam habent: ergo Filius eſt genitus ex ſua, & Patris eſſentia. R. diſt. conſ. Filius eſt genitus de Patris eſſentia, hoc eſt de Patre, qui eſt ſua eſſentia, conc.; de eſſentia a Patris proprietate ſejuncta, neg. Nam divina eſſentia neque gignit, nec gignitur, unde Filius dicitur genitus a Patre, non ab ejus eſſentia.

Ob. III. Deus eſt ab æterno: ergo, ſi Filius Dei proprie genitus eſt, Deus ſummus non eſt. Nam generatio eſt mutatio de non ente in ens. II. Pater eſt ſemper tempore prior Filio, alias generari poſſet, quod jam exiſtit, illudque in dies iterum generari, quod eſt abſurdum: ergo &c.

R. neg. conſ. Non enim neceſſe eſt, ut ab æterno exiſtens ſit *innatum*, quippe in divinis non requiritur præexiſtentia Patris, ſed ſufficit conditio originis, quod PP. explicant exemplo caloris, & lucis. Sol enim, & ignis, calorem, aut lucem, quam gignit, non præcedit, ſed ſtatim ac ſol, aut ignis productus eſt, lux & calor ab illis manavit.

Ita Pater ab æterno genuit Verbum, ut si sol ab æterno fuisset, semper lucem emisisset. Unde Ecclesia Filium vocat *lumen de lumine*: non opus est ergo, ut generatio sit transitus de non esse ad esse, sed sufficit ut Filius accipiat naturam a Patre, quod potest, licet sit illi coæternus. Ad II. dist. ant. Pater est prior, si ejus operatio sit accidentalis, conc.; si sit essentialis, ut est in Deo, neg. Ideo autem quotidie generari non potest, quod jam existit, quia generatio creaturæ sit tempore, in quo præteritum nequit esse futurum: ast in æternitate, ubi non est ante, neque post, Verbum gignitur, & semper est.

Ob. IV. Si Deus Filium genuit ab æterno, nunc autem non gignit, factus est ex generante non generans. Sed hæc mutatio, utpote, intrinseca, in Deum non cadit: ergo &c. II. Vel Filius libere est a Patre genitus, vel necessario. Si primum: ergo potuit non gigni, adeoque nec esse; si secundum: ergo perpetuo gignit, cum Dei voluntas sit semper eadem.

R. neg. ant. Cum enim Dei generatio sit æterna, nunquam cessavit Pater a generando. Nec sequitur, quod Ariani opponebant, Filium nondum esse perfecte genitum; neque enim lux dicitur imperfecta, quod sol non cesset illam producere. Melius tamen dicitur: *Filius semper natus, quam qui semper nascitur*, ut ait S. P. q. 37. Vere enim semper natus, quia semper Filius.

Inst. Vel Pater genuit Filium existentem, & frustra genuit, vel non existentem, & ita Filius semper non fuit. R. Generationem æternam tribuere Filio, ut semper habeat esse a Patre: atqui ad id non requiritur præexistentia, sed sufficit, si quod habet Filius, habeat a Patre, licet ambo sint coætanei, ut sol & lux: ergo Pater Filium genuit existentem, prout est principium existentiæ Filii, quam is semper recipit a Patre.

Ad II. dist. ant. Filius genitus est necessitate, prout naturalis est, & ex Patris substantia, conc.; sic

ſic enim neceſſario eſt productus, non ex deliberatione natus, ut ait Eunomius: ſumpta neceſſitate pro indigentia, quæ in Deo nulla eſt, neg. Item ſi voluntarium ſumas pro non coacto, Filius voluntarie natus eſt, cum Deus a nullo cogeretur, ut Filium gigneret. Si cum Ario accipias, prout eſt indifferens, nego Filium Dei ita gigni, cum nulla ex Fulgentio præceſſerit in gignente deliberatio. Tandem ſi neceſſarium. & deliberatum ſimul accipias, nec voluntate, nec neceſſitate Filius genitus eſt, ſed natura.

Ob. V. Wolz. Si eſſentia Patris Filius eſt, intellectus Patris erit etiam intellectus Filii: ſi ergo Pater intellectum Filii gignit, etiam Filius gignit ſeipſum, & Spiritus S. erit Pater Filii, & origo ſuæ originis. R. neg. ant. Nam intellectio, quæ Filium producit, non eſt *eſſentialis* intellectio, ſed relativa, & *notionalis*. Nego itaque operationem, qua Pater Filium gignit, communem eſſe, licet communis ſit intellectio eſſentialis, cum Pater omnia Filio communicet, excepta proprietate perſonæ. Vide R. ad 1. c. 6. diſſ. 1.

CAPUT IV.

An Filius ſit Patri conſubſtantialis.

LICET hæc quæſtio poſſit ex hactenus dictis facile ſolvi, cum non poſſit eſſe Filius naturalis, & coæternus, quin eandem habeat cum Patre ſubſtantiam, cum tamen plura alia ab Hæreticis opponantur, aliis etiam momentis eam firmare conabimur. Sit itaque

PROPOSITIO I. Ex Dei nominibus Verbi divinitas demonſtratur.

Prob. I. Etenim Filio tribuitur nomen יהוה, *Jehova*, quod ſoli Deo vero tribuitur: ergo &c. Prob. Iſaias enim c. 6. ait: *Vidi Dominum*, יהוה, *Jehova*, *ſedentem ſuper ſolium* &c., quæ de vero Deo

Deo dici constat ex *Jehova*, & ex trisagio *Sanctus* &c.; sed Isaias vidit gloriam Christi ex Jo. 12.: ergo Christus est Deus summus, II. Is. 8. habetur: *Dominum*, יהוה, *sanctificate*, *& erit vobis in sanctificationem*, *& in lapidem offensionis*: sed hoc de Christo dicitur ex Luc. 2., & Rom. 9.: ergo &c. III. Zach. 11. *Appenderunt mercedem meam* 30. *argenteos*, *& dixit Dominus*, יהוה, *ad me* &c. quæ de Christo prædicta sunt ex Matth. 27.; ergo &c. (a).

II. Tribuitur Verbo Dei nomen, quod nullibi in novo testamento creaturis tribuitur, cum Latinum Deus, & Græcum Θεὸς, sit proprium nomen, non appellativum, ex Irenæo l. 3. c. 6. Et patet ex Joan. 1.: *Et Deus erat Verbum*: ergo &c. R. Socinus (b) in Græco haberi nomen Θεὸς absque articulo, quo Deus summus designatur. Sed contra. Nam I. fatetur Socinus, hanc regulam non esse in græca lingua perpetuam; nam ὁ θεὸς cum articulo enunciatur de diis gentium (c). E contra Θεὸς absque articulo verum Deum significat Jo. 1., ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ. Et v. 12. τέκνα θεοῦ &c. II. Si Θεὸς cum articulo est verus Deus, erit & Christus, qui a Thoma dicitur ὁ κύριος, καὶ θεὸς μου cum articulo. Quæ verba referri ad Christum, cum quo Thomas loquebatur, evincitur ex contextu; legitur enim, *respondit*, *Thomas*, *& dixit ei* &c. III. Jo. 1. habetur Θεὸς absque articulo, ex Chrysostomo (d), quia articulus subjecto præponi solet, non prædicato. Nam, ut fatetur Wolzogenius, in græco legi debet: *Sermo erat Deus*, *ut sermo subjectum sit*, *Deus prædicatum*, *quod etiam Beza*, *Piscator*, *Mal-*

(a) *Vide Huetium D. E. Pr. 7.*, *Habert de Deo trino c. 4. &c.*

(b) *Contra Bellarm. c. 6. Class. 4.*

(c) *2. Cor. 4.*, *Gal. 4. & alibi.* (d) *Hom. 3. in Jo.*

Maldonatus &c. observarunt. Nec Verbum dictus est Deus, ut Moses, & Prophetæ: 1. quia id in novo testamento est inusitatum, neque in veteri testamento ponitur *Deus* loco יהוה, ubi de vero Deo non est sermo. 2. Licet Gentibus sint dii multi, *nobis tamen Deus unus est Pater, & unus Dominus J. Ch.*, ut ait Apost. 1. Cor. 8. Si ergo Verbum Deus est, debet esse idem ille Deus unus, qui est Pater. 3. Per Socinianos Verbum Deus est præstantiori titulo, quam quævis alia creatura (licet non sit Deus ille summus): ergo Verbum non est Deus, ut Moyses &c.

III. Christus dicitur *Deus super omnia benedictus*, Rom. 9.: sed hic est Deus altissimus Eph. 4.: ergo Christus est Deus ille summus &c. R. I. Sociniani, Deum ibi poni cum restrictione, *super omnia.* Sed contra. Præpositio ἐπὶ Matth. 24., Luc. 1., Act. 8. &c. præeminentiam designat: ergo etiam Rom. 9. Deinde etiam Pater ib. dicitur, *qui est super omnes* &c.: sicut ergo hic Deus summus innuitur, ita etiam innuitur, ubi de Filio sermo est.

R. II. Erasmus, illud esse epiphonema, sive acclamationem ad Patrem, quæ a verbis præcedentibus debet interpunctione secari. Sed fallitur. I. enim in Græco extat articulus, qui Dei nomini præpositus ex Erasmo certam personam exprimit, quique non solet apponi in epiphonemate. II. Quia ὁ ὢν, *qui est*, refertur ad præcedentia, nec est nota novæ orationis, sed veteris. III. Socinus, & critici sacri eam interpunctionem rejiciunt.

R. III. Erasmus, Dei nomen ibi irrepsisse; nam Cyprianus, Hilarius, Chrysost. &c. legunt, *qui est benedictus*, sine Dei nomine. Grotius ait, desiderari in Syriaca, & Paulum de more Patrem *Deum* vocare, Filium autem *Dominum.* Sed contra. I. Quia non opus est, ut PP. integros textus proferant. II. Quia Erasmus, Petavio teste, mendoso Cypriani codice usus est. Fallitur etiam Grotius; nam

nam in Syriaca nedum extat Dei nomen, ſed ad Chriſtum refertur; habetur enim, *Apparuit Meſchicho in carne, qui eſt Deus ſuper omnes &c.* Eadem habet Arabicus ap. Valton. in Polygl. Apoſtolus autem tribuit Filio nomen Domini & Dei etiam ad Tit. 2. & 3.

Propositio II. Ex attributis ſummi Dei Verbi divinitas demonſtratur.

Pr. I. Pſ. 76. ſummus Deus dicitur *Deus magnus:* ſed talis dicitur Chriſtus c. 2. ad Tit. *Expectantes adventum gloriæ magni Dei, & Jeſu Ch.*, ubi magnus Deus non eſt Pater, ſed Filius, quem ſolum expectamus in fine mundi: ergo &c. II. Filio tribuitur æternitas Mich. v. 2. *Egreſſus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Hebræus habet *ante principium, ante dies ſæculi.* Ubi *egreſſus* non proſapiam, ſed nativitatem deſignat. Habet etiam Hebræus *de egreſſibus*, quod non innuit longam majorum ſeriem, ut putat Wolzogenius, ſed aut duplam Chriſti genealogiam, aut plurali numero magnitudinem antiquæ nativitatis oſtendit. III. Convenit etiam Filio omnipotentia; nam *omnia per ipſum facta ſunt:* ergo &c. Vide ap. Tournel., & Juenin prælationes de aliis attributis.

Propositio III. Ex Dei operibus Verbi divinitas comprobatur.

Prob. Opera Dei ſunt remiſſio peccatorum, mortuorum reſurrectio, collatio Spiritus S., & ſcrutatio cordium: ſed hæc virtute ſua fecit Chriſtus: ergo eſt verus Deus. Pr. min. Nam Matth. 9. ait Paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua;* quam poteſtatem miraculo comprobavit, dicens: *Tolle grabatum tuum &c.* Ubi tribus miraculis, ait Chryſoſtomus, Chriſtus ſe Deum oſtendit, ſecretorum cordis ſcrutatione, peccatorum remiſſione, & Paralytici curatione. II. Filium Dei propria virtute a mortuis ſurrexiſſe, conſtat ex Jo. 2., ubi ait: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Et

c. 10.

c. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam:* ergo &c.

Inst. Wolzog. Resurrectio Christi tribuitur Patri Gal. 1., Act. 13., & alibi: ergo Christus habuit proprie moriendi potestatem, improprie resurgendi.

R. neg. cons. Christus enim a seipso potestatem habet ponendi animam suam, & resumendi eam: ergo si prior potestas propria est, erit & secunda. Deinde, si potestas resuscitandi propria est Patris, quia ejus virtute Christus surrexit, propria erit hæc potestas etiam in Filio, quia ejus virtute omnes in die judicii resurgent, ex Jo. 5. III. Operatio soli Deo propria est Spiritum S. conferre: sed hæc etiam Filio convenit, ut infra ostendemus: ergo &c. Unde S. P. A. l. 15. Trin. 26 ait: *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum S.? Imo quantus Deus, qui dat Deum. Discipuli orabant, ut veniret, non ipsi eum dabant.* IV. Ut omittam creationem, & gubernationem omnium, quam Filio tribuit Jo. 1., Apostolus Hebr. 1. cordium scrutatio tribuitur Filio Apoc. 2. & Jo. 21.. ubi Petrus ait, *Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te.* Nec Petrus hæc dicens erravit, quia ejus vera confessio recepit mercedem a Christo.

Propositio IV. Ex perfecta Filii æqualitate cum Patre ejus divinitas ostenditur.

Pr. I. Filius Patris opera facit, est una cum Patre beatorum vita, & eandem habet divinitatem: ergo &c. Pr. I. pars ant. Jo. 5. Christus ait: *Pater meus operatur, & ego operor*: ergo eadem sunt opera utriusque. Ubi nota, Judæos eum occidere voluisse, *quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*: ergo intelligunt Judæi, quod non capiunt Ariani, ait S. P. Tr. 17. in Jo. Prob. II. pars. Jo. 14. ait Christus: *Qui videt me, videt & Patrem;* viso ergo Filio, habetur vita æterna: ergo &c. Ubi nota, ex Aug., non videre unum, viso alio, nisi sint perfecte similia, nec viso Petro, videri Paulum, nisi eandem habeant ambo staturam, colorem &c. Si ergo viso Filio, videtur Pater, sunt ambo similes; non

non enim videri poteſt in auro lapis, in homine leo, ut ait Chryſoſtomus H. 74.: ergo Pater & Filius eſt una eademque ſubſtantia. Joannes etiam 1. Ep. 5. ait: *Qui habet Filium, habet vitam*, & c. 20. *Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Quæ verba male ad Patrem refert H. Grotius, & Socinus. Ibi enim ὗτος, *hic*, ad Filium, qui proxime præcedit, referri debet, maxime cum ſcopus Joannis ſit oſtendere Filium eſſe Verbum vitæ, & vitam æternam (*a*).

Pr. III. pars. Jo. 10. Chriſtus ait: *Ego & Pater unum ſumus*, ubi Chriſtus loquitur de unitate ſubſtantiæ, 1. quia ait, rapi non poſſe de manu Patris, quod nequit rapi de manu Filii: ergo Patris, & Filii una eſt poteſtas, una ſubſtantia: 2. ex quo nemo rapiat oves de manu Patris, is major eſt omnibus: ergo Filius major eſt omnibus, qui ait, *Nemo rapiet &c.*, unde ait: *Ego & Pater unum ſumus.* Hinc S. P. tract. 71. in Jo. ſcribit: *Quod ait unum, audiant Ariani, quod ait ſumus, audiant Sabelliani, & nec illi æqualem, nec illi alterum negando ſint vani.*

Inſtant Ariani. Joannis locus de voluntatis conſenſu accipi debet; Chriſtus enim rogat, ut fideles ſint unum, *Sicut* (ex Jo. 17.) *tu Pater in me, & ego in te*: & Act. 4., *Credentium erat anima una, & cor unum*, nempe unitate concordiæ. R. diſt. ant. Accipitur de conſenſu, ſecluſa unitate ſubſtantiæ, neg.; non excluſa, conc. Nam unitas ſubſtantiæ probatur ex Joannis ſcopo, qui eſt oſtendere, Patris ac Filii unam eſſe poteſtatem. Neque Chriſtus ait: *Unum volumus*, ſcribit Eugenius Cathag., *ſed unum ſumus.* Nullibi enim invenitur, *unum ſunt* de iis, quorum diverſa eſt natura, ut obſervant S. P. A. (*b*), & S. Thomas (*c*).

R. II. ad ſingula loca cit. Joann. 17. Unitas naturæ

(a) *Cap.* 1. *Jo.* (b) *L.* 6. *Trin. c.* 3.
(c) *Lect.* 5. *in hunc loc.*

turæ designari non potest; nam καθὼς est nota similitudinis, non æqualitatis, ut Luc. 6., & Matth. 5., ubi præcipitur imitatio, non æqualitas divinæ perfectionis. II. Non petit Christus, ut simus unum in natura, sed in Patre, & Filio, idest caritate, & dilectione, ut explicat S. P. A. l. 6. Trin. 9. III. Nos ipsi cum Deo conjuncti sumus per Verbi incarnationem, qua sibi nostram copulavit naturam, & per Eucharistiam, qua ejus corpore pascimur, ait Cyrillus, & Hilarius. Ad IV. Retorqueo argumentum: rogat Christus, ut fideles *Unum sint, sicut tu Pater* (ait) *in me, & ego in te:* sed, nisi Christus se se a creaturis distingueret, dicere debuisset, *Sicut tu in nobis, & nos in te:* ergo &c. Quod sequitur, solvitur a S. P. contra Max. c. 20. *Quando de pluribus dicitur unus est, & additur quid unus, & de his quæ diversæ, & de his, quæ sunt unius substantiæ, dici potest; ubi autem dicitur de duobus unum sunt, nec additur quid unum sint, non diversæ, sed unius intelliguntur esse substantiæ: sicut dictum est, Ego & Pater unum sumus.*

CAPUT V.

Ubi Arianorum argumenta solvuntur.

Ob. I. Jo. 14. Christus ait: *Pater major me est:* ergo Filius non est Patri consubstantialis.

R. dist. ant. *Major me* est ratione humanitatis, conc.; ratione personæ, subd. Major me est origine, conc.; substantia, neg. Alias non diceret Jo. 5. 9. *Qui videt me, videt & Patrem.* Nec Patrem suum dixisset Deum, *faciens se æqualem Deo.* Ob duplicem ergo naturam, ait S. P. 2. Trin. 1. *Filius est æqualis Patri secundum formam, in qua erat, & minor Patre secundum formam servi, quam accepit.* Hæc latini PP. Græci vero, qui ajunt, Filium esse minorem Patre secundum habitudinem caussæ, eo quod Pater sit origo Filii, ut docent Basi-

Basilius (*a*), Nazianzenus (*b*), Chrysostomus (*c*), nomen *caussæ & principii* indiscriminatim usurpant. Videtur tamen verior sententia Latinorum, quia nullibi scriptum est, Patrem majorem esse Spiritu S., aut hunc esse Patre minorem, quia Spiritus S. non assumpsit humanitatem, & Christus ait, *Gauderetis, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est:* sed Christus non adiit Patrem ratione divinitatis, qua nunquam a Patre recessit, sed ratione humanitatis: ergo &c.

Ob. II. Hæc propositio affirmans, *Pater major me est*, hanc negantem includit: *Ego non sum tam magnus ut Pater:* atqui non potest negari de persona, quod ei convenit ratione naturæ; nemo enim negat hominem esse quantum, eo quod ejus anima non sit quanta: ergo, si Christus secundum divinitatem tam magnus esset ac Pater, nullo modo id negare potuisset.

R. neg. suppositum minoris; non enim de persona Filii negatur, quod sit tam magnus, ut Pater, sed cum constet divina, & humana natura, illa æqualem, hac minorem Patre eum enunciamus. Unde retorqueo argumentum: ex quo homo sit quantus ratione corporis, non sequitur, quin sit spiritalis ratione animæ: ergo, ex quo Christus, ut homo, sit minor Patre, & æqualis Patri, ut Deus, vere dixit: *Ego & Pater unum sumus*, & *Pater major me est.*

Inst. Wolzog. Dici nequit, Christus non est natus de Virgine, nec passus &c., ex quo nil horum ei competat ratione divinitatis: ergo nec dici potest, est æqualis Patri &c., eo quod nihil horum ei competat ratione humanitatis. R. neg. cons. Cum enim Christus Deus sit & homo, de eo affirmantur, quæ utrique naturæ conveniunt, sicut de homine dicitur, quod sit corporeus & spiritalis; nequit ergo dici Christum nec natum esse nec passum

(a) *L. 1. adv. Eunom.* (b) *Or 5.* (c) *Hom 75.*

sum, cum id ei competat ratione humanitatis, nec dici potest non esse Patri æqualem, cum id ei competat ratione dininitatis.

Ob. III. Jo. 1. 19. *Non potest Filius facere quidpiam, nisi viderit Patrem facientem;* & v. 30. *Ego nihil possum a meipso:* ergo Deus non est omnipotens. II. Jo. 7. ait Christus, *Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me:* ergo &c. III. Ait se missum a Patre (a), ab eo mandatum accepisse (b), ad Patrem orasse (c): ergo &c. IV. Jo. 20. Patrem suum Deum, ac Dominum vocat. V. Matth. 26. aliam voluntatem a Patre innuit dicens, *Non sicut ego volo, sicut tu:* ergo &c.

R. ad I. cum Nazianzeno dist. ant. *Filius non potest*, quia impotens, neg.; quia una est Patris, ac Filii potestas, conc.; subdit enim, *Quæcunque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit*, & supra dixerat, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.*

Nec obstat, quod Filius ad normam Patris se se componat; Christus enim ad Patris normam se componit, non ut servus, sed ut imago, quæ eandem motionem habet cum archetypo, ut dum quis se se contemplatur in speculo. Ad III. neg. conf. Ideo Christus doctrinam suam doctrinam Patris appellat, ne credatur per humanam industriam comparata; vel forte loquitur ex Judæorum hypothesi, qui putabant eum voluntate, & doctrina a Patre diversum.

Inst. Wolzog. Christus expresse negat, eam doctrinam suam esse: ergo &c. R. dist. ant. Negat absolute, neg.; in Judæorum hypothesi supra exposita, conc. Ad III. dist. ant. Fuit missus a Patre &c., ratione humanitatis, conc.; ratione divinitatis, neg. Unde Aug. ait: ideo *Patris & Filii diversas esse naturas, quia obediens Patri ostenditur Filius.* Inst. Wolzog. Christus mandata accepit a Patre,

(a) Jo. 3. (b) Jo. 10. (c) Jo. 17.

Patre, ut ejus legatus: sed per catholicos Christus est legatus Patris, ut Deus: ergo ut Deus subjicitur. R. dist. min. Itaut divinitas Christi subjectionem, & mortem reddiderit summe dignam, conc.; itaut hic legatus per formam Dei sit Patri subjectus, mortemque subierit, neg. Ad IV. dist. ant. Vocat Deum ac Dominum, ut homo est, conc.; ut Deus est, neg. Hinc S. P. tract. 122. in Jo. exponens verba illa, ait, *Aliter meum, aliter vestrum: Deum meum, sub quo ego homo sum, Deum vestrum, inter quos mediator sum.*

Inst. Wolz. Christus Deum suum hebraica phrasi Patrem vocat, idest benefactorem suum, eo quod a morte eum suscitavit: ergo &c. R. Transmisso ant. neg. cons. Nam Deus humanitatem assumpsit, in quam possent ea beneficia conferri. Ad V. neg. cons. Inde enim eruitur fuisse in Christo voluntatem divinam & humanam, & hanc divinæ perfecte subjectam.

Ob. IV. Christus non habet bonitatem, potestatem, scientiam: ergo non est Deus summus. Prob. I. pars. Matth. 19. Christus ait: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus:* ergo &c. Prob. II. pars. Ib. c. 20. ait Christus: *Sedere ad dexteram &c. non est meum dare vobis:* ergo &c. Prob. III. pars. Ib. c. 27. ait, *De die illa*, judicii, *nemo scit, nisi solus Pater:* ergo &c.

R. neg. ant. Christus enim se bonum dicit Jo. 10. Omnem potestatem sibi datam esse Matth. 28. In eo omnes sapientiæ thesauros agnoscit Apostolus Coloss. 2. Ad I. partem ant. neg. cons. Non negat Christus propriam bonitatem, sed fidem adolescentis attollit, quasi dicat: si me purum hominem censes, cur bonum vocas? si bonum dicis, & me Deum crede, qui solus est boni fons & origo. Ita Nazianz. or. 36. & S. P. A. l. 3. contra Maximin.

Ad II. partem ant. dist. ant. Non *est meum dare superbis*, ut exponit S. P. A. in Ps. 126. qui terrenum

tenum regnum petunt jure sanguinis, conc.; humilibus, *quibus paratum* est a Patre, nego.

Inst. Cur ergo non ait Christus: *Quibus paratum est a me, vel a Patre meo?* R. Quia fons est summi imperii, nec tamen seipsum excludit; ait enim Jo. 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.*

Ad III. dist. ant. Nescit Filius judicii diem, ut Deus homo est, & privata persona, neg.; ut Ecclesiæ caput nullis manifestando, ut salubriter paveant, conc. Hoc sensu judex, confessarius, & regius legatus se nescire ait, quod nefas est revelare. Nec mentitur tamen, dum ait se nescire quod scit ut privata persona: *Hoc enim nescit*, ait S. P. l. 1. de Trin. 12., *Quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret.*

Dices. Hoc sensu etiam Pater diem judicii ignoravit: ergo &c. R. neg. ant. Nam Pater hunc diem Filio revelavit, nec ipse legatione fungitur apud homines, quod munus est Filii.

Ob. V. Filius divinitatem habuit ex gratia; Deus enim, Philipp. 2., *Donavit illi nomen &c.* Jo. 54. *Omne judicium dedit Filio.* Act. 2. *Dominum & Christum fecit eum.* 1. Cor. 1. *Factus est nobis sapientia a Deo, & justitia.* Apoc. v. 12. *Dignus est agnus accipere virtutem, & divinitatem:* ergo &c.

R. neg. ant. Nam Filius factus est Deus, Dominus, sapientia &c. quando *Verbum caro factum est*; tunc enim transiit jure naturali ad Filium hominis quidquid Verbum erat, divinitas, sapientia, &c. Christus ergo ratione humanitatis factus est Deus, quia natura humana nexu substantiali ad jura divinitatis transivit. Prædestinatus est autem Christus, ut homo, ad tantam nominis gloriam, etiam propter passionis humilitatem, per quam agnus occisus accepit virtutem, & divinitatem: ubi *divitatem* olim scriptum aliqui putant; nam græcus habet πλȣ̃τον, *divitias*, quia Christus passione sua divitias misericordiæ suæ nobis largitus est.

Ob. VI. Prov. 8. 4. Filius dicitur *creatus: ergo* &c. II. Matth. 12. dicitur *ſervus*. III. Jo. 1. dicitur *factus*. IV. dicitur ibi: *Omnia per ipſum facta eſſe:* ergo Verbum eſt Patris inſtrumentum, adeoque creatura.

R. ad I. neg. ant. Nam Prov. 8. legendum eſt: *Dominus poſſedit me.* Sic enim habet hebraica & vulgata. Græcis autem facile fuit, pro ἐκτήσατο, ſubſtituere ἔκτισε, ut Epiphanius obſervat. Poſſidere autem, generationem, non creationem ſignificat, ut Gen. 4., *Poſſedi hominem.* Deinde κτίζειν dicitur etiam de rebus, quæ non fiunt ex nihilo, ut de magiſtratibus &c. Aliquando etiam ſignificat gignere, aut conſtituere, ut notat S. P. in l. contra Adverſ. legis. Ad II. diſt. ant. Dicitur ſervus conditione, neg.; obedientia, conc. Deinde Iſaias hæc profert de ſeipſo; & licet in Chriſto, cujus figuram geſſit, ſint adimpleta, non ſequitur tamen, Iſaiam, & Chriſtum eodem modo ſervum fuiſſe, ſed illum conditione, Chriſtum obedientia. Ad III. diſt. ant. *Ante me factus eſt*, hoc eſt, *antepoſitus, & prælatus eſt mihi*, conc.; ante me creatus eſt, neg. Sequitur enim, *quia prior me erat;* ſi enim priora verba creationem ſignificent, ſenſus erit: *ante me creatus eſt, qui ante me creatus eſt*, quæ eſt indigna Joanne ſententia. Ad IV. neg. conſ. *Quomodo enim fieri* poteſt (ait S. P. Tr. 1. in Jo.) *ut Verbum Dei factum ſit, quando Deus per Verbum fecit omnia?* Nam græca particula διὰ, *per*, ſæpe effectricem cauſſam deſignat, ut Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum;* & Prov. 8., *Per me reges regnant:* ergo &c.

Ob. VII. Dei proprietas eſt eſſe *ingenitum:* ſed Filius non eſt ingenitus: ergo &c. II. Filius eſt ſimilis Patri: ergo eſt alterius ſubſtantiæ. III. Pater eſt perſona divina: Filius non eſt Pater: ergo non eſt perſona divina. R. diſt. maj. Dei proprietas eſt eſſe ingenitum, hoc eſt non creatum, conc.;

hoc

hoc eſt, non genitum, ſubd. Eſt proprietas perſonæ, conc.; naturæ, neg. (a). Ad II. diſt. ant. Filius eſt Patri ſimilis identitate ſubſtantiæ, conc.; qualitatis proprietate, neg. (b). Ad III. diſt. maj. Et nomen Patris ſignificat divinitatis ſubſtantiam, neg.; relationem, & habitudinem, concedo (c).

Ob. ult. Filius eſt ſermo Patris: ergo non eſt ei conſubſtantialis. Prob. conſ. ex Auguſtino, & Arnobio, qui probant, Mercurium non eſſe Deum, ſi ſermo eſt.

R. diſt. ant. Eſt ſermo prolatitius, ſyllabicus, & foris erumpens, neg.; vivus, ſubſiſtens, & intus manens, conc. Siquidem Dei Filius Verbum vocatur, quia mente gignitur, & quandam habet cum verbo noſtro ſimilitudinem, eſtque eadem Patris ratio, & intelligentia; non poteſt ergo aliam a Patre habere naturam. Non ita ſermo exterior, & ſyllabicus; is enim non ſubſiſtit, ſed tranſit, adeoque non eſt verbum ſubſtantiale, ſed qualitas adventitia. Jure ergo S. P. l. 7. C. D. 14. ait: *Quod ſi ſermo dicitur eſſe Mercurius, Deus non eſt.* Quæ argumentatio validiſſima eſt, & immerito carpitur a Pherepono.

CAPUT VI.

An Synodus Nicæna recte definierit Filium eſſe Patri ὁμούσιον.

NOT. I. Proſcripta Arianæ hæreſi, Verbum Patri per omnia ſimile nonnulli dixere, qui Semiariani dicti ſunt. Rejiciebant quippe cum Arianis vocabulum ὁμοέσιον, ſed ajebant Filium Patri aſſimilari ἐσία. Recentiores hæretici hoc vocabulum crimi-

(a) *Vide Cyrill. l. 11. Theſ. c. 1., & D. Th. 1. p. q. 33. a. 4. ad 2.*
(b) *Vide Baſil. Ep. 141. ad Cæſar.*
(c) *Vide Nazianz. l. 3. Theol.*

criminantur, alii ut a Gnosticis derivatum, ut Sandius, alii ut minus aptum ad Catholicum dogma exprimendum, ut Clericus.

Not. II. Vox ὁμοούσιον componitur ex ὁμοῦ, & οὐσία, quæ ex Clerico essentiam, aut substantiam significat, non personalitatem: licet quidam post Hilarium scribant, ὁμοούσιον a Synodo Antiochena proscriptum, eo quod Samosatenus per hanc unius essentiæ nuncupationem unicam personam esse Patrem, & Filium docebat, adeoque *usiam* pro persona, non pro natura accipiebat. Vide infra ob. 3.

Propositio. Vox ὁμοούσιον rite a Nicæna Synodo recepta est.

Prob. ex Mario Victorino tribus argumentis. I. Duo Ariani asserebant, & Filium ex nihilo esse, & aliquando cum Patre non fuisse: atqui per ὁμοούσιον utrumque damnatur: ergo &c. Prob. min. Ὁμοούσιον aut significat ambo esse eandem rem, aut in eadem substantia esse simul. Si primum: ergo Filius non est productus *ex non extantibus*, sed ex Patris substantia, & refellitur Arius, qui ait: *ex nihilo Filius.* Si secundum, nusquam fuit Pater in sua essentia absque Filio, & Arius refutatur, qui ait, *fuisse aliquando, quando non fuit.* II. De fide est, Filium esse *Deum de Deo* &c.: sed hoc est esse ὁμοούσιον: ergo &c. III. Semiariani ajebant, Filium esse *similem* cum Patre *substantiam*, adeoque ὁμοιούσιον, non ὁμοούσιον, contra quos dicendum est Filium eandem esse cum Patre, & *simul* substantiam: sed hoc recte per ὁμοούσιον exprimitur: ergo &c. Patres reapse uno ore fatentur, iis tantum hanc vocem displicere, qui Filium Patri consubstantialem fateri nolunt. Ita Hilarius, Basilius, Athanasius, Augustinus, Fulgentius, aliique apud Petavium l. 4. de Trin., & Lupum in append. ad Synodum Chalced.

Ob. I. Hoc vocabulum non extat in sacris literis: ergo non recte Synodo insertum est.

R. neg.

R. neg. conf. Neque enim in facris literis extat, Verbum eſſe *ex non extantibus*, *fuiſſe aliquando*, *quando non erat*, *non eſſe e Patris ſubſtantia* &c. Si ergo licuit Arianis nova ſuperſtruere vocabula ad fidei excidium, licuit etiam Nicænis Patribus ad fidei confirmationem ea voce uti, qua Verbi æternitas ſignificatur, & eadem cum Patre ſubſtantia. II. Non rejiciunt Ariani voces iſtas ἀγέννεςον, ὁμοιέσιον, ideſt *innaſcibilem*, & *ſimilem ſubſtantia* licet non extent in facris literis: ergo nec ὁμοέσιον debent rejicere. III. *Si ita credendum eſt*, ait Baſilius or. 40., *cur non ita profitendum?* R. II. diſt. ant. Non extat &c. expreſſe, conc.; illative, neg. Οὐσία enim eſt, id quod eſt, nempe Deus eſt lumen, vita, veritas, ſuum eſſe: ſed hæc eadem de Filio legimus in evangelio: ergo extat ſaltem illative in evangelio ὁμοέσιον, ut ait S. P. ad Paſcenn. *Etſi nomen iſtud non inveniretur in ſcripturis, res tamen ipſa inveniretur. Quid eſt enim contentioſius, quam, ubi de re conſtat, certare de nomine?*

Ob. II. Ante Nicænam Synodum nullus ex Patribus protulit ὁμοέσιον: ergo &c. R. I. neg. conſ. Singulæ enim hæreſes novas voces invexere, quibus contra impios fides cuſtoditur. R. II. neg. ant. Meminit enim hujus vocabuli auctor qq. ad Orth. (*a*), illudque Dei Filio tribuunt Dionyſius Alexandrinus (*b*), Pamphilus martyr (*c*), Tertullianus (*d*), & auctor Ποιμάνδρης ad Apoſtolorum tempora ſcriptus. Hinc Euſebius (*e*) fatetur, antiquiſſimum eſſe.

Inſt. Sandius. Hæc vox a Gnoſticis invecta, ut Æonum fabulam conflarent: ergo &c. R. neg. ant.

(a) *Inter opera Juſtini.*
(b) *Apud Athan. l. de fide ſua.*
(c) *In Apol. pro Orig.* (d) *Contra Praxeam.*
(e) *In ep. ad Cæſar. ap. Socr. l. 1. H. E. c. 8.*

ant. Gnostici enim Æones suos *omousios* non putabant, ut constat ex Irenæo (*a*).

Inst. Clericus. Eadem numero οὐσία dici nequit sibimet ὁμοούσιος; nam veteres ea voce significant, quod est ejusdem speciei: sed Dei essentia rationem speciei non habet: ergo &c.

R. neg. ant. Non enim essentia Filii, sed persona dicitur consubstantialis; licet ergo *usia* in creaturis habeat rationem speciei, & in individuis multiplicetur; in Deo tamen est in tribus personis indistincta. Quare personæ divinæ ejusdem speciei dici nequeunt, licet sint *omousiæ.*

Inst. Ὁμοούσιον in creaturis partitionem substantiæ significat: ergo rejiciendum. R. neg. cons. Non enim per se *omousion* hanc naturæ partitionem significat, nec nomina Deo, & creaturis communia comparationem admittunt: alias male diceretur, Deus Pater, aut Deus Filius, quod Pater in creaturis natura dividatur a Filio, aut Filius a Patre: sicut ergo utrumque recte dicitur, ita *omousion.*

Ob. III. Synodus Antiochena proscripsit *omousion*, quo Paulus Samosatenus abutebatur (1): ergo &c. R. cum Basilio ep. 300. dist. ant. Proscripsit in sensu Samosateni, prout decisionem substantiæ

(1) Vocabulum *omousion* ab Antiochena Synodo fuisse proscriptum, negat doctissimus Maurinus P. Meran l. 4. de divinitate D. N. J. C. c. 29., ubi ostendit, auctores, & promulgatores hujusce proscriptionis solos fuisse Semiarianos, atque ex eorum relatione, vel potius oppositione Athanasium, Basilium, atque Hilarium scripsisse, Antiochenos Patres *hanc vocem omousion substulisse*, proindeque Athanasii, Basilii, atque Hilarii ea de re testimonia falsis rumoribus Semiarianorum, non veritati hujus facti esse subnixa.

(a) *L.* 1. *c.* 1.

tiæ significat, conc. ; prout plures personas designat, quibus eadem essentia communis est sine partitione naturæ, nego. Hæc enim partitio non infertur ex voce *omousion*, sed ex conditione creaturæ. Hinc Nicæni Patres, *cum Pauli calliditatem animadvertissent* (qui hoc vocabulum urgebat, quasi a catholicis admitteretur eo sensu, quo sumitur a philosophis, apud quos partitionem importat, adeoque negarent, Filium personam esse a Patre distinctam) *neque hoc modo in Deo omousion accipiendum esse considerassent, merito inducti sunt, ut Filium omousion dicerent*, ut ait Athanasius l. de Syn. Arim. & Seleuc.

Inst. *Omousion* sensum patitur Sabellianum: ergo debuit reticeri. R. neg. cons. Quamvis enim hoc etiam in Nicæna Synodo discussum sit, unde Basilius illos excusat, qui *omousion* initio respuebant: subinde vero jure receptum est, I. Quia partitionem naturæ per se non significat: nec ullus veterum hoc sensu usurpavit. II. Ariani fatebantur, hoc vocabulo reapse significari communionem naturæ, ut postea in sua Antiochena Synodo testati sunt apud Socrat. l. 3. H. E. 25., & Sozom. l. 6. c. 4. III. Nicæni Patres pravum sensum a hac voce expunxere, definientes, Filium esse ex Patre unigenitum, idest ex substantia Patris: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, & Patri consubstantialem*, quibus verbis aditum omnem hæreticorum fallaciæ præcluserunt.

Quæres: cur Patres Nicæni non probarint vocem ὁμοιούσιον, idest *substantia similem*? R. Cum nulla creatura similis Deo esse possit, hoc etiam nomine Verbi divinitatem exprimi; sed quia hac voce *Semiariani* abutebantur, ut *omousion* excluderent, latet in ea hæreticorum perfidia; *Multa enim sæpe fallunt, quia similia sunt: timeo aurum bracteæ, quia me fallere potest, & tamen auro simile est*, ait Hil. l. 1. de Syn.

CAPUT VII.

De subsistentia, sive personalitate Spiritus sancti.

NOT. circa Spiritum sanctum errasse Sadducæos, qui & angelos, & Spiritum S. negabant; Montanistas, qui Montanum esse Paracletum a Christo promissum somniarunt: Sabellianos, qui Spiritum S. Patris personam esse affirmabant. Sed omnium impudentissime Macedoniani, & Sociniani. Illi a Macedonio Constantinopolitano dicti sunt, qui circa an. 360. errorem suum spargere cœpit, Spiritum sanctum cum Anomæis, & Semiarianis creaturam esse blasphemans. Damnatus est Athanasii opera in Alexandrina Synodo an. 362. Sociniani Spiritum S. putant esse virtutem, per quam Deus fideles sanctificat, non tamen ipsum Deum summum. Sicque cum Macedonianis Spiritum sanctum a Deo uno distinguunt, & cum Sadducæis negant esse personam. Nos errorem utrumque impugnabimus.

Not. II. Spiritus nomine in sacris literis sæpe charismata designari, ut Ps. 50. *Spiritum rectum innova*, idest pium cordis affectum, & Jo. ep. 1. *Nolite omni spiritui credere*, idest omni doctrinæ. Ex his tamen non sequitur, Spiritum S. nil aliud esse, præter participationem divinorum donorum, cum effectus pro caussis sæpe exprimantur.

Propositio. Spiritus S. vera est & subsistens persona.

Prob. argumentis validissimis c. 3. lib. hujus, quorum summa est. I. De Spiritu S. legimus, descendisse de cælo, missum esse, sedisse super Apostolos &c.: sed hæc opera sunt personarum: ergo &c. II. Confertur baptisma in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.: sed Pater, & Filius personæ sunt: ergo & Spiritus S. III. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S.:* sed duo priores sunt personæ: ergo & Spiri-

Spiritus S. Jam vero quid insaniat Socinus audiamus.

Ob. I. Probant catholici Spiritum S. esse personam, I. ex forma baptismi, & ex Matth. 3., *Ipse vos baptizabit Spiritu S. & igni*: sed persona nequit esse id, quo quis baptizatur, alias persona esset aqua & ignis: ergo Spiritus S. non est persona. Nec obstat c. 28. poni Spiritum S. cum personis Patris, & Filii. Sæpe enim personis res etiam inanimatæ junguntur, ut Eph. 6. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus*: ergo &c. II. id probant ex operibus personalibus; I. quia Spiritui S. tribuitur loqui Marc. 13.: sed Rom. 3. *Lex loquitur*, & Hebr. 12. *sanguis Abel*, quæ duo personæ non sunt: ergo nec Spiritus S. II. Luc. 12. de Spiritu S. dicitur: *Docebit vos omnia*: at 1. Cor. 11. & Jo. 2. habetur: *Natura & unctio docet vos*: sed neutra ex iis persona est: ergo &c. III. Luc. 2. habetur, *Spiritus S. erat super eum*. Sed Jo. 3. idipsum dicitur de *ira Dei*, & Gal. 6. de pace: ergo &c. IV. Neque id evincitur ex quo dicatur Spiritus S. venire, mitti, procedere, testificari; hæc enim omnia tribuuntur legi, regno Dei, fidei, iræ &c. ut ex scripturis ostendit Socinus l. contra Spiritum S. V. Nec id probatur, ex quo dicatur consolator; nam Ps. 22. id etiam virgæ, & baculo tribuitur. VI. Neque ex quo simul aliquando jungantur virtus & Spiritus S.; nam Rom. 15. legitur, *in virtute signorum, & in virtute Spiritus S.* Hæc Socinus.

R. ad I. dist. min. Persona non est gratia vel aqua, qua quis baptizatur, conc.; persona non est Spiritus S., per quem gratia regenerationis diffunditur, neg. Si enim remissio peccatorum est effectus a Spiritu S. distinctus, sequitur præter Spiritum S., qui est donum Dei, dari Spiritum S., qui est persona hos effectus producens. Licet ergo baptizari Spiritu S. significet sanctificationem, & gratiam, ex hoc tamen non evincitur, Spiritum S. non esse personam, sed potius oppositum. Nam

remiſſio peccatorum, quæ metonymice dicitur Spiritus S., diffunditur in cordibus una cum caritate per Spiritum S., ex Rom. 5.

Ad II. R., nedum ex ſola unione verborum, ſed etiam ex τὸ *in nomine* evinci Spiritum S. eſſe perſonam; baptizari enim *in nomine* alicujus, eſt ſeſe ei devovere, ut c. 3. dictum eſt. Non negamus, in ſacris literis res inanimatas necti cum verbis, quæ ſignificant operationes perſonarum, ſed certi ſunt characteres, quibus perſonæ ab iis ſecernantur. I. Regula eſt Enallages pronominis, quod, ubi non reſpondet proximo vocabulo, & jungitur verbo ſignificanti opus perſonæ, veram perſonam deſignat. Ita Matt. 29., *Docete omnes gentes*, ubi neutro πάντα τὰ ἔθνη reſpondet in græco αὐτοὺς, *eos*, quia de hominibus ſermo eſt. Ita Rom. 9. 23., Coloſſ. 2. 19., & alibi. II. eſt attendere antecedentia, & ſubſequentia, unde facile *Proſopopeja* dignoſcitur. Siquidem nullibi legimus cælum enarrare, quæ audit, audire, quæ intelligit. III. Ubi Spiritus pro energia, & perſona accipitur, ſi illam non poteſt, hanc debet innuere: ut locus Jo. 7. *Nondum Spiritus S. erat datus &c.*, non de energia, quæ ante Chriſtum prophetis data erat, ſed de ipſa Spiritus S. perſona accipi debet. IV. Licet πνεῦμα, *ſpiritus*, plura ſignificet, cum articulo tamen rem certam, ac determinatam ſignificat (a). Nec oppoſitum evincit Glaſſius ex Theſſ. 5., Epheſ. 4., & 1. Jo. 4.; nam ibi metonymice perſona ponitur pro effectu, ut docet Glaſſius ipſe.

Ad I. ergo Socini argumentum diſt. maj. Lex, & ſanguis loquitur proprie, neg.; figurate, conc. Non enim dicitur lex & ſanguis loqui, quæ audit, ut de Spiritu S. dicitur Jo. 16.; dicitur etiam ib. venire, mitti, docere &c., ubi Enallages pronominis

(a) *Vide Auctorem*.

minis, qua ad neutrum τὸ πνεῦμα additur masculinum ἐκεῖνος, demonstrat esse personam: habetur etiam ibi articulus, qui est nota singularitatis ex Reg. 4. Eodem modo respondetur aliis metaphoris usque ad num. 6. Ad VI. R.: ibi τὸ πνεῦμα esse cum articulo: ergo vel de persona accipi debet, vel de ejus effectibus, ut Rom. 15.: sed effectus caussam supponit: ergo &c.

Ob. II. Ex quo 1. Cor. 13. caritati tribuantur actiones personarum, non sequitur, eam esse personam: ergo a pari.

R. neg. consf. Tropi enim ex verborum complexu facile dignoscuntur, ut cum dicitur: *Montes exultant, flumina plaudunt*, quia hæc non sunt nomina personarum: atqui Spiritus est nomen personæ, & illi characteres personæ tribuuntur, de quibus supra: ergo &c. De homine habente dona spiritus recte dicitur, *Spiritus loquitur, quæ sunt Dei*, sicut de homine caritate prædito dicitur, *non æmulatur*, sed, sicuti alia est caritas, quæ diffunditur, alia, quæ subsistit, de qua Jo. 1. *Deus caritas est*, ita alius est Spiritus, ut charisma, alius, ut persona, de qua Jo. 4., *Spiritus est Deus.* Aliud ergo caussa, aliud effectus. Deinde per Socinum, quia ex 1. Cor. 2. *Deus revelavit per Spiritum S.*, est persona, *actiones enim sunt suppositorum:* sed non minus est actio annuntiare ventura, operari, velle &c., quæ Spiritui S. tribuuntur: ergo &c.

Ob. III. Spiritus S. est spiritus Dei: ergo non est persona distincta a Deo. R. I. conc. totum argumentum. Nam Spiritus S. non est a Dei substantia distinctus, sed persona est, ut Filius, qui eandem habet cum Patre substantiam. R. II. dist. consf. Non est persona, si spiritum intelligas partem essentiæ, ut anima hominis, conc.; si rem subsistentem, ut angeli, & Spiritus S., nego.

Inst. Socinus. Apostolus 1. Cor. 2. comparat spiritum Dei cum spiritu hominis: sed spiritus hominis

nis non est persona ab eo distincta: ergo nec spiritus Dei a Deo. R. retorqueo argumentum. Spiritus hominis spectat ad substantiam hominis: ergo spiritus Dei spectat ad substantiam Dei: sed hæc est impartibilis: ergo spiritus Dei Deus est: atqui non est Deus Pater, uti vult Socinus, cum ex Ap. ibi ex Deo sit, idest a Patre: ergo est spiritus S., qui non est Pater, sed tamen est verus Deus.

Inst. Nequit una persona esse in alia: sed Spiritus S. in Deo est: ergo persona non est. R. neg. maj. Nam Jo. 14. habetur Filium esse in Patre, & vicissim. Quo vero pacto id fiat, dictum est supra c. 6. ad ob. 8.

Ob. IV. Socinus. If. 40. Spiritui tribuitur herbam arefacere &c., cum insufflaverit in eam: sed hoc Dei virtutem, non personam significat: ergo &c.

R. neg. min. ibi enim exprimitur Spiritus S. energia, non exclusa persona. Porro nomine spiritus nedum ejus energiam significari concedimus, sed etiam ventum, vocem, affectum &c. Sed ubi personarum notæ reperiuntur, personam designari dubium non est.

Ob. V. Spiritus Dei malus, de quo 1. Reg. 18., est efficacia divina, qua homines traduntur in reprobum sensum: ergo spiritus Dei bonus est ejus virtus, qua sanctificantur.

R. Spiritum malum, quo Saul abreptus est, ex Patribus fuisse spiritum nequam; malum enim non est, nisi a Deo permittente, nec Deus efficaciter aliquem tradit in reprobum sensum, ut Socinus blasphemat. Unde retorqu. arg. Spiritus malus, nedum est atra bilis agitans energumenum, sed etiam diabolus, qui spiritus Dei dicitur, quia justitiæ Dei minister est: ergo Spiritus S., nedum est virtus, & efficacia bonorum, sed etiam spiritus Dei, qui est persona gratiarum effectrix.

Ob.

Ob. VI. Wolzogenius (a). I. Spiritus sanctus Luc. 11. dicitur: *Digitus Dei.* II. Act. 2. *Donum Dei.* III. 1. Cor. 1. *arrhabo.* IV. ad Tit. 3. effundi dicitur. V. Act. 2. dividi & partiri. VI. Rom. 8. ejus *primitiæ* memorantur. VII. Thess. 1. dicitur, extingui posse. VIII. Jo. 7. absolute dicitur, quod Spiritus sanctus non erat: ergo &c.

R. In iis locis exprimi varia munera Spiritus S., quæ personam supponunt. I. enim *digitus Dei* ejus omnipotentiam significat, quæ a natura ejus non distinguitur; si ergo Spiritus S. est digitus Dei, est Deus summus. Ad II. dist. ant. Est donum Dei personale, seu persona, quæ aut seipsam donat, ut Filius, qui Jo. 3. *donum* dicitur, vel dono datur, ut Spiritus S., quem ad nos misit Pater, conc.; est donum accidentale, ut gratia &c., nego. Ad III. dist. ant. Est *arrhabo*, idest vita æterna nobis repromissa, & Deus ipse, conc.; est aliquid accidentale superadditum, neg. Arrhabo ergo a ערב *harav*, fidejussionem significat, & est portio rei, quæ promittitur; cum ergo nobis promissa sit vita æterna, Spiritus S. una cum Patre, & Filio est vita æterna, & ipse Deus. Adde, *arrhabona* hoc loco esse veluti obsidem datum pro pace cum Deo firmanda: ergo Spiritus S., non secus ac obses, vera est persona. Ad IV. & V. dist. ant. Spiritus S. effunditur & dividitur, quoad effectus, & dona gratiarum, conc.; quoad substantiam, neg. Ibi enim spiritus sine articulo ponitur: ergo effusio illa personam non excludit: ita Christus Ps. 21. *effusus* dicitur *sicut aqua.* Ad VI. neg. cons. nam *primitiæ* Christi, & Spiritus S. dicuntur electi: sed Christus est persona: ergo & Spiritus S. Ad VII. dist. ant. Extingui dicitur Spiritus S., proprie, neg.; figurate, & sumpta persona pro effectu ex aptissima ignis comparatione, in cujus forma olim descendit, conc. Ad VIII. neg. ant. Nam in Græco habetur: *Nondum erat Spiritus S. super ipsos.* Syriaca,

(a) *Lib. de tribus in una Deitate personis c. 5. & 23.*

ca, & vulgata addunt, *datus*, qui ex antecedentibus *de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum*, ſubintelligitur; accipere enim, & dare ſunt relativa: ergo &c.

Ob. VII. Si Spiritus S. perſona eſt, duo erunt Filii, & duo Patres, quod ſcripturis repugnat: ergo &c.

R. neg. ant. Nam Filius eſt ab uno Patre: ſi ergo Spiritus S. eſt a Patre & Filio, non erit filius Filii, quia procedit etiam a Patre, nec erit filius Patris, quia procedit a Filio. Si enim Spiritus S. *& ipſe Filius diceretur*, ait S. P. A. l. 15. de Trin. c. 27., *amborum utique Filius diceretur, quod abſurdiſſimum eſt. Filius quippe nullus eſt duorum, niſi patris & matris. Abſit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium aliquid tale ſuſpicemur.* Ex quibus colligitur potior ratio differentiæ inter generationem Verbi, & proceſſionem Spiritus S., quam probat etiam Petavius l. 7. c. 13.

Ob. VIII. Wolzog. Si Spiritus S. eſſet perſona, potiori jure eſſet Pater Chriſti, quam Deus Pater; nam Spiritus S. Mariam *obumbravit*, & in ea produxit Dei Filium: ergo &c.

R. neg. ant. Chriſtus enim non eſt genitus a Patre ratione humanitatis, qua non eſt Patri conſubſtantialis, nec Filius, ſed ratione Verbi aſſumentis humanitatem, quia temporalis generatio terminata eſt ad perſonam, quæ eſt Filius Dei naturalis. Chriſtus ergo, ſpectata ſola humana natura, eſt genitus a ſola Virgine, non a Deo Patre: neque natura divina in eo producta eſt per Spiritus S. obumbrationem, ſed *erat in principio apud Deum*, qui ante luciferum genuit Filium. Itaque Spiritus S. Chriſti Pater dici nequit, nec ratione divinæ naturæ, qua Filius eſt Patris, nec humanæ, qua Filius eſt matris. Chriſtus enim ſecundum carnem, quæ Spiritus S. virtute formata eſt, non eſt ei ſimilis, adeoque nec Filius.

CAP-

CAPUT VIII.

Spiritus S. divinitas adversus Macedonianos demonstratur.

Quæ pro Spiritus S. divinitate proferuntur, fere omnia collegit Didymus duobus libris. Exquisitiora illustrantur a Cyrillo (*a*), Athanasio (*b*), Basilio (*c*), Ambrosio, Augustino (*d*), Chrysostomo (*e*), aliisque. Sit itaque

Propositio I. Ex Scripturis Spiritus S. divinitas comprobatur.

Prob. I. ex divinis nominibus, quæ Spiritui S. tribui solent. Appellatur enim *Jehova* If. 6., & Pf. 94., quæ de Spiritu S. accipiuntur Act. 28., & Hebr. 3.: ergo &c. Dicitur etiam *Dominus* 2. Theff. 2. Item *Arrha, digitus Dei, & virtus Altissimi*: ergo &c.

Prob. II. ex ejus proprietatibus. I. est a Deo procedere: sed nequit a Deo procedere, quod est ab eo diversum, alias Dei substantia esset origo accidentium: ergo &c. II. est animam sanctificare, quo fit, ut Deus in ea habitet ex 1. Jo. 2.: sed habens Spiritum S. habet in se Deum inhabitantem: ergo &c. III. est per Spiritum S. hominem regenerari, & renovari ad Tit. 3.: sed hoc non præstat creatura: ergo &c. IV. est per gratiam corpus fieri templum Spiritus Sancti: sed hoc soli Deo erigitur: ergo &c. V. Spiritui S. tribuitur, nedum Christi, sed etiam nostrorum corporum vivificatio: sed Filius, qui vivificat, est verus Deus ex Jo. 5.: ergo & Spiritus S. VI. Christus alium Paraclitum vocat Spiritum S.: ergo, ut Christus, ita Spiritus. S. Deus est.

Prob. III. ex divinis attributis. 1. Cor. 2. de eo dicitur, scrutari *profunda Dei*. Job. 33., & Pf. 32., esse

---

(a) *In libris Theff.* (b) *Epistola ad Serap.*
(c) *In libris de Spir. S.* (d) *Contra Maximin.*
(e) *Hom. 89. de Pent.*

esse creatorem universorum. Ps. 103., ab eo fieri naturæ, & gratiæ opera. 1. Cor. 6. habere immensitatem. Is. 48., redemptorem misisse. Luc. 5. Christi corpus procreasse. Actor. 13., Ecclesiæ præesse: ergo &c.

Prob. IV. ex perfecta SS. Triadis communione. I. Quia tres simul personæ dux fuerunt Israelis in deserto. Pater Jer. 2. 6. Filius Ps. 79. 10. Spiritus S. Is. 63. *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* II. Quia tres locuti sunt in Prophetis. Pater Zach. 1. 6., Filius Is. 52. 6., Spiritus S. Act. 1. 16. *Oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus S.* III. Quia tres simul Hierarchiam Ecclesiasticam constituerunt. Pater 1. Cor. 12., Filius Eph. 4. 11. Spiritus S. Act. 20. *Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* IV. Tres orbem implent. Pater Jerem. 23. 24., Filius Eph. 4. 10., Spiritus S. Sap. 1. 7. *Replevit orbem terrarum.* V. Tres de Christi divinitate testantur 1. Jo. 5. 7., & uno nomine invocantur in baptismo Matth. 28. 19. VI. Tres eadem potestate omnia operantur: Pater 2. Cor. 5. 18., Filius Eph. 1. 10., Spiritus S. 1. Cor. 12. *Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus.* Constat ergo ex Dei nominibus, proprietatibus, attributis, & communione, Spiritum S. Deum esse.

Ob. I. Macedoniani, & Sociniani. Spiritus S. nomine in sacris literis virtus, & energia designatur: ergo &c. R. neg. conf. Ibi enim persona non excluditur, maxime in græco, ubi cum emphasi & articulo effertur: cur autem Filius, qui a Patre missus est, & Patrem glorificat, sit persona, non sit autem Spiritus S., qui a Filio mittitur, & Filium glorificat?

Ob. II. 1. Cor. 8. de Patre habetur: *Ex quo omnia*, de Christo autem, & Spiritu S.: *Per quem omnia* enunciatur: ergo neuter est Deus summus.

R. PP. neg. conf. Sive enim dicas *ex*, aut *per* perinde est. Nam de summo Deo habetur, Gen. 4.: *Possedi hominem per Deum*, & 1. Cor. 1. *Fidelis*

Deus, per quem vocati estis &c. Item de Spiritu S. effertur aliquando *ex*, ut Jo. 3., *Quod natum est ex spiritu;* aliquando etiam *per*, ut Rom. 5., *Caritas Dei diffusa est per Spiritum S.* Non tamen negamus, *ex* potiori jure Patri tribui, quia fons est, & origo deitatis.

Ob. III. Hebr. רוח, *Ruah*, græcum πνεῦμα, & latinum *Spiritus* sæpe ventum, & rem creatam significat, ut 4. Amos: ergo &c. R. neg. conſ. Nam Spiritus S. nuſquam dicitur Spiritus ſimpliciter, & ſine addito *Dei, Patris, Christi, Filii*, aut *Veritatis:* vel ei additur articulus; vel dicitur *Sanctus &c.* Dignoſcitur etiam ex orationis complexu, de quo Spiritu loquatur. Sic Amos 4., ubi flagella Dei memorantur, Spiritus dicitur *ventus urens.*

Propositio II. Ex Act. 5. 3., & 4. Spiritus S. divinitas comprobatur.

Prob. Habetur enim ibidem: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui S.* Et v. 4. *Non es mentitus mihi, ſed Deo.* Unde ſic arguitur: ille cui mentitus eſt Ananias, Deus eſt: ſed Ananias mentitus eſt Spiritui S.: ergo Spiritus S. eſt Deus.

R. I. Crellius in græco haberi ψεύδεσθαί σε τὸ πνεῦμα, *mentiri te*, & fallere *Spiritum S.* Sed inepta reſponſio. I. enim obſervat Grotius, ψεύδεσθαι modo cum dativo, modo cum accuſativo jungi. Glaſſius vero pluribus exemplis oſtendit, *ad*, & *in* reticeri, & idem eſſe mentiri Spiritum S., ac in Spiritum S. Particulam vero εἰς, *in*, extare in aliquibus mſſ., & in verſione Syriaca teſtatur Beza, & Wolzogenius. Falluntur ergo qui ajunt, Ananiam eſſe mentitum Spiritum S., quia ſe hypocritam ſimulavit, fraudando de pretio agri; mentiri enim Spiritum S. eſt, quantum in ſe eſt, fallere Spiritum S. Hypocrita autem mentitur ſe ſanctum, non vero Spiritum ſanctum.

R. II. Sociniani: Ananiam mentitum Spiritui S., ideſt Apoſtolis, in quibus erat Spiritus S., non

contra Spiritum S. Sed errant. Quia Ananias mentitus eſt Apoſtolis, in quibus erat Spiritus S.: ſed Ananias *mentitus eſt Deo*: ergo Spiritus S., qui erat in Apoſtolis, Deus eſt. Nam recte arguit, qui ait, e. g., fornicarius violat corpus ſuum, quod eſt templumSpiritusS.: atqui templumSpiritusS. eſt templum Dei: ergo qui fornicatur violat templum Dei. Sed ita arguunt catholici ex loco laudato: ergo &c.

R. III. Wolzog. Exod. 16. ait Moyſes & Aaron: *Non contra nos murmurationes veſtræ, ſed contra Dominum*: atqui male hinc deduceretur, Moyſen, & Aaron Deum eſſe: ergo &c. Vide Marc. 9., Luc. 10., 1. Cor. 8. &c. Sed contra. Nam negativa particula pro comparativa ſæpe uſurpatur: ut ſi quis legatum regis injuria afficiat, non hunc, ſed regem ſpernere dicitur. Ita Exod. 16. murmuravit Iſrael potius in Deum, quam in Moyſen, quia is Dei vices gerebat: ita Matth. 10., qui prophetam ſuſcipit, Deum ſuſcipit, a quo ille mittitur; & 1. Theſſ. 4., *Qui ſpernit* Apoſtolicam doctrinam, *non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum S. in nobis.*

Dices. Moyſes ex loc. cit. non eſt Deus: ergo neque ex Act. 5. Spiritus S. Deus eſt. R. neg. conſ. Nam Exod. 16. habetur, *Murmuravit Iſrael contra Moyſen, & Aaron.* Act. 5. legitur, *Mentiri te Spiritui S.*: ergo murmur contra Moyſen, mendacium contra Spiritum S. prolatum eſt. Item Exod. 61. 8. habetur: *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Act. 3., *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Ubi nota non excludi Spiritum S.; dum dicitur: *Non es mentitus hominibus*, uti excluditur Moyſes, & Aaron, dum dicitur, *Nec contra nos eſt murmur veſtrum*: unde ſic arguitur. Quia Moyſes & Aaron v. 8. excluduntur, ſequitur neutrum eſſe Deum: ergo, quia Spiritus S. v. 4. non excluditur, Deus eſt. Idem dicendum de locis aliis a Wolzogenio productis.

Propositio III. Ex PP. Traditione Spiritus S. divinitas demonſtratur.

Prob.

Prob. I. ex Juſtino M., qui Apol. c. 1. ait: *Filium, & Spiritum S. adoramus.* Athenagoras in Apol. *Quis non miretur, nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Deum Spiritum S., Atheos vocari?* Lucianus, *Deum alte regnantem,* profitetur, *Filium Patris, & Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria.* Eadem habet Irenæus (*a*), Clemens Alex. (*b*), Tertullianus (*c*), Cyprianus (*d*) &c. Prob. II. ex Conciliis Nicæno, & Conſtantinopolitano I. in Symbolo, & in epiſtola ſynod. ad Epiſcopos Occid. Neque id negat Wolzogenius, qui hanc doctrinam appellat veterum PP. commentum, ex Platonis ſchola introductum (*e*): & Socinus (*f*) ſcribit, totius orbis conſenſum nil valere contra ſcripturas, ad quas proinde nos provocat.

CAPUT IX.

Solvuntur objecta contra Spiritus S. divinitatem.

Ob. I. In ſacris literis ſæpe extat Pater & Filius ſine Spiritu S., qui Deus expreſſe nullibi dicitur: ergo &c.

R. I. neg. conſ. Nam Pater, & Spiritus S. nominatur Iſ. 45. *Dominus miſit me, & Spiritus ejus,* Matth. 28., Act. 5., & 1. Theſſ. 3., ubi *Deus,* & *Dominus* appellatur. R. II. Retorq. argumentum; nullibi enim Spiritus S. creatura appellatur, neque in Pſ. 102., & 148., ubi creaturæ omnes ad laudes Dei invitantur: ergo Spiritus S. non eſt creatura.

Ob. II. Rom. 8. *Spiritus poſtulat pro nobis:* ergo indigens eſt: ergo &c. II. Ex Jo. 1. omnia per Verbum facta ſunt: ergo Spiritus S., ſi res eſt, factus eſt. III. Jo. 6. de Spiritu S. dicitur, *Non loquetur a ſemetipſo:* ergo eſt impotens, nec Deus. IV. Epheſ. 4. di-

(a) *L. 4. adv. hær. c. 37.* (b) *L. 1. Pæd. c. 6.*
(c) *Contra Prax. c. 2.* (d) *Ep. 73.*
(e) *c. 6. in Jo.* (f) *contra Viekum p. 617.*

dicitur *contristari*. V. 1. Cor. 2. *Scrutari profunda Dei*: sed hæc sunt passionis, & ignorantiæ notæ. ergo &c.

R. Ad I. ex Aug. Ep. 105. dist. ant. *Postulat, quia postulare nos facit*, conc.; quia indiget, neg. Vocatur enim Spiritus adoptionis, *In quo clamamus*, & Zach, 12. *Spiritus gratiæ & precum*. Actiones autem tribuuntur conferentibus potestatem. Præmiserat Apostolus: *Adjuvat infirmitatem nostram. Nam quod oremus, sicut oportet, nescimus*. Unde in græco extat ὑπερεντυγχάνειν, ab advocatis sumptum, qui dictant suspiria clientibus. Et Chrysostomus (a) de dono accipit orationis. Ad II. dist. ant. Omnia, quæ facta sunt, conc.; quæ non sunt facta, neg. Sicut enim Deus cælorum creator per Verbum non est factus, ita nec *Spiritus oris ejus*, unde *omnis virtus eorum*. Ad III. dist. ant. Non loquitur ex impotentia, neg.; quia habet essentiam, & scientiam ab eo, a quo procedit, ut explicat August. tract. 99.; conc. Ubi nota, futurum poni ratione termini, & in ordine ad creaturas illas, quibus Spiritus sanctus mittendus erat. Ad IV. dist. ant. Dicitur *contristari*, proprie, neg.; metaphorice. conc. Sic Gen. 6. dicitur Deus summus *tactus dolore cordis*: ergo &c. Ad V. neg. min. Scrutari enim de intima notitia dicitur Ps. 7. Jer. 11., & Apoc. 2., ubi de Deo summo dicitur: *Scrutari renes, & corda*. Adde, *profunda Dei scrutari*, esse altitudinem assequi scientiæ Dei.

Ob. III. 1. Cor. 14. legitur: *Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt*: ergo Spiritus S., qui est hujusmodi, hominibus subjicitur. R. dist. maj. Spiritus prophetarum passivus, ideſt intellectus, qui Spiritus S. afflatu agitur, conc.; activus, qui Prophetarum mentem illustrat, neg. Ibi Apostolus loquitur de spiritu humano, habetur enim πνεῦματα plurali

(a) *Hom.* 14. *in ep. ad Rom.*

plurali numero, & sine articulo: dicitur autem subjici, quia doctrina humana Ecclesiæ judicio subjecta est.

Ob. IV. Spiritus S. a Filio mittitur: ergo Filio minor est.

R. dist. ant. Mittitur per imperium, ut servus, neg.; per originem ut Dominus, concedo (*b*).

Ob. V. Spiritus S. non est genitus, quod Filio convenit, neque ingenitus, quod Patri: ergo nec Deus. R. I. dist. ant. Non est *ingenitus*, prout *ingenitus* est *non factus*, neg.; prout est *a nullo procedens*, conc. R. II. neg. cons. Nam, præter genitum, & ingenitum datur procedens, quod est a duobus simul, ut dictum est c. 7. ad 7.

CAPUT X.

De Processione Spiritus S. a Patre, & Filio.

SPIRITUM sanctum a Patre, Filioque procedere Latini docent: Græci contra a solo Patre. Quorum erroris Theodoretum auctorem aliqui faciunt, sed facile excusatur. Definita est hæc controversia an. Christi 767. sub Pipino Francorum rege, sed an. 869. sub Photio contra Latinos vehementius discussa est: quod factum est etiam an. 1097. sub Urbano II. in Concilio Barensi, ubi S. Anselmus Cantuariensis Episcopus Græcos compescuit. Sub Innocentio III. in Lateranensi Synodo IV. ad Romanam communionem Græci reversi sunt, sed statim relapsi, rursus in concordiam rediere sub Gregorio X. an. 1274.; sed iterum violata pace, tandem in Florentino generali Concilio an. 1439. controversia finita est, & Græci Patres, uno excepto Marco Ephesino, catholico dogmati unanimiter, B. Nicolai meritis, teste Eug. IV. Rom. Pont., subscripsere.

(a) *Vide infra cap.* 13.

Propositio. Spiritus S. a Patre, Filioque procedit.

Prob. I. Scripturis. I. Spiritus S. vocatur ad Gal. 4. *Spiritus Filii sui.* Act. 6. *Spiritus Jesu.* Jo. 14. *Spiritus veritatis*, ideſt Filii, qui eſt *via, veritas, & vita.* Sed dici non poteſt Spiritus Filii, niſi quia a Filio procedit: ergò &c. Prob. min. Spiritus S. dicitur Spiritus Filii, vel ut ejus ſanctitas adventitia, vel ut Filio *conſubſtantialis*, vel ut Filii inſtrumentum, & virtus, vel quia a Filio habet eſſe. Non primum, nec tertium, ut Græci fatentur. Non ſecundum, alias Filius diceretur Filius etiam Spiritus ſancti per conſubſtantialitatem, quod eſt abſurdum: ergo Spiritus S. dicitur ſpiritus Filii ratione originis, quia ab eo procedit. II. Chriſtus, Jo. 2., inſufflavit dicens: *Accipite Spiritum ſanctum:* ſed per hoc oſtendit Spiritum S. a ſe procedere, veluti corporeus halitus, qui ex ore alicujus emittitur: ergo &c. (a) III. Spiritus S. a Filio mittitur: ergo ab eo procedit. Prob. ant. Nam Jo. 16. legitur: *Si abiero mittam eum,* Paraclitum, *ad vos.* Prob. conſ. I. Quia hic eſt ordo divinæ naturæ, ut, qui a nullo eſt, a nullo mittatur, ut docet Athanaſius (b), & Auguſtinus (c): ergo ſi Spiritus S. mittitur a Filio, ab eo procedit. II. Ex quo Filius dicatur miſſus a Patre, infertur, ipſum a Patre procedere: ergo a pari. III. Qui ab alio mittitur, aut mandatum ab eo recipit, aut poteſtatem: ſed Spiritus S. mandatum non recipit, quia non ſubjicitur: ergo recipit poteſtatem a Dei ſubſtantia indiſtinctam. Nec Spiritus S. miſſus eſt gratia ſanctificationis; nam Filius Spiritum miſit, qui a Patre procedit, quemque perſonam eſſe Græci fatentur: ergo &c. IV. Jo. 14. de Spiritu S. ait Chriſtus: *De meo accipiet* &c.: ſed Spiritus S. recipit eſſe

(a) *Vide Aug. Tr.* 121. *in Jo., & l.* 3. *contra Maxim. c.* 14.

(b) *In ep. ad Serap.* (c) *L.* 4. *de Trin.* 19.

esse a Filio: ergo ab eo procedit. II. Christus ait: *De meo accipiet &c., quia omnia, quæ habet Pater, sunt Filii*: sed Pater habet de essentia, ut sit Spiritus S. principium: ergo & Filius. III. Spiritus S. a Filio recipit, ut annuntiet futura: ergo etiam recipit, ut sit. Nam in divinis, unde est audientia, inde est & essentia.

R. Græci, Spiritum S. accipere essentiam, & divinitatem a solo Patre, & verba illa, *de meo accipiet*, reddenda esse, *de Patre meo &c.*: sed contra. Subdit enim Christus: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo* &c.: ergo si Spiritus S. procedit a Patre, & quod habet Pater, habet Filius, sola excepta paternitate, debet Spiritus S. etiam a Filio procedere. Quæ Latinorum responsio firmatur Persica, & Syriaca versione, quæ habent: *a me*, vel *de me*; necnon Ethiopica, & Arabica, quæ legunt: *accipiet de eo, quod meum est*.

Prob. II. ex Græcis Patribus. Epiphanius in Ancor. ait: Christus ex Patre creditur, & Spiritus ex Christo, aut ex ambobus. Et Hær. 74. *Spiritus ex ambobus. spiritus ex spiritu*. Cyrillus l. 14. Thes. *Ex essentia Patris, Filiique, Spiritus, qui procedit ex Patre, & Filio.* Basilius l. 3. contra Eunomium: *Ab ipso habens esse, & ab ipso Filio accipiens, & ex illa caussa pendens.* Vide Leonem Allatium, Jo. Beccum, Calecam, Petavium &c.

R. Græci, Epiphanium de donis, non de persona Spiritus S. accipiendum. Cyrillus proprium Filii dicit Spiritum S. ob consubstantialitatem. Basilii locum ex mendoso codice excerptum observavit Marcus Ephesinus in Concilio Florentino. Addit Camaterus, nec Basilium, nec Athanasium solum Patrem fontem divinarum personarum agnoscere.

Sed contra. Nam Epiphanius Patris, ac Filii nomine designat personas, & his Spiritum S. adnectit: sicut ergo Pater, & Filius personæ sunt, ita

ita Spiritus S. Cyrillus autem nullibi ait, Filium, aut Patrem proprium esse Spiritus S. Consubstantialitas autem efficit, ut divinarum personarum sit una substantia, non, ut una persona sit propria alterius, sive ex altera, ut ait Cyrillus. Basilii locum germanum esse ostendit adversus Marcum Ephesinum Joannes ex Ord. Præd. e vetustissimo codice a Cardinali Cusano e Byzantio asportato, & longe ante hanc controversiam exarato, ex quo constat, non Latinos, sed Græcos Basilii scripta vitiasse. Camaterus vero apertissimis Basilii, & Athanasii testimoniis revincitur. Is enim Or. de Incarn. Filium vocat *fontem spiritus:* ille autem Or. 2. contra Eunomium Filium dicit *fontem vivificum.* Chrysostomus etiam Christum appellat *fontem vitæ*, & *aquam vivam* Spiritum sanctum &c.

Prob. III. ex Patribus Latinis, quorum auctoritatem Græci agnoscunt. Ambrosius l. 1. de Sp. S. ait: *Spiritus sanctus, cum procedit a Patre, & Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio.* S. P. A. Tr. 99. in Jo. *Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filii quoque ipse sit spiritus?* Leo M. quem IV. Gener. Synodus *columnam Fidei orthodoxæ* appellavit, *alium esse* ait, *qui genuit, alium, qui genitus est, alium, qui ab utroque procedit.* Quid plura? Fatentur Græci, hanc esse Latinorum fidem, eamque in Synodo Lugdunensi, & Florentina esse firmatam.

Prob. IV. ratione. Quæ habet Pater, excepta paternitate, habet & Filius, ut ait Damascenus: sed Pater habet, ut sit Spiritus S. principium: ergo & Filius. Et ideo paternitas Filio non communicatur, quia opponitur relative: sed ratio principii non opponitur: ergo &c. II. Filius est unigenitus, quia immediate est a Patre: si ergo Spiritus S. immediate a solo Patre procederet, esset & ipse unigenitus. III. Processione sublata, Spiritus S. non distinguitur

tur a Filio; in Deo enim omnia ſunt unum, ſublata relatione: ergo &c.

CAPUT XI.

In quo Græcorum ſophiſmata diluuntur.

Ob. I. Latinorum dogma non continetur in ſacris literis, imo iis adverſatur: ergo &c. Prob ant. ex Jo. 16., ubi Spiritus S. dicitur a Patre procedere, nulla facta Filii mentione: ergo &c.

R. diſt. ant. Non continetur explicite, conc.; implicite, neg. Dicitur enim ibi *Spiritus veritatis* mitti a Filio, de illo accipere, & omnia habere, quæ habet Pater: ergo &c. Ad prob. neg. conſ. Nam Chriſtus ait, Spiritum S. a Patre procedere, ut oſtendat, Patrem eſſe aliarum perſonarum originem, quo ſenſu ait, doctrinam non ſuam eſſe, ſed Patris. Præterea, non ſola ſcriptura, ſed etiam traditione fidei quæſtiones dirimendæ ſunt. Hanc tamen ſibi adverſari, in Florentina Synodo Græci agnovere.

Ob. II. Dionyſ. de div. nom. c. 2. ait: *Solum Patrem eſſe divinitatis fontem.* Athanaſius q. de Nat. Dei c. 2. ait: *Solum Patrem eſſe cauſſam duorum.* Naz. or. 24. *Quidquid habet Pater, idem Filii eſſe, excepta cauſſa.* S. Maximus ait, Patres non concedere, *Filium eſſe cauſſam Spiritus ſancti.* Unde ſic arguitur: Filius non eſt fons, cauſſa, aut principium Spiritus S.: ergo is non procedit a Filio. II. Nyſſenus, Athanaſius, Cyrillus, aliique PP. Græci docent, Spiritum S. *ex Patre per Filium* profluere: ubi *ex* principium exprimit, non autem *per*: ergo Pater, non Filius, eſt Spiritus S. principium.

R. diſt. ant. Filius non eſt fons &c. ſpeciali titulo, conc.; nullo modo, neg. Nam laudati Patres ſpeciali titulo Patrem appellant *cauſſam*, *fontem*, & *principium*, eo quod originem non habeat ex alio: nil vetat tamen, quin Filius Spiritum ſanctum producat: & ſicut eſt Deus *de Deo*, ita ſit cauſſa de

caussa, fons de fonte &c. Nec desunt Patres, qui Filium vocant fontem, & caussam Spiritus S., licet quidam, ut Basilius, Athanasius, Chrysostomus, Epiphanius, Cyrillus &c. usurpaverint particulam διὰ, *per*, ut ostenderent, Filium non esse principium sine principio. Ast Nyssenus hom. 3. super *Pater noster* ait, *ex filio procedit.* Cyrillus ep. ad Nestorium, *ex eo profluit.* Epiph. in Ancor. *ex quo procedit.* Et S. Maximus ep. ad Marin. ait, *etiam ex Filio Spiritum sanctum procedere.* Ad II. neg. ant. Nam *per* efficientem caussam significat Genes. 4. *Possedi hominem per Deum;* Jo. 1., & Coloss. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Unde Basilius ad Amphil. ait: *per transire sæpe in ex: ut possedi hominem per Deum, ac si diceret ex Deo.* Idem docet Chrysostomus (a). Cyrillus etiam ep. ad Theod. ait, *Christum natum esse per Deiparam,* & in ep. ad Nest., *natum ex muliere,* & *per mulierem.* In ep. ad Gal. habetur *ex*, *per*, & *in*. *Ex* Patrem significat, ut primum principium, *Per* Filium, ut opificem, *In* Spiritum S., ut caussam rerum perfectivam; aliquando autem *per* de Patre non dicitur, nec de Filio *ex*, ne Patri principalem caussam tollamus (b).

Ob. III. Damascenus l. 1. de Fid. Orth. 11. ait: *Spiritum sanctum ex Patre esse, at non esse ex Filio dicimus*: ergo &c.

R. I. aliqui, neg. cons. Putant enim, Damascenum imbutum fuisse Græcorum errore, cum hæc quæstio ejus ætate nondum esset definita. Quæ suspicio ex historia Synodi Aquisgranensis exorta est, quæ an. 809. contra Joannem Monachum coacta fuit: is autem non Damascenus fuit, sed Hierosolymitanus.

R. II. & verius, neg. ant. Adhuc enim vigebat Damasceni ætate Macedonii, & Eunomii hæresis, qui

(a) *Hom. 53. in Matth.*
(b) *Vide dissert. Gennadii Scholarii sect. 5.*

qui docebant, Spiritum S. ex Filio esse, tanquam ex caussa creatrice: caute ergo dixit, Spiritum S. esse Filii spiritum, sed non dici *ex Filio* tanquam a caussa principe, ne imperiti creaturam esse opinentur; aliud est autem non dici, aliud non esse ex Filio. Ita Beata Virgo Christipara est, & dicitur ab Ephesina Synodo, sed ob Nestorii hæresim, ait idem Damascenus, *Christiparam B. V. non dicimus.* Sic ob Eunom. hæresim Spiritus S. ex Filio non dicitur.

R. III. Card. Bessarion, Damascenum accepisse *per*, prout significat principium sine principio. Quo sensu Spiritus S. ex solo Patre dicendus est. Nam ibidem S. D. comparat Patrem soli, Filium radio, Spiritum S. splendori. Sed splendor est a sole, & radio: ergo Spiritus S. a Patre, & Filio. Vide cap. X. in fine.

Ob. IV. Theodoretus in ep. ad Monast. ait, quod *blasphemat in Spiritum sanctum, qui non ex Patre solo ipsum asserit procedere, sed ex Filio habere existentiam.* Eadem habet in Conf. 9. Anath.: ergo &c. R. I. neg. conf. Nam Theodoretus fuit plus æquo Nestorio addictus contra Cyrillum. Sed instant Græci. In Ephesina Synodo examinatum est Nestorianum Symbolum, & confutationes Theodoreti, & utrobique Spiritum S. a Filio non procedere continebatur: sed neque Synodus, neque Cyrillus Theodoreti scripta, aut Nestorii Symbolum hac in parte damnavit: ergo damnari non debet Græcorum sententia de Spiritus S. processione a solo Patre.

R. dist. min. Hac in parte non damnavit explicite, conc.; implicite, nego. Approbavit enim Ephesina Synodus epistolam Cyrilli ad Nestorium, & ad Orientales, ubi dogma de processione Spiritus S. continetur: ergo &c. Deinde ait Nestorius, Spiritum S. a Filio extantiam non habere, ut eum a Christo faceret alienum: ergo Synodus damnans Nesto-

Nestorium, simul definiit, Spiritum S. non esse alienum a Filio, ab eoque procedere.

Dices: hanc quæstionem ad Nestorii caussam non pertinere. R. Synodum Ephesinam, & Cyrillum ideo de processione Spiritus S. a solo Patre non reprobasse Theodoreti sententiam, eo quod de ea principaliter non ageretur.

R. Probabilius esse, nusquam hoc dogma negasse Theodoretum. Nam I. nec a Cyrillo, nec ab ullo antiquo scriptore ea de re reprehenditur, ut factum est, cum Nestorio adhærere visus est. II. Quia Theodoretus (a) scribit, circa Spiritus S. personam se idem cum Cyrillo sensisse: ergo cum Cyrillo docuit Theodoretus Spiritum S. a Filio procedere. III. scribit, blasphemum esse, qui ait, Spiritum S. habere extantiam per Filium; quia opinabatur, id a Cyrillo prolatum in sensu Eunomii docentis, Spiritum S. comprehendi in rebus a Filio creatis, unde in exp. ad Rom. 8. ait: Spiritum Christi appellatum, *Non quod per Filium creatus sit, ut volunt hæretici, sed quia est ejusdem cum Patre, & Filio substantiæ, & ex Patre procedit; ejus autem gratia per Christum suppeditatur.*

Ad argumentum itaque dist. ant. Negat Theodoretus Spiritum S. habere extantiam a Filio, & per Filium in sensu Eunomii, qui eum creaturam esse asserebat, conc.; in sensu catholico, neg. Nam in ep. ad Antioch. ait: *Spiritum sanctum non ex Filio, aut per Filium existentiam habentem dicimus, sed ex Patre procedentem, proprium vero Filii, uti consubstantialem.* Hinc Ephesina Synodus, & Cyrillus, Theodoreti sensu explorato, hac in parte eum non damnavit.

Ob. V. Si Spiritus S. a Patre, Filioque procederet, duo essent Spiritus S. principia: ergo &c. II. Pater de se est principium sufficiens Spiritus S.: ergo superfluum est aliud principium. III. Spirare vel

(a) *Ep. ad Jo. Antioch.*

vel est essentialis proprietas, vel personalis; si hoc, uni tantum personæ convenit, cum personales proprietates nequeant ad invicem communicari, alias Filio etiam paternitas conveniret: si illud, ergo debet etiam Spiritui S. convenire.

R. ad I. neg. ant. Siquidem principia non multiplicantur ratione personæ, sed operationis, & formæ: cum ergo Pater, & Filius eandem habeant spirandi virtutem, dicuntur unum Spiritus S. principium: sicuti tres simul personæ, quibus est eadem omnipotentia, sunt unum principium creaturarum. Ad II. neg. suppositum; in Patre enim, & Filio est eadem spirandi vis, adeoque Spiritus S., dum ab utroque procedit, est ab una spirandi vi. Sicut ergo non valet hoc argumentum: Pater est sufficiens creationis principium: ergo est superfluum Filii, ac Spiritus S. principium; ita nec valet istud: Pater sufficiens est Spiritus S. principium: ergo Filius non est principium Spiritus S.; sed hoc potius sequitur, Spiritus S. procedit a Patre: ergo etiam a Filio procedit, cui omnia, quæ habet Pater, communia sunt. Ad III. Dico, spirare esse proprietatem notionalem; sunt autem notiones, non solum paternitas, filiatio, & processio, sed etiam *innascibilitas*, & *spiratio*, quas etiam Græci tenentur admittere. Nam & Patrem *ingenitum* fatentur, & paternitatem ad solum Filium referri sciunt: ergo præter paternitatem, aliam fateri debent proprietatem, quam nos cum Augustino dicimus notionalem, eamque Pater Filio communicat, cum filiationi relative non opponatur.

CAPUT XII.

De particula Filioque *Symbolo addita.*

Constantinopolitanæ Synodi Patres contra Macedonianos, & Eunomianos decrevere, Spiritum S. non esse creaturam. Sed nondum exorta quæstione de processione Spiritus S. a Filio, addiderunt

runt Symbolo hæc verba: *Qui a Patre procedit.* Suborto Græcorum ſchiſmate, addita eſt vox *Filioque*, quam Græci contra Epheſinæ Synodi ſtatuta inſertam eſſe queruntur. Sit ergo

Propositio. Immerito a Græcis de corrupto Symbolo Latini inſimulantur.

Prob. I. ex Florentini Concilii decreto: *Definimus, explicationem verborum illorum* Filioque *licite, ac rationaliter Symbolo fuiſſe appoſitam.* Ea enim eſt Eccleſiæ œconomia, ut novis erroribus emergentibus, catholicæ fidei profeſſionem opponat, qua, acceſſione alicujus particulæ, ſcripturis, ac PP. conſonæ, veritas fidei ſervetur: ſed talis eſt hujus particulæ additio: ergo merito Symbolo inſerta eſt. Prob. maj. ab exemplis. Etenim Nicæna Synodus contra Arianos addidit Symbolo Apoſtolico ὁμοούσιον. Conſtantinopolitana addidit, *Et in Spiritum S. Dominum & vivificantem*, contra Macedonianos. Chalcedonenſis addidit *conſubſtantialem Patri ſecundum divinitatem, conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem.* Sicut ergo Nicænum Symbolum violatum non eſt a Patribus CPolitanis, & Chalcedonenſibus; ita nec a Latinis: & ſicut additio ὁμοούσιου non eſt nova fidei profeſſio, ita non eſt additio vocis *Filioque.*

Prob. II. Si quid vetat additionem hujuſmodi, eſt decretum Epheſinæ Synodi p. 1. ſeſſ. 6. *Alteram fidem nemini liceat proferre, præter definitam a SS. PP., qui in Nicæna congregati fuerunt*: ſed hoc decreto prohibetur Symbolum Nicæno oppoſitum, non vero adjectio, aut expoſitio: ergo &c. Prob. min. I. enim Epheſina Synodus probavit Chariſii Symbolum, aliud ſane a Conſtantinopolitano & Nicæno, pium tamen, & orthodoxum: e contra Neſtorianum proſcripſit Nicæno contrarium: ergo Eph. Synodus vetat ſolummodo Symbolum Nicæno oppoſitum, alias Chariſii Symbolum cum Neſtoriano improbaſſet. II. Probant Græci Symbolum CPoli-

CPolitanum, cui acceſſit articulus de divinitate Spiritus S., qui in Nicæno non extat: ergo vetat Epheſina Synodus additionem tantum Nicænæ oppoſitam. III. Actionis initio Epheſini PP. convenere, ut id probarent, quod cum Nicæno concordaret, improbarent oppoſitum: ergo ſolam additionem oppoſitam vetat S. Synodus. IV. Cum Dioſcorus Flavianum damnaſſet, quod contra Eutychetem hanc expoſitionem adjeciſſet: *conſubſtantialem Patri ſecundum divinitatem &c.*, quam contra Epheſina decreta adjectam eſſe clamabat Eutyches; PP. Chalcedonenſes *anathema* dixere *Dioſcoro, quia male judicavit*, Ἀνάθεμα Διοσκόρῳ ὅτι κακῶς ἔκρινε: ſed is male judicaſſet, ſi Epheſinum decretum quamlibet expoſitionem vetaſſet: ergo merito Euſebius Dorylæi pro Flaviano inſtavit, nullum eſſe canonem, qui novam fidei expoſitionem, novis hæreſibus emergentibus, vetaret: ergo ſolam contrariam vetat Epheſinum decretum.

Prob. III. Vox *Filioque* immerito Symbolo inſerta eſt, vel quia falſum eſt dogma de Proceſſione Spiritus S. a Filio; vel quia in aliis Symbolis virtualiter continetur: atqui neutrum dici poteſt; nam & Spiritus S. a Filio procedit, & ea inſerere fas eſt, quæ virtualiter in aliis ſacris monumentis præcontinentur. Ita Apoſtolico Symbolo plura ſunt addita, licet Nicæna fides virtualiter in eo contineretur: ergo &c.

Ob. I. Græci. Chalcedonenſis Synodus recitato Nicæno, & CPolitano Symbolo ſtatuit, ut *expoſitionem alteram nullus faciat; ſufficiunt quæ expoſita ſunt*: ergo &c. R. diſt. ant. *Nullus faciat*, privata auctoritate, ut Neſtoriani faciebant, conc.; Eccleſiæ auctoritate, ut catholici, neg. Cum enim nulla urgeret neceſſitas, & ſufficerent, quæ erant expoſita, noluerunt PP. novum Symbolum condi, quia ſatis ſuperque Eutychetis error in Nicæno damnatur. Cæterum PP. ipſi Leonis expoſitionem proba-

probarunt, neque alteram fidem esse clamarunt: licet in ea expositione esset aliquod additamentum: ergo &c.

Ob. II. Cyrillus in ep. ad Jo. Antioch. ait: nemini licere *unam voculam Nicæni Symboli immutare, aut syllabam præterire*, idque Ephesinæ Synodi decreto cautum esse scribit in ep. ad Acac. Melit. ergo &c.

R. ut supra. Cyrillus enim hæc habet adversus Nestorianos, qui privata auctoritate novos fidei professiones cudere audebant, ut Anastasius ac Photius, quas damnat Synodus Ephesina. Sane Cyrillus commendat Joannis Antioch. aliorumque Orientalium professionem, quæ multo amplior erat Nicæno Symbolo. Cyrillus ergo reprobat *unam voculam*, vel auctoritate privata insertam, vel Nicænæ fidei contrariam.

Ob. III. Vox *Deipara*, licet revincendis Nestorianis aptissima, nec ab Ephesinis PP., neque a Chalced. adjecta est Symbolo, quamvis plures instarent, ut *addatur Symbolo, Mariam esse Deiparam:* ergo noverant PP., quodlibet additamentum, etiam fidei consentaneum, vetitum esse.

R. neg. conf. Non enim ob decretum Ephesinæ Synodi ea vox adjecta non est, sed quia PP. hoc additamentum ad fidem necessarium non putarunt. Nam Christum Deum esse habetur expresse in Nicæno articulo: *Et in unum Dominum &c.* Et B. V. Christum peperisse in alio: *Et incarnatus est de Spiritu S. ex Maria V.* Itaque œconomiæ causa nec *Deipara* dicta est B. V., ob hæresim Eutychetis, neque *Christipara*, ob Nestorianam: licet utrumque recte dici posset, si PP. opportunum judicassent. Est enim revera B. V. & *Christipara* & *Deipara*, quia peperit Christum verum Deum.

Ob. IV. Agatho (a), Vigilius (b), & VII. Syno-

(a) *In epistola lecta Act. 4. Syn. VI.*
(b) *Epist. ad Eutych.*

Synodus vetant quodlibet additamentum: ergo &c. R. dist. ant. Vetant contrarium, conc.; consonum, neg. Nam Agatho & ipse Symbolum conscripsit, in quo plura extant de dogmate duplicis in Christo voluntatis, quæ in Nicæno non extant, ex Florent. Synodi sess. 7.: ergo additionem absolute non vetant. Vigilius etiam adjecit articulum de resurrectione, qui in CPolitano Symbolo erat sufficienter expressus. Additio itaque triplex est. 1. Contraria Symbolo, & est hæretica. 2. Disparata, & est temeraria. 3. Consona, & est expositio veritatis: quam potest Ecclesia opportune adhibere.

Ob. V. Leo III. hanc additionem non probavit an. 809., licet id postularent Synodi Aquisgranensis Legati: imo jussit, Symbolum sine voce *Filioque* duobus scutis argenteis inscribi, & in Confessione S. Petri & Pauli locari, ut scribit Photius (*a*), & Anastasius (*b*): ergo &c.

R. dist. ant. Non probavit absolute, neg.; ex auctoritate privata, conc. Merito ergo Leo III. restitit Legatis, ne quis sine Romani Pontificis, aut Ecclesiæ consensu quidpiam Symbolo addere auderet. Non tamen vetuit, ait Pagius, ne Symbolum cum hac particula caneretur, sed rogavit, ne ultra in regia capella caneretur, ne morem Palatii tota Gallia sequeretur: atqui modo hoc additamentum peractum est Florentinæ Synodi, & Romani Pontificis auctoritate: ergo &c.

Quæres: Quo tempore peracta sit additio hujus particulæ? R. incertum esse. Nam Calecas, & Genebrardus eam Damaso tribuunt; S. Antoninus, & Sisinnius Nicolao I. circa annum 857.; alii Synodo VII. ad an. 787. Quidquid sit, extat hæc particula in Concilio Toletano III. an. 589. celebrato, & in aliis, in Gallia, & Germania coactis: sed quo

---

(a) *In ep. ad Patriarch. Aquilejen.*
(b) *pag.* 305. *Rom. ed.*

quo præcise tempore obtinuerit in Romana, & universali Ecclesia, incertum est.

CAPUT XIII.

Exponitur, quo sensu Filius, & Spiritus sanctus missi *dicantur.*

Missio in divinis duo importat: I. æternam processionem unius personæ ab alia; II. temporalem effectum, maxime in ordine ad gratiam. Non enim in Deo est *missio* per imperium, ut famuli a Domino, neque per consilium, ut regii ministri ad bellum: nisi mandatum accipias pro ipsa persona mittente, quæ sua voluntas, & Βέλημα est, si de Verbo loquamur, vel personam respiciat humana natura indutam, ut Filius. Dare enim alicui mandata, superioris est; consilium vero alterius sequi, timidi, aut ignorantis. Hæc ergo missio est a Deo removenda. Sit itaque

Propositio I. Pater neque a Filio mittitur, neque a Spiritu sancto.

Prob. ex Augustino contra serm. Arian. c. 4. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat... Non enim splendor ignem, sed ignis mittit splendorem.* Prob. II. ratione. Persona, quæ mittitur, dicit processionem, & originem: atqui Pater a nullo procedit: ergo a nullo mittitur.

Propositio II. Filius dici potest missus ratione humanæ naturæ ad homines redimendos.

Prob. ex ep. ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum* &c. Jo. 10. *Quem Pater misit in mundum:* & Luc. 4. Christus sibi aptavit illud Is. 61. *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me.* Accedit ratio. Filius a Patre genitus est, & ab eo una cum aliis personis incarnatio peracta est: ergo est in Filio origo æterna a Patre, & efficientia temporalis, in quibus vera *missionis* ratio sita est.

Dices:

Dices: Filius a Spiritu S. non procedit: ergo ab eo non mittitur. R. dist. conf. Non mittitur ratione divinitatis, conc.; ratione humanitatis, neg. Nam Christus totius Trinitatis operatione plasmatus est, & sic etiam a Spiritu S. accepit esse. Quo sensu etiam Filius, & Spiritus S. mittuntur a se ipsis, ex Aug. l. 2. de Trin. 5.

Propositio III. Spiritus sanctus mittitur a Patre, & Filio.

Prob. I. ex Jo. 54. *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et c. 16. 7. *Si abiero, mittam eum ad vos.* Prob. II. ratione. Nam Spiritus S. a Patre, Filioque procedit: deinde sub columbæ, aut ignis specie super Christum, & Apostolos apparuit, hisque tribuit charismatum dona: ergo in eo habetur processio, & effectus temporalis, adeoque vera missio.

Ex his sequitur, I. missionem duabus tantum personis convenire, nempe Filio, qui a Patre, & Spiritu S. missus est, sensu nuper exposito, & Spiritui S., qui mittitur a Patre, & Filio. Sequitur II., eam dici posse æternam simul, & in tempore; æternam relate ad principium, & in tempore relate ad effectum. III. missionem aliam esse visibilem, ut cum Christus in Bethlehem natus est, aut Spiritus S. corporea specie super ipsum descendit; aliam invisibilem, ut cum caritas per Spiritum S. diffunditur in cordibus nostris.

Ob. I. Ex ea missione sequitur inæqualitas, aut separatio personarum: ergo non datur. Prob. prima pars ant. ex Joan. 20., ubi Christus ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* ergo sicuti discipuli minores sunt Christo, quia ab eo missi sunt, ita Filius minor erit Patre, quia ab eo missus est. Pr. secunda pars. Quod corpori conjunctum est, mitti nequit ab ejus parte, nisi divellatur: ergo si Spiritus S. mittitur a Patre, & Filio, necesse est, ut ab utrisque separetur divinitate.

R. neg. ant. Ad I. prob. neg. conf. Nam parti-

cula καθὼς non eſt ſemper nota æqualitatis; & ſenſus eſt: *Ea vos caritate diligo, cum inter ſcandala perſecutorum mitto, qua me caritate Pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit*, ut exponit Chryſoſtomus Hom. 28. Ad II. prob. neg. conſ. Quod corpori conjunctum eſt, ideo non mittitur, quia corpora localiter moventur, & ſi una pars amoveatur ab alia, non erunt amplius in eodem corpore copulatæ: in Deo autem perſona, quæ mittitur, nec loco, nec natura a mittente ſejungitur. Miſſio enim ſolum importat unius perſonæ originem ab alia, & externam alicujus effectus productionem.

Ob. II. Si Filius dicitur miſſus a Spiritu S. (*a*) tollitur ejus proceſſio a Filio: ergo &c. Prob. ant. Dicent enim Græci: Filius a Spiritu S. miſſus eſt, nec tamen ab eo procedit: ergo a pari. Si dicas, Filium a Spiritu S. miſſum, prout incarnatio eſt opus inſeparabile totius Trinitatis, dicent etiam Græci, Spiritum S. a Filio miſſum, quia externa columbæ ſpecies fuit a tota Trinitate: ergo &c.

R. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Filius a Spiritu S. miſſus eſt miſſione impropria, & late ſumpta pro externa tantum efficacia ex Aug. (*b*) aliiſque (*c*), conc.; ſtricte & proprie ſumpta, prout æternam proceſſionem, & externum effectum importat, neg. Filius itaque a Spiritu S. miſſus eſt miſſione late ſumpta, quæ ad ſolum incarnationis opus refertur, non ad Filii perſonam. At vero Spiritus S. miſſus eſt miſſione proprie dicta, quæ non ſolum externam efficientiam reſpicit inſeparabilis Trinitatis, ſed etiam ſubſiſtentem perſonam procedentem a Filio.

CA-

(a) *Ex Prop. II.* (b) 2. *de Trin.* 5.
(c) *Mag. ſent. diſt.* 15., *& D. Th. q.* 43. *art.* 8.

CAPUT XIV.

De Græcis, Latinisque vocabulis, quorum in disputando de Trinitate frequens est usus.

VOCES hujusmodi aliæ pluribus personis communes sunt, aliæ uni tantum conveniunt. Communes sunt

I. Οὐσία, *usia*, quæ idem significat ac τὸ ὄν, *quod est*. Sabelliani, qui pluralitatem personarum negabant, ὀσίαν, *usiam*, pro persona sumebant, Deumque μονοέσιον, ideſt *unius usiæ*, non trinum appellabant. Verum *usia* non personam, sed essentiam, naturam, & substantiam significat. Et post Nicænam Synodum non audemus dicere, ait Aug. l. 5. Trin. c. 9., tres *usias*, neque tres *essentias*, neque tres *substantias*.

II. Ab ὀσία ortus est ὁμοέσιος *consubstantialis*, & ὁμοιέσιος, *similis substantia*, quæ non unum sensum habent. Nam quæ sunt ejusdem speciei, licet sint individuo diversa, *omousia* a Platonicis dicta sunt: quo sensu PP. nonnulli ante Nicænam Synodum Filium, & Spiritum S. esse Patri *omousion* negarunt. Cum autem *omousios* partitionem substantiæ per se non significet, sed quod est ejusdem cum alio substantiæ, merito vox ista a Nicænis Patribus contra Arianos adhibita est. Ejus loco ὁμοιέσιον ab Arianis substitutum est, de quo vide c. 6. hujus differt.

III. In essentia item concipimus aliud esse, quod est, aliud principium, ex quo est, aliud modum, quo est: primum dicitur ὀσία, de qua supra; secundum dicitur φύσις, a φύω, *gigno*, & ex nominis etymologia, etiam personam designat; tertium dicitur ὕπαρξις, *essentia natura existentia*, ab ὑπάρχω, *existo*; aliquando tamen significat peculiarem existendi modum.

IV. Ὑπόστασις, *subsistentia*, ab ὑπὸ, *sub*, ἵστημι, *sto*,

sto, rem per se subsistentem, & intelligentem significat, & convenit personæ, non rebus inanimatis. A veteribus usurpatur ad significandam substantiam, neque ab essentia distinguitur, prout etiam subsistendi modum comprehendit. Cumque substantia una sit in tribus personis, nil mirum si plures ex iis unam in Patre & Filio hypostasim dixere. Si tamen hypostasis pro persona sumatur, recte tres hypostases nominamus. Quo sensu usurparunt Concilia, PP., ac Theologi omnes. Qui ergo unam in Deo affirmarunt hypostasim, *usiam*, & existentiam absolutam intelligunt. Qui vero tres hypostases, *usiam*, & tres subsistentias relativas. Atque ita eruditorum diffidia ea de re componuntur.

V. *Persona* non solam qualitatem apud Latinos exprimere ex Tullio constat ep. 48.; ait enim, *Cæsarem in Pompeii personam multa asperius fecisse.* Definitur a philosophis *rationalis naturæ individua substantia.* Ubi individua substantia dicitur, quæ constat communi essentia, & certa proprietate, quæve non potest alteri convenire. Hæc proprietas, quæ per mentem ab essentia distinguitur, in prima Trinitatis persona dicitur *Paternitas*, in secunda *Filiatio*, in tertia *Spiratio.*

VI. Præter communia, sunt etiam propria vocabula personarum. Primum est nomen Patris, græce Πατὴρ, quód a πάω, *pasco*, derivatur, quia pascit & curam gerit natorum, quo sensu hoc nomen tribus personis convenit. Sed prout parentem designat, a pariundo dicitur, græce γενέτωρ, *genitor*, quia a Patre Filius gignitur, & nomen est Patris proprium.

VII. *Ingeniti* vocabulum, græce ἀγένητος, a γίνομαι, *fio*, significat *non productum*, quo sensu quævis persona est ἀγένητος, idest *non facta*, sed geminata litera ν est a γεννάω, & significat *non genitum*,

nitum, & ſic ſoli convenit Patri: quia a nullo genitus eſt, nec poteſt ab alio procedere. Hinc Spiritus S., qui licet ſit ingenitus, tamen a Patre procedit, ingenitus dici non poteſt.

VIII. Dicitur etiam Pater principium, auctor, fons, & cauſſa, prout eſt Filii, & Spiritus S. origo, a nullo procedens; ſed a nomine *auctoris* Græci abſtinent, quia præeminentiam ſupra cæteros deſignat, ut Latini a nomine *cauſſæ*, qua exprimitur productio effectus natura diverſi. Non item apud Græcos αἰτία: unde Patrem communiter vocant *cauſſam Filii*, & aliquando etiam Latini.

IX. Secunda perſona vocatur Filius, Verbum, imago Patris, ſplendor, character, ſapientia, quorum tria priora propria videntur, reliqua appellativa. Filius a Græco φύω, *gigno*, deſignat perſonam genitam, & e Patris ſinu prodeuntem. Verbum, vel λογος, oſtendit hunc Filium non gigni externa fœtus productione, & ſeminis deciſione, ut mortales, ſed in ſinu Patris commorari, ut mentis noſtræ verbum non divellitur a mente, quæ illud concipit. Hinc Jo. I. dicitur *Verbum apud Deum*, & *Filius in ſinu Patris*. Dicitur etiam λόγος, *ratio*, quia, nedum ad Patrem comparatur, ſed etiam ad omnia, quæ facta ſunt, ut ratio, & idea opificis ad effecta. Dicitur *Verbum Patris*, quia ſicut verbum nunciat occultas cogitationes, ita inviſibilem Deum Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, enarrat. Dicitur *imago*, quia Patrem exhibet Filii charactere, cui convenit a Patre procedere in ſimilitudinem naturæ.

X. Alia nomina ſunt appellativa, ut *ſapientia*, *character*, *ſplendor* &c., quæ etiam Spiritui S. conveniunt. Erunt tamen propria, ſi relative ſumantur; ut ſi dicas *ſapientia genita*, *ſplendor paternæ gloriæ* &c.

XI. Filio una cum Patre convenit eſſe Spiritus S. principium: unde ſpiratio eſt proprietas notionalis, quæ

quæ singulares divinarum personarum exprimit characteres, quibus ab invicem distinguuntur. Cum ergo tertia persona ab aliis diversa sit, debet a duabus procedere, quod recte dicitur spirari. Sunt ergo quinque notiones, idest *innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, & passiva*. Gignere autem, nasci, procedere &c. non dicuntur notiones, quia non exprimunt existentis personæ characterem, sed originem & productionem.

XII. Tertia Persona dicitur *Spiritus S., donum, charitas, consolator*. *Spiritus a spiro* dicitur, quia sicut halitus ex ore spiratur, ita Spiritus S. a Patre, Filioque procedit. Πνεῦμα etiam a πνέω, *flo, spiro*, derivatur. Additur *sanctus* ad differentiam spiritus hominum, & angelorum, qui est peccatis obnoxius, vel est sanctus per gratiam. De dono vide c. 7. Dicitur etiam *Amor, caritas, osculum*, quæ notæ sunt duorum se mutuo diligentium.

XIII. *Paraclitus* græcum est nomen a παρακλέω, *rogo, hortor, consolor, advoco*, eoque designantur gratiarum charismata, mentis illustrationes, pia cordis vota, gratia orationis, & sanctitas ipsa, quæ est Spiritus S. habitatio in cordibus nostris. Tum etiam sanctitatis ornamenta, idest gaudium, pax &c., de quibus Apostolus ad Gal. 5. Licet enim etiam Filius sit consolator, gaudet specialiter hoc titulo Spiritus S., per quem caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, unde in nos omnia bona derivantur, & vita æterna, ad quam ille nos perducat, qui cum Filio, ac Spiritu S. vivit & regnat Pater unus & trinus Deus.

LIBER VIII.

In quo nonnullorum PP. de Verbi divinitate orthodoxia vindicatur.

Ex PP., qui Arianam hæresim, aut præformasse, aut eam defendisse, quamvis immerito, traducti

cti sunt, quidam Nicænam Synodum præcessere, quidam autem subsecuti sunt. De quibus singillatim duplici dissertatione tractabimus.

DISSERTATIO I.

De PP. Antenicænorum orthodoxia.

Inter Ante-Nicænos PP., qui in suspicionem Arianæ hæreseos trahuntur, novem præsertim ab hac macula vix expurgari posse putarunt nonnulli. Sunt autem Ignatius, & Justinus martyres, Athenagoras, Irenæus, Clemens, & Dionysius Alex., atque Origenes. Quibus addit Wolzogenius Athanasium, & Basilium, quos totidem capitibus sequenti ordine vindicare curabimus.

CAPUT I.

De Ignatio Martyre, atque ejus epistolis.

Epistolas S. Ignatii Episcopi Antiocheni impugnarunt Salmasius, Dallæus, ac Blondellus; nec non Oudinus in Hist. de Script. Eccl.: illas tamen defendunt Usserius, Hammondus, Vossius, Cotelerius, Caveus, Clericus, Pearsonius, Bullus, Dupinius, Alexander, Annatus, aliique. Sunt autem epistolæ illæ numero 7., nempe ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smirnæos, & ad Polycarpum. Verum epistolæ ad B. V. M., & ad Joannem, veluti suppostitiæ rejiciuntur a Baronio, Possevino, aliisque, cum nullus ex veteribus earum meminerit ante Bernardi tempora. Sit ergo

Propositio I. Septem Ignatii epistolæ ab Usserio, & Vossio pristinæ fidei restitutæ, sunt genuinæ.

Prob. I. Ex Eusebio, qui lib. c. 37. narrat, S. Polycarpum de 7. laudatis Ignatii epistolis meminisse in sua ad Philippenses epistola, & l. 5. c. 8. ait, Irenæum plura testimonia ex iis protulisse, quæ

quæ inter Irenæi ſcripta non extare, mirari non debuit Dallæus, cum plura S. Martyris opera interierint. Neque *ex antiquorum ſilentio*, ut ipſe ait, evincitur, Euſebium erraſſe. Cum plura germana ſcripta ab omnibus recipiantur, quorum nullus ante Euſebium catalogum texuit. Is autem non e penu ſua, ſed ex præcedentium ſcriptorum ſcriniis memorias eruit antiquitatis. Deinde Theophilus Antioch. commentaria edidit in Matthæum, ex quibus teſtatur Hieronymus, ſe accepiſſe ea verba: *Martyr Ignatius quartam addit cauſſam* : ſed Ignatius hoc tradit in ſua ad Epheſios epiſtola: ergo &c. Reapſe Hieronymus de Script. Eccl. 7. Ignatii epiſtolas eodem, quo ſupra dictum eſt, ordine cenſet. Nec Hieronymus ab Euſebio deceptus eſt, apud quem Ignatiana ſententia non extat: ergo aliunde, ideſt a Theophilo, eam accipit. Origenes etiam Hom. 6. in Lucam, quædam profert ex epiſtola Ignatii ad Epheſios, & in Prol. in Cant. & in ep. ad Rom.

Dices, Origenem Ignatii verba retuliſſe non ſcripta. R. neg. ant. Ait enim, in *cujuſdam Martyris epiſtola reperi, Ignatium dico Epiſcopum Antiochiæ*. Denique Ignatianas epiſtolas laudat Athanaſius (*a*), Theodoretus (*b*), aliique poſteriores (*c*): ergo &c.

Prob. II. Dallæus enim & Oudinus has epiſtolas ut ſpurias rejiciunt, vel ob diſtinctionem inter Epiſcopos, & Presbyteros, vel ob ſtylum Ignatio indignum, vel ob dogmata, quæ in iis continentur. Sed hæc futiliſſima ſunt: ergo &c. Prob. min. I. enim diſtinctio Epiſcoporum a Presbyteris vetuſtiſſima eſt, & de jure divino, quidquid afferant Presbyteriani. Stylum vero ſeptem epiſtolarum ſimplicitatem Apoſtolicam redolere cenſet Clericus criti-

(a) *L. de Synod. Arim. & Seleuc.*
(b) *Ap. ad Monach. Conſtant.*
(c) *Ap. Natal. Alex. diſſ. 23. ſæc. 1.*

criticus apud adverſarios accuratiſſimus. Nam & phraſes duriores, & epithetorum frequentia ſunt Syrorum propria; & ſuus cuique mos eſt. Doctrina vero tota eſt Apoſtolica. Egregia ibi ſunt ad virtutem hortamenta, & fruſtra in iis improbatur flagrantiſſimum martyrii deſiderium. Nec obſtat veterum ſilentium, quod argumentum eſt negativum, & falſum, ut notum eſt.

Ob. I. Auctor epiſtolæ ad Magneſ. perſtringit Æonum fabulam, nondum Ignatii tempore exortam, *Verbum æternum* vocans, *non a ſilentio progrediens.* II. In epiſt. ad Trall. meminit Baſilidis, & Cleobuli, qui poſt Ignatium eruperunt. III. In ep. ad Eph. Oneſimum, veluti ſuperſtitem, laudat, qui ſub Domitiano occubuit: ergo ſpuriæ ſunt Ignatii epiſtolæ.

R. Ad I. neg. ant. Non enim laud. locus reſpicit Æones, ſed Verbum dicitur *non a ſilentio progrediens*, ideſt æternum. Sic enim loquitur etiam S. P. A. ſer. 369. *Verbum, quod dicturus Pater non ſilebat.* Reapſe nullibi ait Valentinus *Logon*, ideſt *Verbum*, ex *Sige* ſive *ſilentio* natum. Sed ex Irenæo conſtat, verbum Valentini natum eſſe ex *mente* & *veritate*, ex Epiphanio ab *homine*, & *eccleſia*, ut eruitur ex Valentini fragmento ap. Epiph. in Panario, licet illud Valentino abjudicent eruditi.

Adde, Æones ex antiquioribus hæreticis derivaſſe, teſtibus Irenæo & Epiphanio, & ab iis Ignatio innotuiſſe. Ad II. neg. conſ. Nam ea nomina non extant in caſtigatis Voſſii, & Uſſerii editionibus. R. II., Cleobolum fuiſſe Simonis Magi diſcipulum, Baſilidem vero Cerinthi coævum, qui hæreſim ſparſit circa an. Chriſti 80., adeoque potuiſſe utrumque Ignatio innoteſcere, qui ſub Trajano paſſus eſt. Ad III. neg. conſ. Non enim ibi laudat Ignatius Oneſimum Pauli diſcipulum, ſed alium, qui poſt Gajum Epheſo præfuit imperante Trajano.

Ob. II. Nicephorus in Stychometria, & Anaſtaſius

ſtaſius in indice Hiſt. ſuæ Ignatii epiſtolas ut ſpurias rejiciunt: ergo &c. R. I. retorq. argumentum. Nam ſcriptores illi germana cenſent opera Areopagitæ, ſed is ex Ignatii epiſtolis inſignem locum exſcribit lib. de div. Nomin.: ergo &c. R. II. neque Stychometriam eſſe Nicephori, nec ibi Ignatii epiſtolas, ſed ſpuria ejus ſcripta notari. Forte apochryphis accenſentur, quod in canonem ſcripturarum, quarum catalogum texit, non ſint referendæ.

Ob. III. Pſeudo-Ignatius martyres ut viventes alloquitur, quos antea ſcripſerat ad gloriam perveniſſe: ergo &c. II. Milites cuſtodes ſuos *leopardos* vocat: ſed hæc vox erat ante Conſtantinum inuſitata, ut Bochartus, & Geſnerus obſervant: ergo &c. III. In ep. ad Eph. ait, ſe Chriſtum in carne vidiſſe, quod licet ſit a Hieronymo traditum, impoſſibile cenſent eruditi Chronologi. IV. Mirificæ etiam ſunt harum epiſtolarum inſcriptiones: ergo &c.

R. ad I. neg. conſ. Ignatius enim Martyres vocat Apoſtolos, Philippenſes, alioſque, quorum aliqui ad Martyrium pervenerant, alii erant ſuperſtites. Ad II. neg. min. Nam *leopardorum militum* meminit Spartianus (a) an. 100. ante Conſtantinum. R. II. diſt. maj. Vocat *leopardos* ob feritatem, conc.; ob militiæ genus, neg. Ad III. neg. ant. Extat enim in græco οἶδα, *ſcio*, *&* *credo Chriſtum in carne eſſe*, non *vidi*, ut ex corrupto codice quidam male verterunt. Ad IV. neg. antec. Nam amplioribus inſcriptionibus utitur Apoſtolus ad Rom., ad Gal., ad Titum, quas nemo ut ſpurias agnoſcit.

Ob. IV. In hiſce epiſtolis Ignatius dicitur *Theophorus*, ex fabula, qua fingitur Ignatius puerulus ille, quem Chriſtus ſtatuit in medio: ergo &c. R. neg. ant. Sic enim dictus eſt, quod Deum ex Apoſtolo (b) *portabat in corpore ſuo.*

PRO-

(a) *In Vita Antonini* (b) 1. *Cor.* 6.

Propositio II. In Ignatianis epiſtolis Verbi divinitas expreſſe prædicatur.

Prob. I. ex ep. ad Eph. *Unus medicus eſt carnalis, & ſpiritalis, factus, & non factus in carne Deus.* Prob. II. ex ep. ad Magneſ. *Etſi Filius principium habeat Patrem ſuum, tamen concurrentem cum ipſo habet exiſtentiam. Nam quia eſt ex principio, ideo conſubſtantialis principio. Porro quod eſt Patri conſubſtantiale, id adventitium non eſt in tempore:* ergo &c.

Ob. I. Ignatius Patrem comparat Epiſcopo, Filium Presbytero: ſed eo exemplo etiam Ariani abutebantur, teſte Athanaſio (a): ergo &c.

R. diſt. maj. Comparat, ut probet Filium a Patre divinitatem accipere, ut Presbyter ab Epiſcopo recipit characterem, conc.; ut probet eſſe Patre minorem, nego. Nec mirum, Arianos SS. exemplis abuti, qui etiam ſcripturis abutebantur.

Ob. II. Ignatius in epiſtola ad Smyrn. Chriſtum vocat Dei Filium *ſecundum voluntatem, & potentiam Dei*: ergo &c. R. diſt. ant. Vocat &c, prout voluntas, & potentia Dei eſt creaturarum principium, neg.; prout non coactè, ſed voluntarie genitus eſt, & procedit a Patre omnipotente, & volente, concedo.

CAPUT II.

De Juſtino Martyre, ejuſque fide circa Verbi divinitatem.

NOT. I. Auctor Irenici etiam Polycarpum Arianis accenſet, eo quod Patrem Deum dixerit, Filium autem ſempiternum ſacerdotem. Sed Polycarpi fides ſatis liquet ex ejus ad Philipp. epiſtola, & ex oratione, quam protulit morti proximus (b), ubi Patri, Filioque æqualem gloriam attribuit. Sed

(a) *Dial.* 1. *de Fid. Orth.*
(b) *Ap. Euſeb. l.* 4. *Hiſt.* 5.

Sed & Ignatii epiſtolas laudat, & diſcipulum habuit Irenæum, qui ex magiſtri doctrina hæreſes refutavit.

Not. II. De Juſtino M. ſcribit Petavius l. 1. de Trin. c. 3., Filium putaſſe *inferioris conditionis etiam antequam homo fieret.* Epiſcopius vero ex Juſtino probare nititur, *anathema* dicendum non eſſe neganti Verbi divinitatem. Petavius tamen priorem ſententiam temperavit (a), faſſus in Juſtini libris plura extare divinitatis Chriſti veſtigia. Sunt autem germana Juſtini opera: duplex pro Chriſtianis apologia, dialogus cum Triphone, & alia, quæ periere. Non tamen oratio parænetica ad Græcos, nec alia plura, quæ ſub ejus nomine circumferuntur.

Propositio. S. Juſtinus Verbi divinitatem perſpicue affirmavit.

Prob. I. ex 1. Apol. *Filius ejus, qui proprie dicitur Filius, Verbum ſimul cum illo ante creaturas exiſtens, quoniam per eum cuncta condidit, & ornavit &c.* II. In Dial. ait: *Ante creaturas omnes Deum genuiſſe ex ſe virtutem quandam rationalem, non per reſectionem, tanquam diſpertita eſſet Patris eſſentia*, ut fit in hominis generatione, ſed ejuſdem participatione naturæ. Quod probat exemplo ignis, quo non mutato, alter accenditur &c. III. in Apologia 2. *Fatemur*, inquit, *nos talium deorum eſſe atheos, ſed non illius Dei Patris; verum hunc ipſum, & Filium, & Spiritum S. adoramus.* Ex quibus ſic arguitur. Docet fides, Verbum non eſſe productum, ſed æternum, & ante omnes creaturas a Patre naſcens, non abſciſſione paternæ ſubſtantiæ genitum, ſed ejuſdem communicatione naturæ, eodemque latriæ cultu cum Patre, ac Spiritu S. eſſe adorandum: ſed hæc profitetur Juſtinus ex dictis: ergo &c.

Ob. I. Petavius. Juſtinus in Dial. Filium Patre infe-

(a) *In Præf. l. 1. de Trin.*

inferiorem appellat, Dei administrum, secundo loco habendum, potestatem post Patrem &c.: ergo &c. II. Ait, prophetis apparuisse, cum Deus sit invisibilis: ergo &c.

R. ad I. dist. ant. Vocat inferiorem nomine, & ordine, ac ratione geniti in sensu aliorum PP., conc.; inferiorem substantia, aut natura, neg. Ad II. dist. ant. Ait apparuisse Filium, ut legis dispensatorem, hominumque redemptorem, conc.; ut expertem invisibilis naturæ, quæ est in Patre, neg. Ostendit enim ex scripturis ibidem Justinus, eum, qui olim apparuit, Deum verum fuisse, licet ipse, non autem Pater, visibilem formam induerit, qua sese reddidit aspectabilem.

Ob. II. Sandius. Justinus in responsione ad Græcos ait, *Genitum*, & *conditum* non differre: & in eversione dogm. Arist. ait, *fuisse aliquando, cum non fuerit, id, quod genitum est*: sed hæc Arianismum sapiunt, non secus ac similitudines ex igne, & humano verbo deductæ: ergo &c.

R. I. Utrumque librum ut spurium rejici a Sandio ipso, a Sylburgio, Possevino, Alexandro, Riveto, aliisque, I. ob mentionem Manetis plusquam sæculo posterioris; II. ex quo Justinus solum 1. & 2. physicorum librum impugnavit, hic vero usque ad 8. perducitur. R. II. dist. maj. Et ibi loquitur Justinus de mundi productione, conc.; de Verbi generatione, neg. Græci enim promiscue dicunt *genitum*, & *factum*: allatis autem exemplis Justinus ostendit, Verbi generationem esse spiritalem, nec ea substantiam paternam imminui, quod iisdem symbolis præstitit Athanasius (a), & Augustinus (b).

Ob. III. Episcopius. Justinus in dialogis ait, ex scripturis ostendi, Jesum esse Christum Dei, idque fide tenendum, etsi non constaret, hunc esse Deum conditorem sæculi: ergo per Justinum de fide

---

(a) *L. de Decr. Nic. Syn.* (b) *Tr. 14. in Jo.*

de non eſt Verbi divinitas. R. diſt. ant. Et Juſtinus arguit in falſa Triphonis hypotheſi, qua ille negabat Meſſiam futurum eſſe ipſum Deum, ſed purum hominem, conc.; abſolute negat, Verbum ante incarnationem extitiſſe, neg. Imo vero id luculenter oſtendit dicens, ſe non aſſentiri Ebionitis confitentibus ipſum eſſe Chriſtum, ſed hominem ex hominibus genitum (1).

Inſtat Zvikerus, Juſtinum platonica philoſophia imbutum gentiliſmi dogmata nondum exuiſſe: ergo &c. R. Bullus, Zvikeri rationes ab infelici ingenio eſſe excogitatas. Nam Juſtinus in Dialogo platonicis, ethniciſque prophetas anteponit, ſuamque ſapientiam, priuſquam divina imbueretur, ſtultitiam vocat. In apologia autem inanium Deorum cultum invictis argumentis refellit.

CA-

---

(1) Cenſet laudatus P. Meran l. 4. de divin. D. N. I. C., idem hoc loco a Juſtino factum, quod ab iis ſolet, qui via, & ratione diſputant. Agebat enim cum pervicaciſſimis adverſariis, & ſi quid interdum faterentur, paulo poſt factum mutantibus, quod vitium eis ſæpe exprobrat S. M. Quare demonſtrationem divinitatis Chriſti, rogatu Triphonis, aggreſſus, eum prudenter monet Juſtinus, ne, ſi minus ſuccedat promiſſa demonſtratio, idcirco neget, quod in anteceſſum fuerat demonſtratum, Jeſum nempe eſſe Chriſtum. Quæ præfatio non eo ſpectabat, ut Judæis onus credendi in Chriſtum eximeret, ſed potius, ut eos ad hanc fidem ſine interpellatione revocaret. Porro ſi vim habet ratiocinatio Epiſcopii, quiſquis, peracta aliqua demonſtratione, aliam aggreſſus adverſarium moneat, ne, ſi mox dicenda non probet, idem judicium de ſupradictis ferat, is cenſendus erit poſtremam demonſtrationem flocci facere, ac in priore omnia ponere. Quod quam ſit abſurdum, nemo non videt.

CAPUT III.

De Athenagora, ejusque fide circa Verbi divinitatem.

Athenagoras philosophus clarissimus insignem pro Christianis edidit apologiam ann. 166. (a), in qua Christianos purgat a calumniis de Atheismo, de cœna Tyæstea, sive de esu carnis humanæ, & de OEdipodeo, ideſt promiscuo incestus concubitu, de quibus ab Ethnicis falso accusabantur. Meminit ejusdem Methodius, & Photius, & germanam esse omnes fatentur. Sabellianum, aut Arianum dogma in ea subodoravit Petavius, sed fallitur. Sit itaque

Propositio. Athenagoras ab Ariano, ac Sabelliano errore longe abest.

Prob. I. pars. Docet Athenagoras: *Filium Dei esse Verbum Patris in idea, & efficacia, per ipsum facta esse omnia, cum Pater & Filius unum sint; ita, ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio per unionem Spiritus. Siquidem mens, & Verbum Dei Filius est. Primigenia hic est Patris progenies, non ut facta, a principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in se ipso* λόγον, hoc est, *Verbum & rationem habet:* sed his verbis ostenditur I. Verbum a Patre genitum esse ab æterno, quia Pater ab æterno rationem habet. II. Esse a Patre essentia indistinctum, cum Deus Pater essentialiter sit mens æterna, habens in se rationem, & Verbum. III. Esse rerum omnium caussam effectricem. IV. Ostendit arctissimam esse inter personas unionem per circuminsessionem: ergo &c. Deinde probat, Atheos non esse Christianos, ex quo isti unum in Trinitate Deum agnoscant. *Quis non miretur*, ait Athenagoras, *nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum sanctum, eorum in uni-*

(a) *Ad M. Antoninum, & L. Aur. Commodum.*

unitate virtutem, & *in ordine di nctionem explicantes*, *Atheos vocari*? ergo &c.

Prob. II. pars. Athenagoras docet, Filium esse genitum a Patre, & ordine, ac relatione unum ab alio distingui: ergo Filio propriam tribuit hypostasim: ergo &c.

Ob. I. Petavius. Athenagoras docet, prius fuisse in Patre substantiam Filii, quam propriam haberet hypostasim. II. Ait, Filium fuisse ab æterno Patris rationem, & mentem, quæ a Patre nullo modo distinguitur: ergo nec æternum Filium credidit, nec a Patre distinctum.

R. ad I. dist. ant. Docet prius fuisse origine, & ordine, conc.; tempore, & dependentia, neg. Hanc phrasim adhibuit etiam Alexander Episcopus Alexandrinus, nec censetur Arianus, aut Sabellianus: ergo nec Athenagoras. Cum enim per ipsum Filius sit primigenia Patris progenies, non facta, sed genita ex ipsa Patris substantia, ordine tantum, & relatione Filium præcedit Pater, non caussa, vel tempore. *Quoniam ab æterno Pater est rationalis*: ergo ab æterno λόγον, & Verbum habet, & ab æterno progressa est idea, & perfectio rerum: ergo ordine, & hypostasi est a Patre distincta.

Ob. II. Ait Athenagoras, Verbum esse in efficacia, & prodiisse, cum mundus ex nihilo factus est: ergo &c. R. dist. ant. In efficacia, quia per Verbum res omnes factæ sunt, & in earum productione apparuit Dei sapientia, ac potentia, conc.; quia ante non fuit, nego.

CAPUT IV.

De Irenæo Lugdunensium Episcopo.

Irenæus Asianus genere scripsit libros quinque adversus hæreses, in quibus Sociniani Arianismi semina deprehendunt; sed ejus vindicias suscepere Bullus. Le-Nourrys & Massuetius, qui Irenæi scripta ad vetustissimos codices castigavit. Sit itaque

PRO-

Propositio. Irenæus Verbi divinitatem invicte propugnavit.

Prob. I. Lib. 3. c. 21. de Christo ait: *Est autem ipse proprie Deus, & Dominus.* Et l. 4. *Quoniam vero homo, & vere Deus est.* II. L. 5. c. 4. de Christo ait: *Ille, in quem peccavimus, donavit remissionem:* sed ille, in quem peccavimus, est Deus: ergo Christus, qui per Irenæum *donavit remissionem, est verus Deus.* III. Lib. 3. c. 15. ait: *Cum sacræ literæ neminem Deum vocaverint, nisi solum verum Deum Patrem, & Verbum ejus, ostensum est, factorem cœli, & terræ, qui locutus sit cum Moyse, Dominum Deum confiteri.* Ex quibus constat, Filium, qui Moysi apparuit, *Deum*, ac *Dominum* in sacris literis dici: ergo &c.

Opp. Irenæus l. 3. c. 8. scribit, Patrem solum Deum appellari. II. Patrem Verbo præcepisse, velut famulo, ut mundum conderet. III. L. 2. c. 27. Christo tribuit ignorationem extremæ diei: ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Nam l. 3. c. 8. illos perstringit, qui mundi creatorem alium esse a summo Deo autumabant: sed ibi ait, Patrem cum Verbo juste Deum appellari, & neminem esse Deum, nisi, qui Moysi apparuit, & legem dedit &c.: ergo Filium a Dei nomine non excludit Irenæus, sed *Demiurgon*, quem Gnostici mundi conditorem putabant. Ad II. neg. ant. Nam præceptum creandi mundum, quod Pater dedit Filio, est ipsum Verbum Patris. Siquidem loqui non potest Pater, aut præcipere, nisi per Verbum a se indistinctum, alias præciperet, & loqueretur, ut creatura, ut notat S. P. A. l. 1. Trin. c. 12. Hinc Basilius, & Athanasius scribunt, Filium Dei obtemperare Patris præcepto. Nam Filium gignere, qui est Verbum, & jussio Patris, præcipere dicitur. Sic Irenæus ibidem docet, mundi opificem non fuisse creaturam, sed Verbum,

 qui

qui Patris vox est ac præceptum (a). Ad III. R. Bullus, Irenæum ignorationem Christo, ut homini, tribuere. Verum cum Christus, etiam ut homo est, omnem scientiæ plenitudinem habuerit, R. II. Massuet. dist. ant. Tribuit absolute, neg.; quatenus illius diei scientiam non a se ipso habet, sed a Patre, conc. Refellit ibi S. D. Gnosticos, qui se omnia mysteria nosse jactitabant. Potest tamen utraque sententia conciliari, si dicamus, Christum ignorasse judicii diem, ut hominem, quia hæc cognitio est in Christo, non ex vi humanitatis, sed ex natura divinitatis, quæ in Patre, & Filio una est.

CAPUT V.

De Clemente Alexandrino.

Germana Clementis scripta sunt ex Bellarmino de Script. Eccl. Adhortatio ad gentes, tres libri Pædagogi, & octo Stromatum, licet de ultimo dubium sit. In his autem Arianismum subodorarunt Clericus, & Petavius ipse: nec desunt alii theologi, qui scribunt, Clementi plura incaute excidisse, & contra fidem historiæ, puta de annis prædicationis Christi, & de incontinentia angelorum; sed ejus orthodoxia etiam a Caveo Protestante defenditur. Sit itaque

Propositio. Immerito de Arianismo insimulatur Clemens Alexandrinus.

Prob. I. In Adhort. ad Gent. de Verbo ait: *Est Deus manifestissimus, fons vivificus, per quem effecta sunt omnia.* II. In 1. Pæd. c. 2. declarat, ideo Filium Dei esse pædagogum, quia *in eum nullum omnino peccatum cadere potest.* Atqui ex Clemente, unius summi Dei est *nullo modo peccare:* ergo Clemens Christum credidit impeccabilem, adeoque verum Deum. III. Strom. 7. probat, Christum esse Dominum universorum. I. Quia omnium curam gerit,

(a) *Vide* ℞. *ad* 4. *c.* 5. *l.* 7.

gerit, & in quem neque imbecillitas cadere poteſt, neque invidentia. II. Quia ipſe ſine principio genitus eſt, adeoque eſt impaſſibilis. III. Quia apud Deum cadere non poteſt ignoratio, cum ſit ſapientia Patris. IV. Quia Verbum eſt unum principium, a quo cuncta dependent, & ſummum bonum, adeoque verus ac ſummus Deus. Adde, Arianos ne verbum quidem in ſui erroris defenſionem ex Clemente protuliſſe, ut ex Rufino, aliiſque notum eſt: ergo &c.

Ob. I. Photius cod. 119. Bibl. ſcribit, a Clemente Dei *Filium ad creaturæ ſortem deprimi:* ergo &c.

R. I. Rufinus, plura Clementis opera fuiſſe ab Arianis interpolata. R. II., incertum eſſe, an libri Hypotipoſeon ſint Clementis; nam Photius ibi ait: *Alia ſexcenta nugatur, ſive ipſe, ſive quis alius ejus perſonam indutus:* & Cod. 110. de lib. Pæd. ait: *Blaſphemis opinionibus omnino vacat;* & Cod. 111. de Clemente ait: *Multa, quæ ibi* (in lib. Hypot.) *dicta fuerunt, oppugnat:* ergo Photio teſte, libri Hypot. Clementis non ſunt, a quo in genuinis operibus blaſphemiæ illæ damnantur.

Ob. II. Clericus. Lib. 5. Strom. ait Clemens, *ſapientiam, quæ omnia permeat, eſſe primum a Deo creatam.* II. Lib. 7. *Filii naturam* vocat *omnipotenti propinquiſſimam:* ergo eſt diverſa.

R. neg. ant. Clemens exemplo veterum πρωτότοκον, *primogenitum*, & πρωτόκτιστον, *primoconditum*, promiſcue uſurpavit, vel de ſapientia loquitur, prout in rerum creatione ad hominum captum deſcendit, quo ſenſu primogenitam creaturam dici notat Athanaſius or. 3. contra Arianum. Ibi enim oſtendit, unum eſſe principium omnium ingenitum, & improductum, nempe Patrem ſimul, & Filium. Ad II. diſt. ant. Vocat *propinquiſſimam*, quia in utroque una eademque eſt, conc.; quia diverſa eſt, neg. Quippe, Ariana hæreſi

hæresi nondum exorta, quædam minus caute Patres locuti sunt, ut ait Hieronymus contra Rufinum. Reapse Clemens ibidem Dei Filium vocat immensum, infinitum, omnipotentem, ac Dominum universorum, qui sunt summi Dei characteres, & 1. Pæd. ex Petavio ipso ait Clemens, *universorum Deum unum esse, bonum, justum, opificem, Filium in Patre*: ergo Clemens Filii naturam Patri propinquissimam, nempe unam, eandemque in utroque agnovit. Censet Juenin, naturam ibi sumi pro persona, quo sensu ab aliis etiam *usia* sumitur; sed ibi non ȣσία, sed φύσις extat, quæ raro pro persona usurpatur.

CAPUT VI.

De Origene Adamantio.

QUAMVIS Origenes hæresum hydra dictus sit, eum tamen defendunt Eusebius, Picus, Sixtus Sen., Genebrardus, Halloixius. Adversantur Theophilus Alex., Anastasius Papa, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Justinianus Imp., nec non Petavius, Huetius, Norisius, Alexander, aliique, quibus subscribimus. Sit ergo

PROPOSITIO. Nequit Origenes ab Arianismi nota excusari.

Prob. I. ex Hieron., qui in ep. ad Avitum ait: Nicænos PP. *Origenem fontem Arii percussisse*. Epiphanius ep. ad Jo. Jeros. *Arii Patrem Origenem, & aliarum hæreseon parentem laudare non debemus*. S. P. A. l. 43. Hær. ait, ab Origene inter creaturas constitui Filium, & Spiritum S., *& quod Filius Dei hominibus comparatus veritas sit, Patri collatus mendacium: & quantum distant Apostoli Christo, tantum Filius Patri.* Justinianus ep. ad Mennam ait: Origenes *ausus est dicere, Patrem majorem esse Filio, Filium Spiritu S., nec posse Filium Patrem videre, nec Spiritum S. Filium: Filium, & Spiritum S. creaturas esse*: ergo &c.

Ob.

Ob. I. PP. alii Origenem, velut Orthodoxum, commendant: ergo &c. II. Hieronymus, & Epiphanius corruptis Origenis codicibus decepti sunt: ergo &c. III. Origenes Clementis Alex. & Ammonii discipulus fuit: ergo ut illi, ita & ipse ab errore excusandus. IV. Athanasius plura ejus loca producit contra Arianos: ergo &c. V. Non ex Patribus, sed ex scriptis Origenes judicandus est: sed scripta Origenis sunt orthodoxa: ergo &c.

R. Ad I. neg. cons. Licet enim *defensores ejus dicant, Origenem Patrem, Filium, & Spiritum S. unius substantiæ docuisse, sed qui ejus plura legerunt, contradicunt*, ait S. P. de Hær. c. 43. Reapse in Origenis lectione versatissimus fuit Hieronymus, qui plura latine reddidit, & de ipsius mente cum Rufino certavit: sed is fatetur, quædam absurda de Trinitate e libris Periarchon resecasse: ergo impuri sunt Origenis fontes ipsorum Apologistarum confessione. Ad II. neg. ant. Nam Origenes vivens damnatus est a Demetrio Alexandr. Episcopo, & ab Heracla pulsum testatur Synodus Alex. Neque corruptos ejus libros ostendit Hieronymus l. 2. Apol. contra Rufinum, qui in libris Periarch. catholica dogmata substituit, abrasis impiis doctrinis; unde Origenis interpolatio ab ejus asseclis peracta est: potius ergo emendata sunt ejus scripta, quam vitiata. Ad III. neg. cons. Origenes enim inanis gloriæ cupidus majorum doctrinis prætulit placita philosophorum.

Ad IV. dist. ant. Athanasius ejus loca producit, ut demonstret, Filium esse Patri coæternum, conc.; ut demonstret, esse Patri consubstantialem, & ejusdem cum illo naturæ, neg. Jure ergo Athanasius Origenis auctoritate certavit contra Arianos; fatetur enim Origenes, Filium esse genitum, splendorem paternæ gloriæ, & Patri coæternum: corruit ergo, quod ajunt Ariani, Verbum esse non extantibus, & fuisse aliquando, cum nondum erat. Cæterum Dei Verbum, uti genitum, & coæternum, ita

ita unum cum Patre ſubſtantia Origenem dixiſſe, ex Athanaſio non eruitur; docuit enim Origenes, Filium eſſe veluti effluvium divinitatis, coexiſtens Patri ab æterno, & ab eo, ut ſplendor a ſole, promanans. Sed ait, Patrem Deum eſſe ſubſtantia, Filium vero participatione, quæ fuit, teſte Cyrillo, ipſa Platonis ſententia. Ad V. neg. min. Satis enim liquet ex Origenis ſcriptis ejus perfidia. Nam T. 2. in Jo. ait, ὁ Θεὸς cum articulo unum verum Deum exprimere, ſine articulo autem Dei Filium, aliosque, qui dii ſunt tantum participatione. Docet etiam, eos, qui Filium adorant, medios eſſe inter eos, qui ſolem, lunam &c., & Deum colunt univerſorum: ergo per Origenem Filius non eſt Deus univerſorum.

R. Origenis patroni, eum docuiſſe, per articulum deſignari, Patrem fontem eſſe ac principium divinitatis. Nam Origenis mens ex libris contra Celſum, utpote incorruptis, eruitur.

Sed contra. Origenes loco citato expreſſe ait, Verbum dici Deum ſine articulo, non ſolum quia originem habet a Patre, ſed etiam quod ſit Deus *participatione*, & æqualis iis, qui dii dicuntur ſine articulo, in hoc aliis *præſtantior*, quod omnibus diis miniſter ſit deitatis. Denique ex libris contra Celſum patet corrupta fides Origenis. Nam l. 8. ait: *Colimus Patrem & Filium, duos quidem ſubſtantia, unum vero conſenſu, & voluntatis identitate.* Ubi hypoſtaſis non ſumitur pro perſona; nam poſt aſſertam diſtinctionem perſonalem, unitatem ſubſtantiæ commemoraſſet, non voluntatis concordiam, qua Ariani eludunt Chriſti verba: *Ego & Pater unum ſumus.* Adde, veteres hypoſtaſim pro *uſia* uſurpaſſe, ut obſervat Hieronymus in ep. ad Damaſ. Reapſe Origenes perſonas ἰδιότητα vocat, non hypoſtaſes: ergo per Origenem, multiplicata hypoſtaſi, multiplicatur natura.

Ob. II. Bullus. Origenes l. 3. contra Celſum vocat

cat Verbum Deum, ac Dei Filium, ſapientiam, & veritatem. Lib. 4. Chriſtum fatetur immortalem, incorruptibilem &c. quoad ſubſiſtentiam divinitatis. In 5. ait, omnem creaturam tranſcendere, & præexcellentem habere divinitatem. In 6. ait, primogenitum neminem noſſe, ut Pater, qui eum genuit: neque hunc noſſe aliquem, uti ejus Verbum. In 8. docet, non eſſe ſeparandum a Patre, neque in Deo eſſe tantummodo trinæ appellationis vocabulum: ergo &c.

R. neg. conſ. Cum enim Origenes in divinitate gradus admitteret cum Platone, ut ait Juſtinianus, & Dei Verbum pronunciaverit ex Patris ſubſtantia, non ex nihilo genitum, ſed tamen creatum, ut docet hær. 64. Epiphanius, in his latet Ariana perfidia. Licet ergo Origenes Dei Filium dixerit Verbum, & ſapientiam, immortalem, non factum, neque creatum, quia non eductum ex nihilo, unumque cum Patre unitione ſubſtantiæ, potuit tamen credere, juxta propria principia Filium inferiorem eſſe gradu altiſſimæ divinitatis, & ad illam ſpectare, ut individuum ad ſpeciem.

CAPUT VII.

De Dionyſio Alexandrino.

Arii dogmata eum præformaſſe ſcribit Ep. 41. Baſilius, & Gennadius *a*). Illum tamen defendunt Athanaſius (*b*), Facundus Herm. (*c*), aliique. Sit ergo

Propositio. Dionyſius Alexandrinus, ejuſque ad Pentapolitas epiſtola eſt orthodoxa.

Prob. ex hiſtorica narratione apud Athanaſium loco citato. Cum enim in Pentapoli Libyæ ſuperioris quidam Epiſcopi Sabellianos errores deglutiſſent,

(a) *De Eccl. dogm. c.* 4.
(b) *In pecul. lib. de Dionyſ. ſententia l.* 10.
(c) *L.* 10.

ſent, Dionyſius morbo occurrens, primo legatos, deinde epiſtolam ad eos miſit, qua ex evangelio humanitatem Chriſti comprobavit, docens, non Patrem, ſed Filium pro nobis hominem eſſe factum, ut, demonſtrata diſtinctione perſonarum, ad credendam Filii divinitatem illos perduceret, exemplo Apoſtolorum, qui antequam enuntiarent Chriſti divinitatem, eum hominem eſſe, & redemptorem Abrahæ promiſſum prophetarum oraculis prædicarunt. Accepta Dionyſii epiſtola Pentapolitani eum accuſarunt apud Pontificem, I. quod Chriſtum non ſemper fuiſſe ſcripſiſſet, & Patrem ſine Filio nominaſſet. R. Dionyſius, ſe de Chriſto ut homine locutum, ut contra Sabellianos perſonarum diſtinctionem oſtenderet ex incarnationis myſterio. Ceterum nomina Patris & Filii inſeparabilia, & Verbum Patri coævum profitetur.

II. Accuſarunt, eum non ſcripſiſſe, quod Filius ſit genitus e Patris ſubſtantia. R. Dionyſius, ſe hæc de ſola natura humana enunciaſſe, & firmiſſime credere Filium Patri conſubſtantialem. Hoc ſenſu exemplum vitis & agricolæ uſurpaſſe, quo etiam Chriſtus ſuam oſtendit humanitatem.

III. Accuſabant, quod Verbum dixiſſet a Patre conditum. R. Dionyſius, ſe hoc dixiſſe, ut oſtenderet, non Patrem, ſed Filium creatum corpus induiſſe, adeoque Filium, ut hominem, dici creatum, & factum. Conſtat ergo, Dionyſium perſonarum diſtinctionem propugnaſſe, ſed non impugnaſſe Verbi divinitatem.

Ex his infertur, I. Verbi divinitatem III. Eccleſiæ ſæculo ubique obtinuiſſe. Primo in Eccleſia Romana, ubi Dionyſius Papa Synodum ea de re coegit, juſſitque, ut Dionyſius objectis Pentapolitarum reſponderet, quod præſtitit citata apologia. Deinde in Libya, ubi audito dogmate de Verbi creatione, Dionyſius accuſatus fuit. Tandem in Ægypto, ubi iſte calumniam repulit. Infertur II., Dionyſii mentem, non ex epiſtola ad

Ammo-

Ammonium & Euphranorem, ſed ex ejus apologia eſſe penſandam, ibi enim Sabellianos, hic Arianos exagitat. III., Baſilium Dionyſium vellicare: quod ſolam citatam epiſtolam legerit, & ſparſos rumores audierit, ait enim Baſilius ep. 41., cauſſam hujus rei non improbitatem fuiſſe, ſed quod Sabellio obluctari cuperet: ergo Athanaſio potius credendum eſt, qui de ejus mente librum ſcripſit, quam Baſilio, & Gennadio.

Opp. Euſebius in Chron. ponit Dionyſii obitum ante electionem Dionyſii R. P.: ergo ſpuria eſt ejus apologia. R. Cum Euſebius meminerit hujus Apologiæ l. 7. H. E. c. 26., ejus Chronicon ita corrigendus eſt, ut Dionyſius creatus ſit Pontifex an. Chriſti 259., quo ſolus regnavit Gallienus: Dionyſius vero Alex. obiit an. 12. Gallieni, 266. Æræ V., ut probat Scheleſtratius diſſ. 2. Antiq. Eccl.

CAPUT VIII.

De Athanaſio, ac ſymbolo ejus nomine inſcripto.

ATHANASIUM Ariana dogmata propugnaſſe, & Patrem Filiumque unum eſſe docuiſſe ſola voluntatis concordia, contendit Wolzogenius in Dial. de Trin., quem ſymbolo Athanaſii opponit. Sit ergo

PROPOSITIO I. Athanaſius immerito de Arianiſmo inſimulatur.

Prob. ex Athanaſio Or. 1. contra Arium: *Nos ex ſcripturis dicimus, Filius verus natura, & genuinus eſt Patris, ejusque ſubſtantiæ; non res creata, ſed proprius ſubſtantiæ Patris fœtus. Quocirca verus eſt Deus, veroque Deo conſubſtantialis.* Fallitur ergo Wolzogenius, I. Quia ibi, præter identitatem concordiæ, habetur identitas etiam naturæ; nam quærenti Anomæo: *An ulla ſit differentia Patris, & Filii, & Spiritus ſancti?* Reſpondet orthodoxus: *nulla ſane, neque in natura, ne-*

que

que in voluntate. II. Quia dialogos iſtos Garnerius Theodoreto, Combefiſius, & Rivetus Maximo tribuunt. *Quidquid ſit, inter doctos convenit non eſſe Athanaſii*, ait Dupinius Tom. 2. Bibl. pag. 73. De ejus ſymbolo non una eſt criticorum opinio. Non eſſe Athanaſii, demonſtrat Voſtius (a), Heideggerus (b), Oudinus (c), Dupinius (d), Juenin (e): quæ ſententia magis placet, licet oppoſita probabilis videatur. Ut autem teneat quiſque, quod lubet, utriuſque ſententiæ momenta proferemus.

Propositio II. Plura ſunt momenta, quibus Athanaſio abjudicatur ſymbolum ejus nomine inſcriptum.

Prob. I. Nemo ante annos mille Athanaſii nomine hoc ſymbolum laudavit; primi enim ejus meminere Apocriſiarii Gregorii IX. CPolim miſſi an. 1233. ad Græcos cum Latinis conciliandos. Tribuit Athanaſio Abbo Floriacenſis in Apologetico, cui innititur Baronius ad an. 1001.: ſed hi ſunt teſtes parum idonei pro vetuſto ſcriptore: ergo &c. R. Adverſarii, nedum Abbonem, ſed etiam Hincmarum, Radulphum, Aymonem hoc ſymbolum Athanaſio tribuiſſe, ita ut Græci Schiſmatici auſi non ſint illud Athanaſio abjudicare, ſed tantum dixerint, eum ab aliis recedere, & cum ſymbolum edidit fuiſſe ebrium. Probabile eſt etiam ejus meminiſſe Nazianzenum, & ab eo depromptas ſententias extare in Conciliis Auguſtodunenſi & Toletano IV. Plura enim PP. opera, quæ latebant, poſtmodum recepta ſunt.

Prob. II. Non extat hoc ſymbolum in veter. codicibus ſub Athanaſii nomine, unde exploditur a Scul-

(a) *Diſſ. 2. de tribus ſymb.*
(b) *T. 2. ſelect. diſp. diſſ.* 18.
(c) *de Script. Eccl. T.* 1. *p.* 346.
(d) *In notis ad Ath. ſcript. T. 2. Bibl. pag.* 101.
(e) *Inſt. T. 6. diſſ.* 4. *c.* 2. *a.* 3.

Sculteto (a): ergo &c. R. Felcmannus, extare in Cod. Palatino, in Mss. Vaticano, & Sangermanensi.

Prob. III. Hæc opinio orta est ex fabula, quæ narrat, Athanasium in puteo Trevirensi, ubi latuit ob Arianorum insidias, hoc symbolum composuisse: sed ex Rufino (b) id, non Treviris, sed in Ægypto contigit: ergo hinc fabula illa orta est. R., plura opera haberi, ut germana, licet de loco, aut tempore non constet, quo scripta sunt. Verosimile est symbolum ab Athanasio scriptum esse, cum apud Julium Romanum Pontificem diris calumniis ab Eusebianis impeteretur an. 339.

Inst. Vossius. Athanasius, non de fide, sed de criminibus accusatus est; ad quid ergo novum symbolum, cum ipse in ep. ad Antioch. clamet, non aliud proferendum præter Nicænum?

R., Athanasium voluisse fidei suæ professione demonstrare, se in Synodo Tyria præter jus fasq. omne fuisse damnatum. In Epistola autem ad Antiochenos eos perstringit, qui Nicænum symbolum ut mancum respuebant. Fallitur ergo Juenin, dum ait, non aliud Joviano symbolum misisse Athanasium, præter Nicænum, quod sane ad hæresim Macedonii refellendam apud non fuisset, quam ab Athanasio jugulatam scribit Nazianzenus.

Prob. IV. Variantia græca exemplaria probant, hoc symbolum latine scriptum esse, eo quod latina exemplaria non varient: ergo &c. R., Athanasium latinam linguam Alexandriæ, aut alibi didicisse, cum esset profugus, vel forte latino interprete usus est, eo quod symbolum esset Papæ exhibendum.

Prob. V. Latini PP. eo usi non sunt adversus Græcos in controversia de processione Spiritus S.: ergo &c. R. I., non omnia veterum argumenta ad nos pervenisse. R. II., eo uti Calecam, Scholarium,

(a) *In Medull. PP.* (b) *L. 1. c. 18.*

larium, & Gregorii IX. Apocrisiarios adversus Græcos. R. III. ex argumento negativo nihil concludi, non secus ac ex PP. silentio contra auctoritatem v. 7. Joannis.

Prob. VI. Hoc symbolum fortasse ab Anastasio Synaita editum, Athanasio tribuitur ob nominis affinitatem: ergo &c. R. neg. ant. Hoc enim est divinare velle. Quidam enim Anastasio, alii Eusebio, alii Vigilio tribuunt.

Prob. VII. In eo symbolo hæresis Eutychiana Athanasio posterior confutatur his verbis: *Unus non confusione substantiæ, sed unitate personæ:* ergo &c. R. Macedo, Spiritum S. Ecclesiam contra futuras hæreses communisse. Eutychiana vero dogmata etiam in expositione Fidei (*a*) ab Athanasio profligari; nam & ante Eutychen illius erroris semina jecisse nonnullos, scribit Eutymius, quæ ab Athanasio sine Eutychetis nomine refelluntur.

PROPOSITIO III. Non desunt momenta, quibus laudatum symbolum Athanasio tribui potest.

Prob. I. ex consensu scriptorum X. Sæculi, Socinianorum etiam, qui illud *Symbolum* vocant *Satanasii*, Græcorum Schismaticorum (*b*), & Protestantium. R. Adversarii, hos omnes recentiores esse, & Ecclesiæ hostes; Græcos Schismaticos, ut plurimum illiteratos esse: aliqui tamen, ut Meletius Alex. (*c*) id aperte negant. Nunc autem conveniunt omnes falso Athanasio adscribi.

Prob. II. Ex codicibus vetustissimis sup. laudatis (*d*). R. Adversarii, illos aut Athanasii nomen non præseferre, nec videri antiqua manu conscriptos, aut non esse numero, & vetustate cum iis comparandos, in quibus non extat. Adde, Vigilium,

(a) *T.* 1. *op. Athan. p.* 240.
(b) *Vide Prob. I.*
(c) *Ap. Vossium diss.* 2. *de tribus symb. c.* 20.
(d) *In* ℞. *ad* 2. *Prob.*

lium Tapſenſem, cui ſymbolum adſcribit Queſnellus, plura ſub Athanaſii nomine ſuppoſuiſſe.

Prob. III. auctoritate Rom. Eccleſiæ, quæ illud legit in officio dominicæ ſub nomine Athanaſii. Conſentit Conſtantinopolitana, Serviana, Bulgarica, Ruſſica &c. R. Adverſarii, hoc ſymbolum Athanaſio tribui, quia ex ejus diſputationibus mutuatum eſt, collectis contra ſubortas hæreſes ſparſis hinc inde ſententiis, quippe nondum exortas hæreſes Athanaſius confutare non potuiſſet.

Prob. IV. S. P. A. ad illud Pſ. 120. *Per diem ſol &c.*, ait: *De hoc ſole Athanaſius locutus eſt: Filius a Patre ſolo eſt, non factus &c.* Porro Athanaſii nomen, quod cit. Auguſtini loco non extat, reperit Macedo in Comm. ep. 1. Jo. veteris editionis Auguſtini; recte ergo eo argumento Bellarminus (*a*), & Poſſevinus (*b*) uſi ſunt. R. Adverſarii, cum Athanaſii nomen nullibi legatur apud Auguſtinum, conſtat, verba illa vel a ſciolo amanuenſi eſſe adjecta, vel e margine in textum irrepſiſſe; ait enim Macedo, *videbatur additus vet. editioni.*

Prob. V. ex Nazianzeno Or. de laud. Athan., ubi loquens de ſymbolo, quod S. P. miſit Joviano una cum Epiſtola, ait: *Cum multi circa Filium, plures circa Spiritum S. ægram fidem haberent, unam trium perſonarum divinitatem ſcripto confeſſus eſt, & Imperatori donum vere regium, & magnificum offert:* ſed hæc verba de Nicæna fide accipi nequeunt, ubi Macedoniana hæreſis de Spiritus S. divinitate non perſtringitur, nec de brevi epiſtola, quæ donum vere regium dici non poteſt: ergo intelligi debent de Athanaſiano ſymbolo, ut probat Caleca, aliique. R. Adv., Nazianzenum ad utrumque reſpexiſſe; nam & Nicænam fidem Joviano miſit Athanaſius ex Theodoreto (*c*), & epiſtolam,

---

(a) *L. 2. de Chriſto c. 25.*
(b) *In Appar. v. Athanaſius.*
(c) *L. 4. H. E. c. 3., & Nicephorus l. 10. c. 42.*

Iam, ut illa Ariani, hac Macedoniani revinci possent.

CAPUT IX.

De Basilio Magno.

Basilium de Spiritu S. non recte sensisse aliquibus visum est, eo quod in Episcoporum conventu Cæsareæ an. 370. plura de Patre ac Filio, nihil de Spiritu S. locutus fuerit. Sit ergo

Propositio. Basilius de Spiritus S. divinitate catholice sensit.

Prob. I. ex ejus hom. 27. contra Sabell., ubi ait: *Neque Trinitas manet detracto Spiritu, & si unum ex creaturis adjungatur, universa creatura Patri, Filioque annumerabitur.* Et ep. 60. scribit, Nicænam Synodum hanc doctrinam non definisse, nondum exorto bello contra Spiritum S. Et in Tr. ad Amphil. totus in hoc argumento versatur, non secus ac l. 3. contra Eunomium. Librum de Spiritu S. rejiciunt Novatores ob traditionum doctrinam, quam statuit c. 27. Sed Erasmus rejicit tantum postremam partem ob styli varietatem: quod vitium in Athanasio etiam, Hieronymo, Chrisostomo, aliisque sibi visus est deprehendisse. Recipit etiam hunc librum Robertus Cocus, & ex PP. Nazianzenus, Hieronymus, Suidas, Theodoretus, & Damascenus. Ex Protestantibus etiam Casaubonus (a), & Caveus.

Prob. II. ex historia. Nam cum primum Eustathius Spiritus S. impugnavit divinitatem, Basilius se se ab antiqua ejus amicitia sejunxit, eumque confutavit. Prob. III. ex Nazianzeno, qui or. 20. scribit, *In suis sermonibus sibi fuisse imprecatum, ut a Spiritu S. excideret, nisi cum Patre, & Filio, ut consubstantialem, & honore parem, veneraretur:* ergo &c.

Opp. I. In binis ad Apollin. epistolis plures sunt erro-

(a) *Exerc. 6. in Baron.*

errores circa Trinitatem, quibus Athanasius Ancyr. eum de impietate postulavit: ergo &c. II. Eum damnarunt religiosi viri, quod in festo S. Eupsichii subdole divinitatem Spiritus S. reticuit, & fluvio comparavit. III. Non Deum, sed Dei Spiritum eum vocat hom. 17.: ergo &c. IV. Nec pari honore Patrem, & Filium, & Spiritum S. glorificat dicens, *Gloria Patri per Filium in Spiritu S.*: ergo &c.

R. ad I. epistolas illas spurias esse. Nam Basilius ep. 59. ait: *Nihil sibi cum illis esse commercii, qui ad eum modum loquuntur.* Ad II. dist. ant. Damnarunt injuria, conc.; merito, neg. Basilius enim in ea oratione prudentem servavit œconomiam, ut notat Nazianzenus ep. 26. *Cupientibus enim hæreticis apertam vocem ex Basilio arripere, ut ex Ecclesia expellatur, præstat œconomiam adhibitam fuisse, quam ut illa* (veritas) *opprimeretur.* Neque id ignaviæ tribuendum; aliud est enim non respondere quærentibus, aliud insidias vitare silentio. Certe Basilius ea audita calumnia, temporum injuriam caussatur in ep. 33. ad Naz. Ad III. dist. ant. Et ibi Dei nomen accipit *essentialiter*, neg.; *notionaliter* exemplo Pauli, qui sæpe Dei nomine Patrem intelligit, ut notat Chrysostomus (*a*), conc. Expresse enim fatetur Basilius hom. 141., *Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum S.* Ad IV. neg. ant. Demonstrat enim ib. c. 25., *in* & *cum* in laud. hymno idem valere, & c. 26. ex ea varietate exponit divinarum personarum originem, & c. 27. alteram etiam formam probat ex Apostolica traditione.

(a) *Hom.* 5. *de Incompr.*

CAPUT X.

De Tertulliano, Cypriano, Lactantio, aliisque Ante-Nicænis Patribus occidentalibus.

NOT. I. Præter orientales, occidentales etiam PP. nobis opponunt hæretici, Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Arnobium, quos nobiscum non sensisse opinantur. Nam Tertullianum contra Praxeam tres induxisse divinas substantias, scribit Clericus (a), & ambiguum esse ejus sensum, omnes affirmant. Licet autem hunc librum scripserit factus jam Montanista, potest tamen ex Bellarmino, Alexandro, aliisque, ab Ariana labe defendi; Praxeas enim Deum unum mundi opificem agnovit, & Patris, Filii, ac Spiritus S. distinctionem improbavit, ex qua tres Deos consequi putabat. Ut ergo Tertullianus hunc errorem revinceret, demonstrare debuit, in una divina natura tres esse personas, easque unitatem substantiæ non evertere.

Not. II., veteres PP. duplicem Filii generationem ante creaturas agnovisse: I. cum Pater Verbum genuit intelligendo seipsum, eaque est æterna, cum Deus semper fuerit Pater, & rationalis. II. fuit, quando verbo virtutis suæ mundum condidit. Sit ergo

Propositio. Tertullianum de Verbi divinitate recte sensisse prabab ile est.

Prob. I. Tertullianus enim Verbi æternitatem, generationem, & consubstantialitatem asseruit: ergo &c. Prob. I. pars ant. Nam c. 5. contra Prax. ait: *Ante omnia Deus erat solus, quia nihil aliud extrinsecum præter ipsum. Cæterum, ne tum quidem solus; habebat enim secum, in semetipso, rationem suam.* Et c. 8. *Sermo ergo & in Patre, & apud Deum semper, sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum. Et nunquam separatus a Patre, quia ego & Pater unum sumus.* Prob. II. pars

(a) *In Hist. Eccl. ad an.* 185.

pars ex Apologet. 21. *Hunc ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum; & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ*: ergo &c. Prob. III. pars ex c. 15. *Quomodo dictum eſt: Ego & Pater unum ſumus? Ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem.* Et c. 2. ait, *Eos eſſe unius ſubſtantiæ, ſtatus, & poteſtatis*: ergo &c.

Ob. I. Tertullianus c. 2. contra Prax. ait: *Tres non ſtatu, ſed gradu, nec ſubſtantia, ſed forma*: ſed hæc nil faciunt contra Praxeam, niſi plures ſubſtantias intelligat; admittebat enim Praxeas relationes, & modos in una eſſentia: ergo &c. II. c. 6. ait, Deum primum protuliſſe *ſermonem*, *& Sophiam, ut per ipſum fierent univerſa*: ergo &c. III. ait, ſermonem generatum ad effectum *habere ſubſtantiæ proprietatem, ut res & perſona quædam videri poſſet.* Cenſuit ergo Tertullianus, Verbum eſſe accidens, priuſquam Deus eum conderet initium viarum ſuarum, & faceret ſibi parem. IV. c. 8. ait, protuliſſe Deum ſermonem, ſicut radix fructum, fons fluvium, & ſol radium: *Nam & iſtæ ſpecies probolæ ſunt ſubſtantiarum, ex quibus prodeunt*: ergo Tertullianus agnoſcit unam ſubſtantiam divinam ſpecie, ſed numero non unam, quod totus liber oſtendit, ut ait Clericus (*a*), & Petavius (*b*).

R. Ad I. diſt. maj. Et gradus, quos in Deo adſtruit Tertullianus, ſunt relationum, & perſonarum; quibus exprimit unius ab alia originem, conc. ſunt diverſæ ſubſtantiæ, neg. Ait enim, *Tres non ſtatu, ſed gradu, nec ſubſtantia, ſed forma, unius autem ſubſtantiæ*: ſi ergo unius ſubſtantiæ, non aliud nomine gradus, formæ, aut ſpeciei intelligit, niſi ordinem perſonarum. Falſum eſt autem, Praxeam pluralitatem relationum in deitate agnoviſſe, ut in not. dictum eſt, alias catholicam te-

 nuiſſet,

(a) *H. E. ad ann.* 186. (b) *L.* 1. *c.* 5.

nuiſſet ſententiam: ſed ad ſummum relationem fictitiam, non perſonarum ſubſiſtentiam admiſit. Ad II. dico, prolationem Verbi in productione creaturarum, quam Tertullianus generationem vocat, non excludere æternam productionem ſermonis, quod ex loco ipſo infertur; ſi enim creaturæ factæ ſunt per Verbum, a quo erant ab æterno diſpoſitæ: ergo hoc Verbum extabat ab æterno. Ad III. neg. conſ. Deus enim non loquitur prolatitio ſermone, ſed cum ait: *Fiat lux*, idem verbum prolatum eſt, quod erat genitum e Patris ſubſtantia. Hæc autem locutio non connotat terminum intrinſecum, & æternum, ſed extrinſecum, & temporale, ideſt creaturam: in hac ſermo dicitur factus primogenitus, quia in creatione mundi ſermonis virtus innotuit. Cæterum Tertullianus hic etiam æternam generationem exprimit dicens: *Filius factus eſt primogenitus, & ante omnia genitus;* ac de Sophia dici notat: *Ante luciferum genui te*, ob originem a Patre, &, *Hodie genui te*, ob prolationem temporalem. Ad IV. neg. conſ. His enim exemplis oſtenditur, ſermonem non eſſe ex nihilo, ſed e Patris ſubſtantia. Inter eas autem & Verbum ſtatuit diſcrimen, illas ſubſtantiarum *probolas*, ſeu emiſſiones dicens, Filium vero alium a Patre, perſonæ, non ſubſtantiæ nomine.

Ob. II. Tertullianus l. 2. contra Marc. Deum inviſibilem facit, non Filium, quem ait cum Patriarchis converſatum: ergo &c. II. ait ibidem c. 3. non ideo Patrem, & Judicem ſemper fuiſſe, quia Deus ſemper: *Nam nec Pater potuit eſſe ante Filium, nec judex ante delictum.* III. Contra Prax. c. 9. Patri totam divinitatem tribuit, Filio vero portionem, qua eum minorem declarat: ergo &c.

R. ad I. diſt. ant. Non facit Filium inviſibilem ratione naturæ, neg.; ratione officii, conc. Ait Tertullianus, Filium apparuiſſe, *qui ad eum ſpectabat legis diſpenſatio*, quæ ſunt eadem ejus verba. Ad II. diſt. ant. Et ibi loquitur in propria ſenten-

tia

tia, neg.; in ſententia Hermogenis, qui æternitatem materiæ adſtruebat, ex quo Deus ab æterno fuerit Dominus, licet eam a Filio non æterno digeſtam aſſereret, conc. Ait ergo Tertullianus, quod, ſicut Deus ab æterno erat Pater per Filium gignendum in tempore, ſic ab æterno Deus erat per ea, quæ ſibi ſervitura feciſſet. Si velis, Tertullianum in propria ſententia locutum eſſe, dico, Patrem non ſemper habuiſſe Filium humana carne indutum; nam in l. contra Praxeam diſerte Filii coexiſtentiam æternam expreſſit. Ad III. diſt. ant. Tribuit portionem, hoc eſt derivationem, & originem, quo ſenſu Filium minorem Patre illi etiam dixere, qui Arium impugnarunt, conc., hoc eſt deciſionem propriæ ſubſtantiæ, neg.

Inſt. Tertullianus fuit Antropomorphita: ergo portionem ſine deciſione, vel defluxu non intelligit. R. neg. conſ. Tertullianus enim alterius generis corpus excogitavit, quod ſicuti per cum non repugnat naturæ Dei, ſic nec repugnat divinitati. Ceterum non ubique ſibi conſtat Tertullianus, ut obſervat Petavius, & ſæpe pugnantia loquitur.

De Cypriano, Lactantio, atque Arnobio non opus eſt peculiarem inſtituere diſputationem. Omnes enim aperte Chriſti divinitatem profitentur; Lactantius l. 2. Inſt. c. 8., Cyprianus l. 2. Teſtimoniorum, Arnobius contra Gentes; & ſi quid in iis durum eſt, poteſt ex dictis emolliri.

DISSERTATIO II.

De Poſt-Nicænis Patribus, qui Ario damnato faviſſe cenſentur.

TRES præcipue numerantur, qui Arianis faviſſe cenſentur, Euſebius Cæſarienſis, Liberius Romanus Pontifex, & Hoſius Cordubenſis, de quibus diſtinctis capitibus ſermo erit.

CAPUT I.

De Eusebio Cæsariensi.

NOT. I. Eusebium Cæsariensem, velut summæ eruditionis virum, admirantur omnes, sed anceps est de ejus orthodoxia judicium, relate ad Verbi divinitatem. Illum defendunt Molinæus, Zanchius, Caveus, Valesius, Petitdidierius; damnant Baronius, Petavius, Alexander, Clericus. Nos utriusque partis momenta, ac responsa proferemus.

Not. II. falli Protestantes, qui ajunt, Pontificios Arianis Eusebium accensere ad elevandam historiam de Constantini baptismo, quasi in gratiam Arianorum mentitus fuerit, eum non Romæ, sed Nicomediæ tinctum esse; nam historiam illam rejiciunt plures Pontificii, qui Eusebium damnant, ut Pagius, Alexander &c. & plures Protestantes, ut Clericus, aliique Eusebium accusant.

Not. III. Eusebium (a) fateri, Filium fuisse ante omnia, neque e nihilo eductum, aut creatum, sed e substantia Patris genitum ab æterno, ut ait Athanasius (b): unde non Arianus, sed Semiarianus dicendus est. Dicitur ergo a Hieronymo Arianorum signifer, & quia Ariani dicuntur, qui Filio denegant divinitatem, licet alius sit alio iniquior, ut notat Valesius, & Dupinius, & quia Ario favit, eique conjunctus fuit.

PROPOSITIO. Qui Eusebium accusant Arianismi, non levibus momentis innituntur.

Prob. I. ex Eusebii scriptis, unde sex Arianismi notæ eruuntur. Prima est divinitatis in plures gradus distinctio. Nam l. 7. Præp. 5. Filium appellat *secundum substantiam a primo principio conditam*. Secunda est, quod ait, Filium post Patrem existere. Nam L. 4. D. Ev. 3. Filium magis a Patre divellit, quam

(a) *L. 1. contra Marcellum Ancyr. & alibi.*
(b) *Epist. de decret. Nic. Syn.*

quam lucem a sole, cui hanc facit coexistentem. Tertia, quod Verbum vocat artificem Patris opificium, secundum donum, l. 4. Dem. Ev., & l. 1. Eccl. Th., & *genitum*, & *creatum* Arianorum more confundit. Quarta est, quod Dei unitatem l. 1. contra Marcell. in eo statuit, quod solus Pater sit caput, ac Principium, Filius autem non Deus, sed Dei unigenitus, itaut *duæ sint usiæ*, & *duæ potestates*. Quinto Filium declarat mediatorem angelorum, ratione naturæ divinæ ante incarnationem. Sexto Patrem, & Filium unum dicit *tropica voluntatum unitione* ibidem c. 9. Quæ licet in veteribus Patribus possint benigne exponi, impia sunt in ore Eusebii, qui Nicænæ Synodo interfuit, eique dolo subscripsit.

Prob. II. auctoritate VII. Synodi generalis, quæ Act. 5. Eusebium declarat *traditum in reprobum sensum*, & *ejusdem cum Ario opinionis*. Et Act. 5. *Labiis veritatem honoravit, animus vero longe ab ea aberat, ut ostendunt scripta ejus, & epistolæ omnes, & mansit ut Æthiops, minime mutata cute sua.* Nec dicas cum Valesio, in VII. Synodo de cultu imaginum, non de fide Eusebii actum esse, adeoque obiter tantum, non data opera, aut re cognita, Eusebium Arianum esse proclamatum ad ejus elevandam auctoritatem: nam PP. VII. Synodi Eusebii Arianismum satis exploratum habuere ex ep. ad Euphrationem, & Alexandrum, & ex omnium fidelium opinione.

Prob. III. Evincitur etiam ejus vafrities ex epistola Cæsarienses, ubi ait, se recepisse voces ex *substantia Patris*, & *consubstantialis Patri*, prout significant, Filium ex Patre quidem esse, sed non Patris portionem, quod nullus Arianorum negasset. Addit, se voces admisisse, *genitum, non factum*, quia *factum* adjectivum est creaturarum, quæ per Filium factæ sunt. Ait, se improbasse voces illas, *non erat antequam genitus esset*, quia omnes fatentur, Filium Dei fuisse, priusquam secundum carnem

gigneretur. Ait, fuisse in Patre potentia, priusquam actu genitus esset. Concludit, se credere, quod antea crediderat.

Prob. IV. ex Patribus. Athanasius l. de decr. Nic. ait, Eusebium temere erraſſe, & ut canis ad vomitum rediisse: Hieronymus (a) Arianæ impietatis signiferum, Epiphanius (b) illius fautorem appellat. Adde Theodoretum (c), Photium (d), aliosque (e). Prob. V. ex rebus gestis. I. enim Nicænæ fidei subscribere renuit, licet ex metu Imperatoris postea subscripserit, finita Synodo Arianorum partibus studuit, eorum conventiculis Antiocheno, & Tyrio præfuit, & Athanasium perpetuo vexavit. Episcopos Arianos impense laudat, Arium vero silentio præterit.

Propositio II. Non desunt conjecturæ, quibus Eusebius ab errore excusatur.

Prob. I. ex ejus scriptis, ubi sex pariter extant divinitatis Verbi characteres. I. De Filio ait l. 1. Eccl. Th. *Deus est ac Dominus similiter atque Pater*, eumque non θεῖον, *divinum*, vocari ait, sed θεὸν, *Deum, quia habet divinæ dignitatis naturam*. II. L. 1. & 2. contra Marcell. Filio tribuit omnipotentiam, infinitatem, aliaque Dei attributa. III. L. 7. D. E. Christo tribuit illud Michææ, *Et egressus ejus a diebus æternitatis*. IV. L. 2. Eccl. Theol. docet, Filium esse αὐτόθεον, ideſt Deum a se ipso, qua voce non significavit Eusebius, Filium non esse origine a Patre; non enim fuit Sabellianus, aut Filium a Patre genitum negavit: ergo αὐτόθεον dixit, ideſt Deum non participatione, sed substantia. V. L. 1. contra Marcell., & 5. D. E. 4. Filium Dei unigenitum vocat naturalem, non adoptivum, ex substantia, non ex Patris potentia genitum. VI. L. 1. Eccl.

(a) *L. 1. Apol. 2. & ep. ad Pamm. 65.*
(b) *Hær. 68.* (c) *L. 1. Hist.*
(d) *Cod. 19.* (e) *Apud Vales. in Præf.*

Eccl. Th. ait, Verbum a Patre recipere eandem deitatis naturam, dicens, *Quod natum eſt ex Deo, Deum eſſe intelligamus.*

Prob. II. ex auctoritate. Cum enim occidentales ferme omnes, excepto Hieronymo, honorifice de Euſebio locuti ſint, Romani Pontifices Euſebium orthodoxum agnovere, ut conſtat ex lib. Gelaſii de 2. naturis. Porro Gelaſii judicium Patribus Synodi VII. præferri debet, ſiquidem in epiſtolis in ea recitatis, ubi ait Patrem eſſe Filio priorem &c., de prioritate originis exponi debet, aut de relativo ordine perſonarum: ſed quia hæc dubia ſunt, cum Euſebius, ob ſuam cum Arianis conſuetudinem, ut Arianus audiret, recte Nicæni Patres ſcripta Euſebii improbarunt; nam Ariani, & Iconomachi ejus auctoritate freti, ſuum pertinacius fovebant errorem. Id enim contigit Patribus VII. Synodi, quod Patribus VI. contigerat. Hi enim falſo rumore decepti, ob Honorii cum Monothelitis conſuetudinem œconomiæ cauſſa, Romanum Pontificem innoxium damnarunt.

Prob. III. ex actis Nicænæ Synodi, cui ſubſcribere diu detrectavit, non ſecus ac alii Patres ſanctiſſimi, qui ὁμοούσιον reſpuebant, eo quod inde Sabelliani divinæ naturæ ſciſſionem inferrent. Hinc Euſebius ep. ad Cæſarienſes: *Non conceſſimus*, ait, *ſine inquiſitione, quod Filius ſit Patri conſubſtantialis*, quod ſe probaſſe ſcribit ſtatim ac Patres confeſſi ſunt, ita Filium eſſe *omouſion*, ut non ſit par eſſentiæ paternæ: ergo *omouſion* reſpuebat Euſebius in ſenſu Sabelliano, non in ſenſu catholico.

Inſt. Aſſeruit Euſebius, ſe probaſſe, Filium non eſſe *ex non extantibus*, quod præextiterit incarnationi, quod nullus ex Arianis negavit: ergo ſubdola eſt ejus ſides.

R. Euſebium æternam Filii exiſtentiam nuſquam negaſſe. Imo in confeſſione fidei ſuæ ep. cit. ait: *Et in unum Dominum J. C. Dei verbum, Deum de Deo &c. ante omnia ſæcula ex Deo Patre geni-*

tum. Dices: Scripsit Eusebius, Filium in Patris potentia fuisse, antequam gigneretur: ergo &c. R. Hæc verba, cum non extent ap. Socratem, videntur addita Arianorum malitia. Nam l. 2. Eccl. Th. docet, Filium, utpote genitum, e Patris substantia esse, non e potentia: quod ergo ait, se in priori stare sententia, respicit confessionem fidei suæ, in qua nihil deerat, præter vocem *omousion*, quam non malitia, sed zelo respuebat, ut dictum est.

Prob. IV. Veterum testimoniis. Socrates enim H. E. l. 1. c. 8. negat, Eusebium fuisse Arianum. Et l. 2. testatur, Eusebium redarguere furorem Arianorum. Theodoretus, & Gelasius Cizicenus l. 2. de Syn. Nycæn. I.: *Nemo existimet*, inquit, *virum hunc in Arii impietatem concessisse.* Longum esset singulos percensere. Ceterum Eusebium, ob Arianorum contubernium, & ab eo latam in Athanasium sententiam, in suspicionem erroris venisse (quod accidit Liberio eadem de caussa) non mirabitur, qui Arianorum noverit calliditatem, & quanta Athanasio facinora supposuerint.

Prob. V. ex ejus cultu. Nam inter SS. recensetur in Martyrol. Usuardi, & Adonis, in Brev. mss. Lemovicensi, in Passione S. Valeriani, in Canone Paschali, in antiquo mss. Hist. Ecclesiæ Paris. In vet. mss. Reginæ Sveciæ vocatur *beatus, doctor, & E. H. dictator illustris*, quæ nequeunt intelligi de Eusebio Samosateno cum Baronio, nec de Eusebio Basilii decessore cum Pagio; ille enim non erat Palæstinus & Cæsariensis, iste non erat E. H. dictator. Adde, Eusebium fuisse pacis amicum, nec constat Athanasii perniciem molitum; potuit ergo cum Arianis versari, ut Ecclesiæ schisma componeret. Præterea Basilius Filium *secundam caussam* dixit l. 1. contra Eunom., & l. de Spiritu S. c. 16., quod Græci PP. caussam, & principium promiscue usurpaverint. Irenæus item l. 5. c. 17. Filium ministrum Patris appellat: alii factum, & natum confundunt. Est ergo Eusebius, ut illi, ab

Aria-

Arianiſmi labe immunis. Hæc in gratiam Euſebii.

Qui vero illum damnant, notant, etiam Semiarianos rationem geniti, naturalem Patris imaginem, ſubſtantiam divinam Filio tribuiſſe, ſed non eandem numero cum Patris eſſentia. Callide Verbum αὐτόθεον dixiſſe, quia non eſt productum per aliud Verbum miniſtrum Patris, ut aliæ creaturæ, non quod ſit Deus ſua ſubſtantia. Quoad Euſebii cultum R., eum cultum ei non impendi ab Eccleſia univerſali; Adonem vero, & Uſuardum non attendiſſe, alios extare Euſebios ſanctitate claros, ſicque divo Euſebio nomen Cæſarienſis acceſſit, ut ex Fortunio evincit Pagius ad an. 340.

CAPUT II.

De Liberio Romano Pontifice.

NOT. I. Inter fidei formulas editas ab Arianis tres Sirmienſes occurrunt: I. contra Photinum edita an. 351., ubi Verbum dicitur *Deus de Deo*, & damnantur qui Filium Dei eſſe *ex non exſtantibus* ajebant, ſuppreſſa tamen voce *omouſion*, quæ erat fidei teſſera. Hæc formula Catholica habetur ab Hilario, ſed ob latentem hæreſim ab Athanaſio rejicitur. II. ab Hoſio, & Potamio ſcripta an. 357., quam Hilarius blaſphemiam appellat, nedum rejicit *uſiam* & *omouſion*, ſed etiam Filium Patre minorem declarat. III. an. 359. a Baſilio Ancyrano edita ſtatuit, Filium eſſe Patri ſimilem, ſed ſubſtantiæ nomen, quod in ſacris literis non extat, prorſus explodit. Cum ergo conſtet, Liberium tædio victum exilii uni ex dictis formulis ſubſcripſiſſe; quæritur, cuinam ſubſcripſerit?

Not. II. Triplex eſt ea de re ſententia. I. Valeſii, & Pagii, qui docent, Liberium probaſſe tertiam editam an. 358. in quo Liberius ſedi ſuæ reſtitutus eſt. Formula enim, quam Hilarius *perfidiam* vocat, *apud Sirmium deſcriptam*, & cui Narciſſus, Theodore-

doretus, & Liberius ſubſcripſit (*a*), non eſt prima Sirmienſis; hanc enim catholicam appellat Hilarius, nec ſecunda; hæc enim ab Hoſio, & Potamio ſcripta eſt: ergo tertia.

II. eſt Blondelli, cui ex parte Petavius accedit, eamque probabiliorem novatores exiſtimant, Liberium nempe ſecundæ formulæ ſubſcripſiſſe. Conſtat enim ex epiſtola, quam ſcripſit exul ad Orientales, rogans, ut *communi ſtudio ab exilio dimitteretur*, cum ſe jam omnibus iis conſentaneum viderent, Liberium ſubſcripſiſſe formulæ ab Orientalibus ipſi per Demophylum exhibitæ. Hanc vero eam eſſe, quam Hilarius blaſphemiam appellat, patet ex parentheſi, quæ eſt in Fragmento, ubi recitata Liberii epiſtola ait Hilarius (*hæc eſt perfidia Ariana: hoc ego notavi, non Apoſtata. Liberius ſequentia*. Petavius vero contendit a Demophylo non integram, ſed mutilatam formulam fuiſſe exhibitam Liberio, quam ipſe in ea tantum parte recepit, quæ *omouſion* ſupprimit, non in ea, quæ Filium Patri ſubjicit.

III. Eaque communior ſententia, pro qua pugnant Romanenſes, Galliq. Theologi, Alexander (*b*) Tournelius, Juenin, Benedictini PP. (*c*), aliique, docet, Liberium primæ formulæ ſubſcripſiſſe. Ubi nota, non hic agi de formula, quam probavit Liberius Sirmium reverſus; in hac enim ſupprimebatur *omouſion*, eo quod nonnulli hac voce Sabellianam hæreſim fovebant, ut narrat Sozomenus (*d*), qui, dum ait Imperatorem coegiſſe Liberium confiteri, Filium non eſſe Patri *omouſion*, intelligendus eſt de confeſſione, in qua *omouſion* ſuppreſſum erat, non in qua damnabatur: vel eo ſenſu *omouſion* pro-

(a) *Ex eodem Hilario l. 2. de Syn.*
(b) *Diſſ. 32. ſæc. 4.*
(c) *In notis ad Fragm. 6. Hil.*
(d) *Lib. 4. c. 15.*

proſcripſit, quo abutebantur Photiniani, a Synodo Antiochena damnati. His prænotatis ſit

Propositio I. Liberius ſubſcripſit uni ex tribus Sirmienſibus formulis, quæ ſaltem interpretative eſt hæretica.

Prob. I. ex Liberii ep. ad Orient., ubi fatetur, ſe fidem ſuſcepiſſe, quæ Sirmii tractata fuerat, quamve ipſe catholicam, Hilarius blaſphemiam appellat. Item ex epiſtola ad Urſacium, & Valentem, & ex altera ad Vincentium Epiſcopum. Prob. II. ex Hilario ſupra cit., & ex Hieronymo, qui l. de Viris ill. c. 97. de Fortunatiano ait: *Liberium ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit.* Eadem ſcribunt Athanaſius (*a*), Auxilius (*b*), Petrus Damianus (*c*), Platina (*d*) &c. Imo Marcellinus ex albo Rom. Pontificum Liberium expungit: ergo Liberius, ſaltem *interpretative*, ut hæreticus audiit, probando formulam, quæ ſupprimit, non quæ reprobat, *omouſion*.

Propositio II. Liberius non ſubſcripſit tertiæ formulæ Sirmienſi.

Prob. Ex epiſtola Liberii ad Orient., & ex Hilarii Fragm. conſtat, Liberium fidem probaſſe, quæ *Sirmii tractata, & ſuſcepta eſt;* idque Berœæ, priuſquam ab exilio revocaretur, nempe ante exactum an. 358. Atqui tertia Sirmienſis Synodus an. 359. coacta eſt; quæ enim celebrata eſt an. 358., non Sirmienſis fuit, ſed Ancyrana, ut conſtat ex epiſtola Synodica apud Epiphanium: ergo &c. Prob. min. Ex epigraphe tertiæ Sirmienſi formulæ inſerta conſtat, eam ſub conſulatu Flavii Euſebii, & Hypatii apud Sirmium expoſitam eſſe: ſed horum conſulatus incidit in ann. 359. Ær. V.; ergo &c.

Propositio III. Liberius non probavit ſecundam

(a) *Ep. ad Solitarios.* (b) *L. 1. de Ord.*
(c) *Ep. 15. c. 16.* (d) *In ejus vita.*

dam Sirmiensem formulam, neque absolute, neque ex parte.

Prob I. Hæc secunda formula, cum damnaret etiam Filii cum Patre similitudinem, statim ab Omeusianis explosa est, & Imperator supplicium minatus est ei, qui eam occultasse deprehenderetur: atqui incredibile est Imperatorem, & Omeusianos Liberium coegisse, ut formulæ ab ipsis quoque reprobatæ subscriberet: ergo &c.

Prob. II. A solis Occidentalibus Ursacio ac Valente secunda formula conscripta est, eaque nec re, nec verbis cum prima concordat; hæc enim tradit, illa reprobat Filii cum Patre similitudinem: atqui Liberius in ep. ad Orient. ait, non Romanam Ecthesim recepisse, sed eam, quam Orientales in Synodo Sirmiensi susceperant, quamve Liberius ibi vocat *fidem vestram catholicam:* ergo non secundæ, sed primæ subscripsit.

Prob. III. ex Hilarii fragmento, ubi narrat, *Perfidiam apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi expositam*, conscripsisse Narcissum Theodorum &c. aliosque Orientales: atqui secundam Sirmiensem Occidentales edidere, ex Socrate (a) & Soz. b), qui addit, Antiochenam Synodum Arianam ea de re Ursacio, & Valenti gratias egisse, quod Occidentales recte sentirent: ergo &c. II. In eo Episcoporum catalogo non extat Hosius, Potamius, nec Herminius, qui secundæ Sirmiensis formulæ ex Hilario & Sozom. fuerunt auctores præcipui. III. Sirmiensi secundæ subscribere non poterant, nec Theodorus, qui decesserat biennio ante, nec Eudoxius, & Cecrops, qui ab an. 557. Sirmio aberant: ergo &c. Huic argumento non aliter responderi posse fatentur Petavius, & Dupinius, nisi horum Episcoporum nomina ab eo fuisse adjecta, qui Hilarii excerpta confecit. Atqui hujus additionis nec caus-

(a) *Loc. cit.* (b) *L. 4. c. 12.*

caussam nec auctorem proferunt, neque ea de re vel unum laudant vetustum codicem: ergo *perfidia* a Liberio subscripta non est secunda, sed prima Sirmiensis, & fallitur Blondellus, & Petavius. Fides enim tot Episcoporum suffragio signata non ea est, quam exhibuit Demophilus Arianorum princeps, qui sane blasphemiam Hosii in praejudicium Ariani dogmatis non mutilasset. Deinde Liberius ipse testatur, integram Ecthesim se suscepisse in nullo contradicens. Liberius ergo alicui Sirmiensi fidei subscripsit: atqui non secundae: ergo primae.

Dices: Cur ergo Demophilus aliique Ariani omeusianae formulae sibi contrariae subscripsere? R. Id Omeusianorum praepotentia factum esse, qui summa gratia pollebant apud Imperatorem.

Prob. IV. Narrat Sozomenus, Anomaeos falso sparsisse, Liberium reprobasse *omouſion*, & Filium Patri affirmasse dissimilem. Sed Anomaei hoc falso non sparsissent, nec Liberius iis dixisset anathema, si secundae formulae subscripsisset: ergo &c.

Prob. V. Subscriptio secundae formulae Liberium ab exilio non revocasset, imo Imperatoris & Omeusianorum odium in eum concitasset, eam quippe execrabantur ut continentem Arianam perfidiam (*a*): ergo &c.

Ob. I. Hilarius in Fragm. ait, Liberium obsignasse *Sirmiensem perfidiam*: ergo secundae formulae subscripsit. R. neg. cons. Constat enim ex prob. III., haec verba accipienda non esse de *blasphemia per Osium*, & *Potamium* scripta (*b*).

Ob. II. Sozomenus l. 4. c. 15. narrat, Liberium coactum ad confitendum, Filium non esse Patri *omouſion*: ergo &c. R. dist. ant. Subscribendo vel primae formulae, quae reticet *omouſion*, vel Antiochenae, quae illud reprobat in sensu Sabelliano, conc.; subscribendo secundae Sirmiensi, nego.

Ob.

(a) *Ex Prop. I.* (b) *Vide Prob. 3.*

Ob. III. Liberius probavit Ecthesim, qua sperabat suæ sedi restitui: sed hæc est secunda Sirmiensis: ergo &c. R. neg. min. Si enim secundæ subscripsisset, non gratiam, sed odium Imperatoris, & Omeusianorum sibi conciliasset (*a*).

Ob. IV. Liberius suppressit *omousion:* ergo &c. R. dist. ant. Suppressit ex zelo & œconomiæ causa, conc.; pravo animo, nego (*b*).

Ob. V. Liberius Athanasium damnavit: ergo Arianis adhæsit. R. dist. ant. Damnavit ob fidei professionem, neg.; ob crimina ab Arianis conficta, nimis credulum se præbendo, conc.

Ob. VI. Hieronymus, & Hilarius ut hæreticum damnant Liberium: ergo &c. R. neg. conf. Cum enim Liberius primæ formulæ subscripsisset, in qua Semiarianorum fraus latebat, & Athanasium damnasset, visus est Arianis favere, licet veram fidem profiteretur. Deinde cum Photini hæresim improbasset, adeoque falso ab Anomæis spargeretur, a Liberio proscriptum esse *omousion*, nil mirum quod Hilarius hoc rumore deceptus, ter in eum dixit anathema.

CAPUT III.

De Hosio Cordubensi Episcopo, ac de ejus lapsu, & pœnitentia.

Hosius ætate, ac fidei confessione clarissimus Nicænæ Synodo adfuit, atque Arianorum insidiis in exilium pulsus, ab Imperatore Constantio revocatus est, ut vel vi, vel sponte hæresi consentiret, quippe magnum inde fidei suæ putabat præsidium esse accessurum. Sirmium ergo venit invitus centenarius ætate, 700. leucarum itinere fessus, eorum fraude, qui tanti Antistitis senectam male exercitam habuere, ut narrat Socrates l. 2. c. 31., & Theodoretus l. 4. c. 6. Quæritur ergo, an

(a) *Ex Prob. 5. Propos.*

(b) *Vide in nota 2. expositionem 3. sent.*

an Arianæ blasphemiæ subscripserit, an resipuerit post lapsum, vel in impietate decesserit? Sit ergo

Propositio I. Hosius tormentorum vi Arianæ impietati subscripsit.

Prob. I. ex Hilario l. de Syn., ubi memorat blasphemiam per Hosium, & Potamium conscriptam: ergo &c. II. Socrates l. 2. c. 31. ait: *Plagas, & tormenta seni inferebant, unde & necessitate coactus consensit, & subscripsit.* Eadem habet Theodoretus l. 4. c. 6. Athanasius in sua Apol. ait, quod Hosius *ob illatas ipsi multas plagas cesserit ipsis* (Arianis) *ad horam.* Vide alios plures apud Baronium, qui ad an. Christi 357. ait, Hosii lapsum alios omnes superasse casus.

Opp. Aguirræus (*a*). Hosii casum dubium esse constat, I. quia senis oculi caligaverant, & mentis deliquium passus fuerat: ergo &c. II. Athanasius (*b*) meminit tantum Hosii communionis cum Ursacio ac Valente: ergo &c. III. Hilarius procul a Sirmio aberat: ergo falso rumore deceptus est. Nam *blasphemiam* ab Hosio conscriptam esse scribit Sirmii: atqui Hosius Ursacio ac Valenti diu restitit: ergo Ariani impiam confessionem jam paraverant, quam Hosii nomine circumferrent. IV. Hosius levius peccavit Liberio; non enim damnationi Athanasii consensit, ut fecit Liberius: sed is ab errore excusatur: ergo & Hosius.

R. ad I. neg. ant. Nam Hosii ad tempus invicta constantia ostendit eum non mente, sed corpore laborasse. Ad II. neg. cons. Fatetur enim Athanasius in sua Apologia, ad *horam* Arianis illum *cessisse.* Ad III. neg. cons. Cum enim constet auctoritate scriptorum, Hosium revera Sirmiensi blasphemiæ subscripsisse, nec Hilarius deceptus est, nec Hosii innocentia defendi potest. Ad IV. dist. min. Liberius excusatur, quia dolo malo Arianorum Athanasium reum putavit, & formulæ subscripsit

(a) *T. 2. Concil. Hisp. diss. 2.* (b) *In ep. ad Solit.*

formaliter non hæreticæ, conc.; ſecus, neg. R. patet ex ſupradictis.

PROPOSITIO II. Non obiit Hoſius in Ariana impietate.

Prob. I. ex Athanaſio in ep. ad Solit., ubi ait: *Moriturus* (Hoſius) *Arianam hæreſim condemnavit, vetuitque a quopiam recipi*: & in Apol. ait, eum Arianis ceſſiſſe *ad horam*. Prob. II. ratione. Licet enim poſſit juſtus Dominus ſemel peccantem deſerere, cum tamen ſuperexaltet miſericordia judicium, credibile eſt pœnitentiæ locum dediſſe Athletæ veritatis, qui non malitia, ſed infirmitate, non corde, ſed ore peccaverat. Sed hæc inſcrutabili Dei judicio ſubjicimus.

Opp. Iſidorus c. 14. de Viris illuſtr., Vaſeus, Mariana, aliique narrant, Hoſium digno Apoſtatæ exitu eliſum, & e ſede dejectum eſſe, cum vellet Gregorium Illiberitanum deponere, qui cum eo communicare renuit: ergo &c.

R. I. Alex., librum de Viris ill. eſſe ſuppoſititium; ſed cum Iſidoro jure tribuatur a Voſſio, aliiſque, R. II., Iſidorum hanc fabulam a Luciferianis accepiſſe, quorum duo Fauſtinus, & Marcellinus, ne lapſos in perſecutione Conſtantii reciperent, in libello ad Imp. Valentinianum fabulas tragicas excogitarunt. Ibi primum Hoſii cum Gregorio diſſidium, & mors atrox conficta eſt: indeque hiſtoriæ ſuæ aſſuit Iſidorus; magis ergo Athanaſio ſynchrono ſcriptori, quam Iſidoro credendum eſt ab eo longe diſſito. Idem de aliis ſupra citatis dicendum eſt.

CAPUT IV.

De hymno Te Deum laudamus, *atque ejus Auctore.*

ECCLESIA a pluribus ſæculis hunc hymnum recepit, in quo unum cum Patre, & Filio, & Spiritu S. Deum confitemur: de ejus tamen auctore non conveniunt eruditi. Qua de re ſit

PRO-

PROPOSITIO. Hymnus Euchariſticus *Te Deum laudamus* Ambroſio, & Auguſtino jure tribuitur.

Ita Bartholomæus Urbinas (*a*), Jacobus de Valentia (*b*), Lancillottus, aliique noſtrates, queis accedunt Lorinus (*c*), Radulphus Tungrenſis (*d*), & cujuſvis ordinis ſcriptores clariſſimi.

Prob. I. ex vetuſtiſſima traditione petita ex Breviario Ambroſiano, & Monaſtico, ubi hic hymnus tribuitur Ambroſio, & Auguſtino; quam traditionem non diffitentur Pagius (*e*), & Mabillonius (*f*). Prob. II. ex lib. pſalm. mſſ., quem Carolus Magnus miſit ad Adrianum Papam, pretio vetuſtatis magno æſtimando, cujus autographum ſervatur in Bibliotheca Cæſarea, ibique legitur cum hac epigraphe: *Hymnus, quem S. Ambroſius, & Auguſtinus invicem condiderunt.* Hunc etiam titulum præfert in libris Alcuini, Bedæ, & Egberti: ergo &c. (1).

Ob. I. In vetuſtiſſ. mſſ. hymnus iſte nec Ambroſio, nec Auguſtino tribuitur. In Vaticano Pſalterio inſcribitur: *Hymnus S. Siſebuti*; in Breviario Aniciano: *Hymnus S. Abundii.* In Pſalterio Gallico

(1) Affert etiam hoc loco cl. Auctor traditionem Mediolanenſium, qui viam, quæ a laterali janua Eccleſiæ S. Ambroſii ad aliam ducit, in qua fertur, Auguſtinum fuiſſe baptizatum, vulgo appellant, *la via del Tedèon*, cujus nomenclaturæ, cum nulla afferri poſſit origo recentior, non incongrue conjicit laud. Auctor, tempus, quo id primum invaluit, eſſe prorſus immemorabile. Verum hoc momentum, utpote populari traditioni ſubnixum, nec ſatis firmum, nec criticæ gravitati conſonum aliquibus viſum eſt, adeoque conſulto illud omiſimus.

(a) *Præf. ad Milleloq.* (b) *De hoc Cant.*
(c) *In Pſ.* 27. (d) *Prop.* 13. *de Can. obſ.*
(e) *Ad ann.* 38. *n.* 11.
(f) *Diſſert. de Az. & ſerm.* 6.

lico tribuitur Nicetio, & apud Martene Hilario Pi-ctavienſi: ergo incertus eſt auctor hujus hymni. Addunt Maurini: nemo eſt, qui neſciat fabulam eſſe, hunc hymnum alternis vicibus ab Ambroſio, & Auguſtino cantatum.

R. ad I. neg. conſ. Cum enim Siſebutus fuerit Monachus Caſſinenſis, & floruerit ann. 1082., nequit ei tribui hymnus, qui ann. 506. jam extabat c. 12. Regulæ S. Benedicti his verbis: *Poſt 4. Reſponſorium incipiat Abbas hymnum Te Deum &c.* Nec putes, D. Benedictum hymnum inuſitatum officio addidiſſe; nam multo ante in natalitiis Pontificum cantatum fuiſſe ſcribunt viri doctiſſimi: ergo nullus Benedictinus, fatentibus Maurinis, illius hymni auctor eſt. Sed neque Abundius aut Nicetius, pro quibus vix ſtat unius mſſ., nec veteris, teſtimonium. Cum enim Amanuenſes plurium auctorum ſcripta ſæpe confuderint, fieri potuit, ut inter aliorum opera hymnus iſte locum habuerit, vel in fine additus ſit ad gratiarum actionem. Ad II. neg. conſ. Nam variatis circumſtantiis, non continuo tollitur veritas: nec refert, an hunc hymnum S. P. A. & Ambroſius alternatim cecinerint, an ab utroque editum Clerici Mediolanenſes; utrumque enim nobis favet.

Ob. II. Hæc noſtra opinio ex Chronico S. Datii Mediolanenſis invaluit, quod Menardus (*a*), Gavantus (*b*), Mabillonius (*c*), & Muratorius, qui Ambroſianos codices accurate luſtravit, cenſent opus eſſe ſuppoſititium. R. neg. ant. Docet enim Mabillonius (*d*), I. nedum in Chronico Datii, ſed etiam in vetuſtiſſ. Pſalterio Caroli M., de quo ſupra, Canticum iſtud nomen præſeferre Ss. Ambroſii & Auguſtini; unde infertur, noſtram perſuaſionem novam non eſſe, ſed aut Datii tempore, aut paulo poſt eſſe receptam. II. Obſervat, idem Chronicon

(a) *In notis ad Sacram. Greg.* (b) *In Rubr.*
(c) *T. 1. Analect.* (d) *Diſſ. de Azymo.*

nicon sub Datii nomine citari cum apud Paulum Diaconum, (a) tum apud Anastasium (b), unde infert, aut Datium ejus auctorem esse, aut alium Paulo Diacono, hoc est 8. sæculo, superiorem. III. Ait, hoc Chronicon non esse rejiciendum, licet recens sit; potuit enim quæ narrat, ex vet. monumentis accipere. Hæc Mabillonius.

Dices. Datii Chronicon perducitur usque ad an. 1067., & apud Ladulphum eadem, iisdemque verbis narrantur: ergo &c. R. neg. conf. Nam Datiano Chronico aliqua additamenta ut Eusebiano accessere, quod ab Eusebio ad an. 326. perductum est; a Hieronymo autem ad 389. Cum enim juniores Chronologi exscribant antiquorum historias, mirum non est, si plura in Ladulpho occurrant, quæ Datii nomine alibi reperiuntur.

Ob. III. Laudatus hymnus non est editus in forma dialogi: ergo a solo Ambrosio conditus est. II. Versus Psalm. 27. *Salvum fac &c.* aliter legitur tam in Psalt. Ambrosii, quam apud August: ergo suspicari jure possumus a neutro conditum esse.

R. ad I. neg. conf. Non enim more dialogi hic hymnus fuit contextus, quia non est mutuum Augustini cum Ambrosio colloquium, sed utriusque oratio Eucharistica. Ad II. neg. conf. Quod enim in Cantico illo legatur, *hæreditati tuæ*, & in Ps. *hæreditatem tuam*, accidentalis est, & minima discrepantia, quæ non obstat germanitati hujus hymni. Sæpe enim deprehendimus, longe aliter Ambrosium & Augustinum textum Psalmorum legere, quam fit in ecclesiastico Psalterio. Atque his VIII. lib. finem facimus hymno de *fide Christi, & pro gratiarum actione.*

(a) *L. 16. H. Miscell.*

(b) *In Vita Silverii.*

LIBER IX.

In quo Scholarum placita, & præſcriptiones traduntur ad ſcite diſſerendum de Trinitate.

VETERUM Scholaſticorum prolixas æque ac ſalebroſas diſputationes extremis, ut ajunt, labiis hoc loco deguſtabimus, ut impiis hæreticis, ac moroſis criticis graviori ſtylo dejectis, eos etiam, qui aut domeſtica, aut ludicra bella inferunt, exerceamus. Erit itaque IX. hic liber totus Scholaſticus, & unica diſſertatione ſeptem capitibus comprehendi poterit, quorum hic futurus eſt ordo.

CAPUT I.

An intellectus creatus ſolis naturæ viribus certam Trinitatis notitiam aſſequi valeat?

NOT. I. Trinitatis myſterium Platonem inveniſſe ſcribit Claudianus. Plura etiam extant ejus veſtigia in libris Triſmegiſti, & in Oraculis Sybillarum. Altiſſima quæque myſteria ingenii vi attingi poſſe, docuit etiam Abaelardus, & Raymundus Lullus.

Not. II., demonſtrationem aliam eſſe per cauſſam, aliam per effectus, aliam a ſimili &c. Duo itaque inquiremus hoc loco, I. An ratio naturalis valeat per ſe in hujus myſterii cognitionem aſſurgere? II. An revelatione ſuppoſita, poſſit argumentis eam demonſtrare? Sit ergo

PROPOSITIO. Nequit naturæ vi Trinitatis myſterium attingi, nec fide ſuppoſita demonſtrari.

Prob. I. Scripturis in quibus Trinitatis notitia ſoli gratia dono tribuitur, ut Matth. 11. *Nemo novit Filium, niſi Pater; neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et c. 16. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus:* ergo &c.

Prob. II. ex PP. Hormiſdas epiſtola ad Juſt. *Secretum Trinitatis*, ait, *nec ulla viſibilium, nec inviſibi-*

visibilium creaturarum potuit investigare natura. Ambrosius de Fide: *Impossibile est Verbi divini scire secretum.* S. P. A. 15. de Trin. 16. *Quænam vis intelligendi, quæ acies cogitationis ostendent, quomodo sit Trinitas?* ergo &c.

Prob. III. ratione. Cognitio enim Trinitatis aut a creaturis haberi posset, aut ex idea ingenita: non a creaturis; nam harum productio non est ex proprietate personæ, sed ex unitate naturæ, itaut, si in una tantum hypostasi Dei natura subsisteret, adhuc ratio haberetur creatoris, & creaturæ. Neque ex idea Dei; hæc enim infert naturæ unitatem, non distinctionem personarum. Quæ quidem valent etiam supposita revelatione; hæc enim naturæ vim, aut mentis aciem non immutat, sed efficit tantum, ut assentiamur veritati non apparenti ob revelantis auctoritatem: ergo &c.

Ob. I. S. P. A. l. 15. de Trin. 2., *Ne quis frustra existimet, se quæsisse in creatura indicia summæ Trinitatis*, affert locum Rom. 1.: *Invisibilia Dei*, & Sap. 8.: *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterat horum creator videri*: ergo per Augustinum, ut Dei existentia, ita Trinitas ex creaturis dignoscitur. Reapse S. D. eam pluribus exemplis creaturarum demonstrat: ergo &c.

R. dist. cons. Dignoscitur ex creaturis tamquam Trinitatis vestigiis, conc.; tamquam invictis argumentis, neg. Quidquid enim creatum est, Deum omnipotentem demonstrat, non Deum trinum: quæ ergo ex Augustino, & ex cit. Scripturæ locis videntur Trinitatem referre, non eam exhibent æquiparantia naturalis similitudinis, sed cogitatu mentis divinitus illustratæ. Quod S. P. probat ibidem ex imagine sita in hominis mente cogitante, & volente, ubi ait: *Caveat, ne hanc imaginem ita ei comparet, ut omnino existimet similem, sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat.* Mens enim, notitia, & amor, ait c. 8., *ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo:*

aſt divinitas iſta eſt in perſonis, ut unaquæque ſit Deus. Et c. 23. aliud diſcrimen addit: *Iſta imago, quod eſt homo, habens illa tria, una perſona eſt: & in Deo tres perſonæ ſunt unus Deus.*

Ob. II. Veteres Philoſophi Trinitatem agnovere: ergo &c. Prob. ant. De Triſmegiſto fertur dixiſſe: *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem.* II. Ariſtoteles, & Pythagoras ternarium numerum ut ſymbolum Trinitatis agnoſcunt. III. Hoc myſterium in Timæo Platonis obſervavit Euſebius, & æternitatem Verbi in libris Platonicorum vidit Auguſt. IV. Patris & Filii meminit Zoroaſter, & plura de Chriſti divinitate occurrunt in libris Sybillarum: ergo &c.

R. neg. ant. Ad I. prob. neg. conſ. Libri enim Triſmegiſti ſpurii ſunt, neque excedunt Apoſtolorum ætatem, ut obſervat Petavius (*a*), Dupinius (*b*), aliique. In eo enim paſſim occurrunt verba ex Evang. Joannis, & græca vocabula, cum Mercurius longe ante floruerit, quam Græcorum nomen audiretur: ſed, etſi daremus, opera Triſmegiſti germana eſſe, in iis *monas monadem genuit*, ideſt unus Deus unum mundum; *genuit* enim pro *creavit* ibi ponitur more Græcorum. Ad II. neg. ant. Nam ternarium laudant Ariſtoteles, & Pythagoras ob triplicem unitatem, quæ rationem habet principii, medii, & finis: ſed Pythagoras quaternarium præferebat. Et in num. octavo ſummam eſſe perfectionem ſymbola ſcripturarum oſtendunt. Ad III. diſt. ant. Et hæc myſteria ex Hebræis, eorumque libris noverunt Platonici, conc.; & habuere natura duce, neg. Cum enim plures libri ſancti ante expeditionem Alexandri in græcum translati eſſent, poterant Platonici, vel ex iis, ut cenſet Huetius, vel ex Judæorum conſuetudine, ut de Ariſtotele affirmat Clearcus (*c*), plura audire myſte-

(a) *L.* 1. *de Trin. c.* 2. (b) *In Bibl. T.* 1. *p.* 35.
(c) *Apud Joſeph. l.* 1. *contra Appion.*

mysteria. Plato enim magnam orbis partem discendi cupiditate peragravit. Unde Verbum Dei cognovit Plato, teste Augustino (*a*), sed cum plures in Deo gradus agnosceret, inferiorem credidit *Tagato*, idest caussa, & semina jecit Arianismi. Ad IV. neg. conf. Quæ enim ex Zoroastre proferuntur, aut spuria sunt, aut Arianismo infecta.

Idem dicendum de *Sybillinis oraculis*, quæ spuria censentur, nedum a Blondello, Oudino, Vossio, & Clerico, sed etiam a Possevino, aliisque. Et licet Sybillina carmina a XV. Viris Romæ asservata esse omnes fateantur; quæ tamen nunc extant, liquet, post Apostolorum ætatem fuisse consarcinata: nil mirum ergo si Filium Dei Christum prædicant. Si dicas cum Grotio, Sybillina carmina a Judæis edita græco idiomate, etsi hoc falsum est, inde tamen sequitur, fidei arcana solos fideles in vulgus prodidisse.

Ob. III. Quod non demonstratur impossibile, demonstratur possibile: sed mysterium Trinitatis non demonstratur impossibile: ergo monstratur possibile. R. dist. maj. Si habeat in humana mente rationem, aut ideam aliquam, conc.; secus, neg. Porro revelatione seclusa, nulla est idea Trinitatis.

CAPUT II.

De numero, ac principio divinarum processionum.

NOT. I. Processio est origo unius personæ divinæ ab alia, eaque est immanens, & substantialis, ut a creaturarum productione secerni possit. Nam processiones esse in Deo admittendas; easque duas tantum esse, nempe generationem Filii a Patre, & Spiritus S. originem ab utroque, nec illum gignere, neque hunc spirare, lib. 7. demonstravimus.

Not. II. Quæri solet in Scholis, an divinarum pro-

(a) *L.* 7. *Confess.*

processionum principium sit natura, an hypostasis, an utrumque? Principium dicimus id, in quo sita est ratio potentiæ generandi, aut spirandi. Aureolus nullam activam potentiam agnoscit, præter connexionem, & repugnantiam terminorum, qualis est potentia, qua Deus potest esse Deus, homo homo &c. Alii distinguunt principium *quod*, idest personam, & principium *quo*. Hoc autem statuit Durandus in sola natura, prout est fœcunda, & præconcepta ad intellectionem, ac volitionem. Quidam cum Bonaventura statuunt in sola relatione, seu personali proprietate. Thomistæ in intellectu, & voluntate, prout connotat *relativum*, nempe rationem constitutivam personæ. Scotistæ, præter communes intelligendi, ac volendi actus, alios formaliter diversos invenere, in quibus Verbi generatio consistit, & spiratio: illa *dictio* dicitur, hæc *spiratio*.

Nos vero, qui omnem intrinsecam distinctionem a Deo removemus, hæc prænotamus: recte dici cum Cyrillo l. 1. Thes. c. 7. *Essentia est virtus generativa Dei*; item: *Divina natura est generativum principium, quo Pater Filium generat*, ut ait Sess. 18. Conc. Florentini Joannes Theologus; nec non: *Verbum gignitur intellectu, vel dictione Patris*: quæ sunt enunciationes a Patribus usitatæ: sed cum illæ sensum admittant *complexum*, & *incomplexum*, uterque exponi debet. Ut si dicam, *Filius genitus est e Patris substantia*, sensus est, Filium esse genitum a Patre, qui est sua substantia, & *complexum* hunc sensum, ut vocat Ariminensis, admittit Augustinus docens, Patrem esse quidquid est, substantiam, vitam &c. At si dicas: *Filius gignitur a substantia, quæ est aliquid a Patris persona distinctum*, sive procedit per intellectum, qui est potentia hypostasi superaddita, hunc sensum *complexum* rejicimus.

Propositio I. Datur in Deo verum, ac proprium generationis, ac spirationis principium.

Prob.

Prob. contra Aureolum. I. Pater non conſtituitur ex eo, quod Filius non repugnet, ſed quod illum vere gignit: ergo, præter non repugnantiam terminorum, aliud eſt generationis principium. Prob. ant. ex Auguſtino 5. de Trin. 14. *Pater ad Filium principium eſt, quia genuit eum*: ergo, ſicut vera generatio in Deo negari non poteſt, ita nec proprium generationis principium. II. Filius a Patre eſt, nedum illative, ſed etiam ſubſtantiali generatione: ergo non eſt principium Filii ſola non repugnantia. III. Principium generationis Verbi refertur ad terminum productum: ergo eſt vera potentia.

Ob. I. In Patre non eſt potentia, ut ſe faciat Patrem: ergo in eo non eſt vera potentia gignendi Filium. R. diſt. ant. Non eſt potentia, quæ eſt ad actum, conc.: ad terminum, neg. Nam illa potentia indigna Deo eſt, qui cum ſit actus puriſſimus, nequit ullam perfectionem acquirere, cum nulla careat. Hæc autem nullo superveniente actu dat termino exiſtentiam, aut perfectionem, ut potentia condendi mundum, aut gignendi Filium, quæ in termino extrinſeco dependentiam infert, in intrinſeco relationis originem.

Ob. II. Potentia productiva Filii eſt perfectio ſimpliciter: ergo, ſi eſt in Patre, eſt in eo perfectio ſimpliciter, qua caret Filius. R. diſt. ant. Eſt perfectio *ſimpliciter*, & *incomplexe* ſignificabilis, ideſt indiſtincta a perfectione Patris, conc.; *ſimpliciter*, & *complexe*, ideſt forma ſuperaddita ſubſtantiæ Patris, nego.

Propositio II. Principium divinarum proceſſionum non eſt ſola hypoſtaſis, vel relatio.

Prob. ex Anſelmo c. 54. Monol. *Non ex eo procedit, in quo plures ſunt Pater, & Filius, ſed ex eo, in quo unum ſunt*: ideſt ex natura, quæ in iis una eſt: ergo relatio ſine natura non eſt completum generationis principium.

Dices. Hypoſtaſis eſt Patri principium perſonaliter

liter essendi: ergo & operandi. R. dist. ant. Est essendi principium *incomplexe* significabile, quod est ipsa natura cum termini connotatione, conc: significabile complexe, & naturæ adventitium, nego.

Propositio III. Sola natura non est principium divinarum processionum.

Prob. ex Concilio Lateranensi IV., ubi statuitur contra Abbatem Joachimum, quod *essentia non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, Spiritus sanctus, qui procedit:* ergo &c.

Propositio IV. Non est in Deo principium *quod* a principio *quo* sensu *complexo* distinctum.

Prob. I. Deus Pater, cum sit perfectissimus, & simplicissimus, est ipsa sua potentia, ipse suus actus, nec ulla adventitia qualitate perficitur: ergo solus est principium, & *quod* producit, & *quo* producitur. II. Principium *quo* vel est Patri intrinsecum, vel extrinsecum. Non primum, quia Deo repugnat, non secundum, quia nulla forma est a paternitate distincta. III. Nisi Pater absque alio principio Filium gigneret, non esset, ut fides docet, sine principio: ergo &c. Prob. II. Principium *quo* non est natura sine intellectione, & voluntate, ut ait Durandus. Filius enim est Verbum Patris, Dei ratio &c.: ergo procedit ex intellectu Patris. Neque, ut placet Thomistis, est intellectus & voluntas, quia principium generationis a genito distingui debet: sed nec intellectus, nec natura a genito distinguuntur: ergo &c.

Quod ergo ait S. Thomas, *naturam, & intellectum esse generationis principium, quatenus in obliquo significant relationem*, verum est in sensu *incomplexo*, quo significatur, generationis principium esse Patrem, qui est sua natura, sua mens, sua voluntas, non in sensu *complexo*, cum nulla detur potentia hypostasi superaddita, & omne principium, cum sit alterius, non sui, a *principiato* distin-

distinguitur. Neque vero *dictio*, & *spiratio* est principium *quo*, ut docent Scotistæ; nam in Deo *nihil aliud est apud se dicere, & apud se cogitare*, ut ait l. 3. ad Mon. S. Fulgentius, & frustra Scotus actus *notionales* multiplicat. Si velis appellare *dictionem* actum intellectionis paternæ, prout refertur ad Verbum, licet per me quidem, sed erit revera principium Filii sapiens Pater, cui idem est esse, quod sapere, & terminus generationis Verbum & sapientia Patris, cui idem est esse, ut docet S. P. A. l. 7. de Trin. c. 1., sapientiam, & prolem, cum in Deo sit vere una simplex essentia.

Ob. I. Dei natura non est neque generans, neque genita: ergo principium generationis non est quidquid est Pater.

R. dist. ant. Si accipiatur Dei natura *incomplexe*, pro persona, quæ est sua natura, neg.; si accipiatur *complexe*, prout personæ superadditur, & dicitur absolute, conc.; & neg. suppositum. Hæc enim natura communis non est intrinsece a personis distincta, ut ait Ab. Joachimus, qui non veram, & propriam unionem admisit inter naturam, & personam, unde quaternitatem in Deo adstruebat, idest tres personas, & illam communem essentiam, quasi quartam, quod a Synodo Lateranens. damnatur, quæ statuit, *Patrem esse, qui generat, Filium, qui gignitur, Spiritum sanctum, qui procedit.* Vide Auctorem.

Ob. II. cum Durando. Divina essentia sine intellectu, & voluntate fœcunda est, ut patet in humana natura: ergo intellectus & voluntas non constituunt divinarum processionum principium. R. neg. ant., & suppositum. Non enim distinguitur natura Dei simplicissima ab intellectu, & voluntate, nisi per mentem; secus in natura humana, quæ cum non sit simplex, intellectus a potentia gignendi secernitur.

Ob. III. Si Filius vi suæ processionis est Verbum, & Spiritus S. est amor, debet Filius per intelle-

tellectum, Spiritus S. per voluntatem procedere: ergo cum Thomistis admitti debent hæc duo principia, quibus assignatur ratio, cur in Deo sint duæ processiones tantum, idest generatio, & spiratio, & una sit opus intellectus, altera voluntatis: ex illa Verbum, ex ista autem sit amor. Nec Filius Amor dicitur, nec Spiritus Verbum: ergo &c.

R. dist. ant. Si τὸ *per* reddat sensum *complexum* supra expositum, neg.; si *incomplexum*, conc. Intellectus enim & voluntas Dei eadem summa res est cum natura, & qualibet persona: nec ille est Filii principium, nisi sensu *incomplexo*, prout principium Filii est Pater, qui est sua intellectio. Nec voluntas est principium Spiritus S., nisi hoc sensu, quod Pater, & Filius, qui sunt unum Spiritus S. principium, sunt summa illa res, quæ est sua voluntas. Si autem quæras; cur Filius, qui est a Patre, non sit Amor, si Pater est sua voluntas? R. Quia minus, quam *inter duos*, *caritas versari* non potest, ut ait hom. 17. Gregorius M. Ideoque amor debet a duorum voluntate procedere, hoc est a Patre, & Filio, qui sunt una voluntas. Item Spiritus S. non est Verbum, quia hoc est opus unius intelligentis, adeoque ab uno intelligente procedit, idest a Patre, qui est sua intellectio.

Ob. IV. Pater, & Filius sunt Spiritus S. principium, non ratione personæ, sed propter eandem virtutem spirandi, ut l. 7. dictum est: ergo admitti debet distinctum principium, quo ambo spirant.

R. neg. conf. Nam Pater, & Filius sunt eadem substantia, eademque virtus spirandi, & licet distinguantur hypostasi, non tamen distinguuntur intrinsece, aut virtute, aut natura, unde habetur ratio principii; personæ enim spirantes dicuntur ad invicem connotative, & opposite, non quia sunt spirantes, sed quia una est generans, alia genita, & inter personas spirantes, & spirandi

prin-

principium, nulla eſt oppoſitio: ergo, ſicut Pater & Filius ſunt unum natura, ita ſunt unum ſpirandi principium: & in hac propoſitione, Pater & Filius ſpirant per voluntatem, ſenſus teneri debet *incomplexus*, ut dictum eſt.

CAPUT III.

Sola proceſſio Verbi eſt generatio, ſed hujus rei certa cauſſa proferri non poteſt.

Generationem eſſe Verbi proceſſionem, l. 7. dictum eſt. Et Spiritum S. non eſſe Filium, colligitur ex 1. Jo., ubi dicitur, Filium Dei eſſe *unigenitum*. Et S. P. 5. de Tr. 6. ait, Spiritum S. non eſſe Filium, nec genitum; & in ſymbolo Athanaſii dicitur: *Non factus, nec genitus, ſed procedens.* Cur autem ſola Verbi proceſſio ſit generatio, non una eſt Theologorum opinio. Sunt qui cum Auguſtino docent, Filium eſſe genitum, quia procedit ab uno, nemo quippe duos patres habere poteſt. Alii cum eodem ajunt, non eſſe Filium, quia eſt a Patre, non ut *natus*, ſed ut *datus*. Thomiſtæ ajunt, Verbum eſſe genitum, quia procedit per intellectum, cujus operatio eſt imaginis productiva. Vaſquez ait, Verbum eſſe genitum, quia per intellectum procedens perfecte Patrem exhibet, adeoque eſt ejus imago. Hinc Aug. Tr. 48. in Jo. ait: *Quia Verbum, ideo Filius.* Ariminenſis ait, ſpirationem & generationem *formaliter* diſtingui ſeipſis, ſed certam diſtinctionis cauſſam proferri non poſſe. Sit ergo

Propositio. Cur ſolus Filius dicatur genitus, evidens ratio reddi nequit.

Prob. I. ex Nazianzeno Or. 1. *Quomodo genitus eſt? Dei generatio honoretur ſilentio.* Ambroſius l. 6. in Luc. ait, *Non licet diſcutere, quomodo natus ſit.* Baſilius c. 18. de Spiritu S. *Quid inter naſci & procedere interſit, explicare quis poteſt?* S. P. A. l. 3. contra Max. 14. *Diſtinguere inter illam*

lam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo &c.

Prob. II. ratione. Quodcumque ſtatuas inter generationem, & proceſſionem diſcrimen, incertum eſt, cum cl. Theologi præfatas opinationes rejiciant, alii unam amplectantur, quam cæteri improbant. Vide Auctorem ſingulas Scholarum opiniones refellentem, ut cum Ariminenſi ſtatuat, certam rationem proferri non poſſe de re, quam PP. inexplicabilem appellant, & Scholaſtici incertis, variiſque principiis conantur exponere.

Propositio II. Laudandi ſunt Scholaſtici, qui divinas proceſſiones illuſtrarunt, & ſingulorum ſententia aliquo ſenſu vera eſt.

Prob. I. pars. Scholaſtici illi Eccleſiæ Patres imitantur, qui, licet curioſos terreant, ne divinitatis arcana indagare præſumant, ad eas tamen illuſtrandas plures afferunt comparationes, quas a PP. Scholaſtici mutuantur: ergo &c. II. Cum hæretici ſæpe nos provocent ſophiſmatibus, nec ſcripturis, & traditioni acquieſcant, eorum fallaciæ probabilibus conjecturis ſunt refellendæ: ergo &c.

Prob. II. pars. Conſtat enim ex ſacris literis, Filium a Patre, & Spiritum S. ab utroque procedere: ſed experientia conſtat, unius Filii unum Patrem eſſe, ut ajunt Scotiſtæ: ergo &c. II. Verbum Dei eſſe intelligentis ſeipſum imaginem, & amorem eſſe inter duo: a voluntate autem proficiſci, ut docent Thomiſtæ, nemo ambigit. Idem de aliis ſententiis ſupra citatis dicendum eſt: ergo Scholaſticorum ſententiæ aliquo ſenſu veræ ſunt. A pluribus tamen in eo tantum diſſentimus, quia rejiciendum putamus illud principium *quo* a perſonali proprietate diſtinctum. Cæterum omnes ſummo honore proſequimur.

CA-

CAPUT IV.

An Spiritus S. esset alia persona a Filio, si ab eo non procederet?

NOT. I. Confert hæc quæstio ad percipiendam rationem, cur divinæ personæ realiter inter se distinguantur? Quod fieri docent Theologi per processionem unius ab alia. Quid autem foret absque originis relatione, controvertitur. Affirmativam sententiam propugnant Scotistæ, negativam alii communiter; putant enim in ea hypothesi utramque personam in una coalescere.

Not. II. Censet Ariminensis, hanc hypothesim non esse admittendam. Si enim Spiritus S. a Filio non procederet, omnino non esset: nec donum Filii esset, nec amor, & proinde nihil esset. Ne tamen videamur difficultatem declinare, admittatur hypothesis, tametsi impossibilis.

Not. III. Non datur in Filio, cum sit simplicissima & summa res, proprietas aliqua intrinseca a filiatione distincta, adeoque spiratio est eadem persona Filii, quia in eo nulla proprietas esse potest, quæ non sit filiatio. Ea enim spiratio a filiatione distincta, vel extrinsecus advenit, vel intrinsecus: si primum, Filius inhærentibus qualitatibus subjicitur: si secundum: ergo non est simplex Filii persona, quæ, præter filiationem, habet etiam intrinsecam proprietatem: est ergo eadem Filii proprietas filiatio, & spiratio: illa, prout connotat primam personam generantem, hæc, si comparetur ad tertiam. Sit itaque

Propositio. Si Spiritus S. a Filio non procederet, esset una eademque persona.

Prob. I. ex theologico axiomate: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obstat relationis oppositio.* Idipsum traditur etiam ab Augustino tr. 39. in Jo., ubi ait: *Hoc solum numerum insinuat, quod ad invicem sunt*, a Concilio Toletano XI. iisdem verbis, & a Florentino Sess. 8.: *Sola relatio multiplicat per-*

 sonas;

ſonas; tandem ab Anſelmo de Proceſſ. Spiritus S. c. 11.: *Relationis oppoſitio prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum S. de invicem dici.* Ex quibus ſic arguitur. Si Spiritus S. a Filio non procedat, non eſt inter eos relationis oppoſitio: ſed hac ſublata nulla eſt perſonalis diſtinctio: ergo &c.

R. Scotiſtæ, in eorum hypotheſi ſat eſſe relationem *diſparatam*: Patres vero, & Concilia loqui de facto opinatur Brancatius, quia de facto Spiritus S. originem habet a Filio. Sed hoc eſt merum effugium; PP. enim & Concilia non qualemcumque, ſed relationem oppoſitionis, ſive originis aſſerunt in Deo eſſe. Secundo relationes *diſparatæ*, ſi a proceſſione ſegregentur, non ſunt ad invicem, & in eadem perſona conſiſtunt, ut paternitas & ſpiratio in Patre, ſpiratio & filiatio in Filio: ſicut ergo ſtant duæ relationes *diſparatæ* in eodem principio, quia non opponuntur ad invicem, ita in hypotheſi ſtarent in uno termino, eademque perſona eſſet genita & ſpirata, ſicuti eadem perſona eſt ſpirans & generans.

Prob. II. ratione. Realis diſtinctio vel oritur ab origine unius ab alio, vel a limitatione: ſed hæc in Deo locum non habet: ergo illa. R. Scotiſtæ, deſumi diſtinctionem a terminorum incompoſſibilitate. Atqui perſonæ infinitæ nihil eſt incompoſſibile, niſi quod illi opponitur relative; omnia enim Pater dedit Filio excepta paternitate: ergo nulla reſponſio.

Ob. I. S. Anſelmus de Spiritu S. docet, *quod Filius & Spiritus S. per hoc ſolum eſſent diverſi, quia alter naſcendo, alter exiſtit procedendo.* Et S. P. A. l. 5. de Trin. 14. docet, Spiritum S. non eſſe Filium, *quia exit non quomodo natus, ſed quomodo datus*: ſed hæc eſt ſufficiens ratio diſtinctionis: ergo &c.

R. diſt. min. Eſt ſufficiens ratio, ſi datus ſit, & procedat a Patre & Filio, conc.; ſi a Patre tantum, neg. Tunc enim inter ſe non different Filius & Spiritus

ritus S. Anselmus autem loc. cit. Græcos impugnat, qui negant Spiritum S. a Filio procedere, licet Filium nasci, & Spiritum Sanctum procedere fateantur. Ait itaque Anselmus: *Si per aliud non essent plures &c.* Filius & Spiritus S., essent tamen diversi, quia unus est a Patre nascendo, alter procedendo: sed non esset hæc diversitas *nativitatis* & *processionis*, nisi Spiritus S. esset a Filio: ergo Spiritus S. est a Filio. Anselmus ergo diversitatem illam nativitatis & processionis a sola relationis oppositione repetit, & Scoti opinionem aperte rejicit. Aug. autem l. 5. de Trin. 14., ex quo Filius sit natus, & Spiritus S. datus, infert, Filium esse cum Patre unum Spiritus S. principium; quomodo ergo Filius tantum natus erit, si Spiritus S. ab eo non procedit? Addit, *quod natum est, ad solum Patrem referri*: ergo Spiritus sanctus Filius erit, si ad Patrem solum referatur.

Ob. II. In hac hypothesi Filius haberet proprium constitutivum, idest filiationem, quæ a spiratione per se etiam in sententia nostra distinguitur: ergo essent duæ personæ distinctæ.

R. dist. ant. Haberet constitutivum relative oppositum Patri, conc.; Spiritui S., neg., & dist. cons. Essent personæ distinctæ Filius, & Pater, conc; Filius, & Spiritus S., neg. Filiatio ergo a spiratione distincta nec est in Filio, nec illum constituit, nec cum simplicissima Filii natura stare potest. Non enim Dei Filium sola filiatio constituit, sed filiatio Dei, qua est quidquid est, & id tantum non est, quod cum ea opponitur relative.

Ob. III. Si Spiritus S. non procederet a Patre, distingueretur a Patre: ergo a pari. R. neg. ant. Ait enim Anselmus de Process. Spiritus S. *Non potest intelligi Spiritus S. a Patre alius, si de illo non habet esse: sicut Filius per hoc est alius a Patre, per quod est Filius ejus*: ergo &c.

Ob. IV. Si Spiritus S. a solo Filio procederet, distingueretur a Patre: ergo si a solo Patre proce-

 dat,

dat, a Filio diſtinguitur. R. neg. conſ. Filius enim nequit eſſe principium Patris; & recte arguitur, ſi dicatur: nequit Pater a Filio procedere: ergo non eſt Pater, qui a Filio procedit. Aliunde in hypotheſi ſolus Pater eſſet Filii, & Spiritus S. principium. Nec recte arguitur ſi dicatur: A Patre nequit Filius procedere: ergo non eſt Filius, qui a Patre procedit.

Ob. V. Spiratio activa, & paternitas ſunt duæ perfectiones in ſuo genere perfectiſſimæ: ergo habent duplicem terminum reipſa diſtinctum.

R. diſt. ant. Sunt duæ perfectiones per mentem, conc.; reipſa, neg. Et retorqueo argumentum. Paternitas & ſpiratio, cum relative non opponantur, ſunt una res indiſtincta: ergo hi duo termini, Verbum & Amor, eſſent reapſe unus, niſi opponerentur relative.

CAPUT V.

De exiſtentia, numero, ac perfectione divinarum relationum.

RELATIO eſt ordo unius ad alium, ut Patris ad Filium. Hujus ordinis fundamentum modo ponitur in ſola natura rerum, quæ dicuntur ad invicem, modo in accidente, quantitate, vel qualitate. Nomina etiam alia ſunt concreta, quæ rem ſignificant una cum forma, alia abſtracta, quæ formam, non ſubjectum ſignificant. Sit ergo

PROPOSITIO I. Si relationes concrete ſumantur, ſunt in Deo realiter, ſi pro forma, per quam conſtituuntur relativa, non ſunt res aliqua complexe ſignificabilis, ſed res extra animam incomplexe ſignificabilis.

Prob. I. pars. Nemine cogitante eſt Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S., & Pater gignit Filium, hic gignitur, Spiritus S. ab utroque procedit: ergo ſi divinæ relationes *concrete* ſumantur, ideſt pro perſonis, quæ ad invicem referuntur, ſunt

in

in Deo nemine cogitante. II. Datur reapse in Deo divinitas & substantia, quæ exprimitur per hoc nomen *Deus*: ergo datur etiam relatio, ex. gr. Paternitas, quæ exprimitur per hoc nomen *Pater*; nam utrumque rem veram significat.

Prob. secunda pars. Si relatio esset forma quædam complexe significabilis, Pater non diceretur ad Filium substantia sua, sed per aliquod substantiæ superadditum: sed hoc dici nequit: ergo relatio Patris ad Filium non est aliqua forma complexe significabilis. II. Nil est in Deo, quod non sit Deus, ut contra Gilbertum definit Concil. Remense, & Lateranense IV. contra Ab. Joachimum: ergo hæc forma relationis est fictitia.

Prob. tertia pars. Id, quo una persona divina ad aliam refertur, est cum ea una res simplex & indistincta, & quæ est quidquid est: ergo relatio, qua divinæ personæ referuntur ad invicem, est quædam res extra animam *incomplexe* significabilis.

Propositio II. Si relationes sumantur concrete, sunt tantum tres, si pro ordine & respectu, sunt etiam quatuor; sed tertia est solum cum duabus præcedentibus significabilis *incomplexe*.

Prob. prima pars. Tres sunt in Deo personæ: ergo si relationes concrete pro personis sumantur, sunt tres. Prob. secunda pars. In Patre est ordo generantis ad genitum, in Filio ordo geniti ad generantem; in Patre & Filio ordo spirantis ad spiratum. Prob. III. pars. Nam relatio spirantis relative non opponitur neque cum relatione generantis, nec geniti, unde a neutra distinguitur. Nec est cum his simul complexe significabilis, sicut nulla relatio complexe significabilis est cum natura, ut supra dictum est. Ex his constat, relationes oppositas tres tantum esse, non quatuor.

Propositio III. Quomodocumque sumantur in Deo relationes, sunt infinita quædam perfectio, incomplexe tamen cum divina essentia significabilis.

Prob. prima pars. Divinæ relationes sunt ipse

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S., prout dicuntur ad invicem, vel prout sunt unus Deus: sed utrumque summa perfectio est: ergo &c. Prob. II. pars. Si enim perfectio relationis esset complexe significabilis, alia esset a perfectione substantiæ, nec Trinitas esset res una summa & incomprehensibilis, nec inter divinas personas salvaretur æqualitas: ergo &c.

Sequitur ex dictis; I. essentiam & personam unam rem summam in Deo esse; nomina autem, ex. gr. *substantiæ*, & *patris*, eandem rem incommutabilem exprimere, sed illud rem designare prout absolute subsistit, hoc vero prout dicitur relative; nulloque vocabulo Dei naturam perfecte exprimi, quidquid effutierit Eunomius. Sequitur secundo, esse inter personas perfectissimam æqualitatem, licet in qualibet non sit eadem relatio, quæ perfectio quidem est, sed eadem cum natura. Sequitur tertio, personas constitui seipsis, cum non fiant personæ per aliquam formam, sive intrinsecam, sive extrinsecam, quæ Dei simplicitati repugnant. Constituuntur etiam proprietatibus personalibus significabilibus *incomplexe*, idest relationibus, quæ sola cogitatione, & respectu connotatorum ab illa summa re distinguuntur; quæ est Pater generans, Filius genitus, Spiritus S. procedens.

CAPUT VI.

Quotnam sint in Deo uno trinoque subsistentiæ?

SUBSISTENTIÆ & hypostaseos nomine non Dei naturam significari, sed proprietatem personalem, omnes conveniunt. Est autem hypostasis proprius existendi modus, quo redditur persona plenarie individua, nec aliud addit naturæ divinæ, præter ordinem relationis, alias esset in Deo quaternitas, idest tres personæ, & natura communis a singulis distincta, nullaque ex tribus personis esset summus & verus Deus; essent enim singulæ a divi-

divinitatis natura distinctae, aut unaquaeque persona ex duabus congesta. Si quaeras, quomodo personae in eadem natura multiplicentur, & haec sit communis, non autem personales proprietates? R., eandem summam rem communem esse, prout dicitur ad se; individuam, peculiarem, & distinctam, prout refertur ad terminum oppositum relative. Vide l. 7. diss. 1. c. 7. R. ad ult. Cum autem subsistentia duo praestet, unum reddere naturam per se & complexe existentem, aliud vero illam in aliquo existendi modo individuam, qui subsistentiam absolutam propugnant, praeter tres relativas, spectant primum subsistentiae munus, & grammaticalem nominis sensum, & qui tres tantum asserunt subsistentias, hi spectant alterum subsistentiae munus, & theologicam nominis significationem. Sit ergo

Propositio I. Sumpta subsistentia pro peculiari existendi modo, tres sunt in Deo subsistentiae.

Prob. ex Conciliis Nicaeno I., Constantinopolitano I., Lateranensi II., quae statuunt, de fide esse Trinitatem in tribus subsistentiis. Prob. II. ex PP. Cyrillus l. 3. de Trin. *Deitatis naturam in tribus subsistentiis praedicamus.* Prob. III. ratione. In Deo enim sunt tres personae: ergo tres subsistentiae; quaelibet enim persona, ut sit incommunicabilis habere debet peculiarem existendi modum.

Propositio II. Subsistentia grammaticaliter sumpta pro ratione existendi una tantum in Deo est.

Prob. Una est in Deo substantia, quae existit per se: ergo una est subsistentia, prout modum denotat per se existendi, idest independenter a quovis subjecto. Hinc S. P. 7. de Trin. 4. ait: *Omnis res ad seipsam subsistit; quanto magis Deus?* Hanc propositionem demonstrant argumenta Scotistarum, qui subsistentiam absolutam defendunt. Utrumque subsistentiae munus complectitur Agatho Papa dicens, *trium subsistentiarum unam esse subsistentiam.*

Sed quia ſubſiſtentiæ nomen adhibent theologi ad ſignificandam perſonalem proprietatem, melius ſentire videntur, qui tres tantum relativas ſubſiſtentias in Deo admittunt.

CAPUT VII.

In quo præſcriptiones quædam traduntur ad ſcite diſſerendum de Trinitate.

I. CAVERE debent Tyrones, ne vocabula c. ult. l. 7. expoſita præter communem ſignificationem uſurpent. Jam enim tres dari hypoſtaſes, & ſubſtantiam inſeparabilem, & vocabulum *omouſion*, & alia quæ PP. tradunt, & probat Eccleſia, fatendum eſt.

II. Nomina unitatis & trinitatis ita ſunt accipienda, ut primum pro eſſentia, ſecundum pro perſonis ſumatur. Cum autem inter eſſentiam & perſonas nulla ſit intrinſeca diſtinctio, haud recte *dici poteſt*, ait Tolet. Syn. XI., *ut in Deo ſit trinitas, ſed unus Deus trinitas.* At ſymbolum Athanaſii in ſenſu incomplexo recte ait, quod *unitas in trinitate, & trinitas in unitate veneranda ſit.*

III. Negant Scotiſtæ recte dici: *Paternitas aut filiatio eſt ſpiratio activa, aut intellectus vult, voluntas intelligit.* Nos autem cum Aug. (a) dicimus: *Scientia tua eſt & vult incommutabiliter; & voluntas tua ſcit, & vult.* Si tamen hæc nomina ad ſua connotata comparentur, cum paternitas ad Filium, filiatio ad Patrem relative dicantur, aliquod in his ſubeſt diſcrimen, ſed ſola ratione *connotatorum.*

IV. Cum eſſentia divinitatis ſubſtantiam, non relationem ſignificet, dici nequit: *eſſentia generat, eſſentia gignitur, aut procedit*, licet veteres dixerint οὐσίαν γεννητὴν, *ſubſtantiam genitam*, ſumpta nimirum eſſentia, prout relative dicitur: quod quidem provenit ab inopia ſermonis noſtri; nam pro-

(a) *L. 3. C. D. c. 13.*

proprietas personalis ab essentia intrinsece non distinguitur.

V. Cum neutrum pronomen *aliud* rem, non personam apud grammaticos significet, observat S. P. A. tr. 6. in Jo., *alium recte dici; aliud non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater. Non tamen aliud, sed hoc ipsum est Pater & Filius.* Item non recte dicitur, *ipse* est Pater qui Filius, sed *ipsum*; non *hic*, sed *hoc*; non *unus*, sed *unum*.

VI. Adjectiva nomina æternus, omnipotens, immensus numero singulari, & plurali enunciantur. Nam contra Arianos, qui in tribus personis negant unam divinitatis essentiam, catholice dicimus: *Æternus Pater, æternus Filius &c. non tamen tres æterni, sed unus æternus*: sed contra Samosatenos tres personas dicimus coæternas & coæquales, & habetur utraque enunciatio in symbolo S. Athanasii.

VII. Si lubet adjectiva dicere, quæ rem aut qualitatem alteri adjectam significant, ut in homine *miles*, *pater*, *sapiens*, quæ adjectiva dicuntur, quia potest esse homo, quin sit aut miles, aut pater &c.; nullum nomen hoc sensu erit Deo adjectivum, quia Deus est substantialiter bonus, sapiens &c. Si vero adjectiva grammaticaliter sumantur, prout aliquid substantiæ adjectum, aut substantiam ipsam significant, prout hæc connotat quædam effecta, possunt de Deo adjectiva enuntiari.

VIII. Deum unum, & unicum contra Atheos promiscue dicimus. Sed absolute voces istæ: *Unicus*, *solitarius*, *singularis*, quæ videntur personarum pluralitatem excludere, non secus ac istæ, *insociabiles*, *discrepantes*, *separatæ*, quæ earum distinctionem in substantia possunt exprimere, caute accipiendæ sunt ad distinctionem personarum in unitate. Exigit enim summa Dei simplicitas, ut unum Deum dicamus potius, quam unicum, & unitatem magis, quam unionem.

IX. Quando nomen Dei essentialiter, aut perso-

naliter accipi debeat, diximus l. 7. c. 6. Si ergo dicatur, *Deus est mundi conditor*, Deus essentialiter sumitur, quia creare tribus personis convenit ratione naturæ. Si dicas, *Deus generat Verbum*, nomen Dei personaliter ponitur, quia ad personam pertinet generare, & ad Deum spectat ratione peculiaris proprietatis.

X. Inter trinum, & triplex non distinguunt Latini. Docet proinde Petavius (a) *triplicis*, non secus ac *trini* vocabulum assumi potuisse: nunc autem hoc teneri, non illud, ex consuetudine. Quippe omne triplex est trinum, non vicissim; trinum siquidem solum numerumt rium significat, triplex vero multiplicatam in tribus rationem. Cum ergo in Deo tres sint personæ, recte dicitur *Deus trinus*, cumque in eo nulla sit compositio, nequit dici *Deus triplex*. Hinc S. P. l. 6. de Trin. c. 1. ait: *Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est, alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, & Filius.* Quoties ergo apud Græcos triplicis nomen de Deo enunciatur, magis nominis etymon, quam idea ab iis spectatur. Τριπλοῦς enim Græcis a τρεῖς, *tres*, & πέλω, *sum*, derivatur; tres enim sunt in Deo personæ.

XI. *Trinitatis* nomen a Theophilo Antioch. II. Ecclesiæ sæculo usurpatum, cum significet numerum personarum, catholice retinetur. Recte etiam dicitur, *trina Deitas*, nec jure Hincmarus contra Gothescalchum vetuit, ne ultra caneretur, *te trina Deitas &c.* Nam S. P. A. l. 12. Conf. c. 7. ait: *Deus dicitur una Trinitas, & trina unitas;* & Anselmus Mon. 78., *Expedit, ut credat homo ineffabilem trinam unitatem, & unam Trinitatem.*

Dices: Hæc propositio *trina Deitas* errorem Tritheitarum continet: ergo enunciari non debet.

R. neg.

(a) *L. 8. de Trin. 9.*

℞. neg. ant. Deitas enim trina non dicitur ratione substantiæ, sed personarum, quæ sunt simul una Deitas; & sicut dicitur una Trinitas propter naturæ communionem, ita dicitur trina Deitas ob pluralitatem personarum.

XII. Nomina substantiva absoluta de unaquaque persona, & de omnibus simul singulari tantum numero enunciantur, v. g., Pater est sua æternitas; & ea etiam invicem prædicantur, ut æternitas est omnipotentia &c. Sed nefas est dicere, *Pater, Filius, & Spiritus S. sunt tres æternitates &c.*; sic enim exprimitur perfectio spectans ad unitatem substantiæ. Relativa autem, quia invicem opponuntur, non mutuo enunciantur; est enim supinus error dicere, Pater est Filius, aut paternitas est filiatio. Aliunde, quia inter relativa, & essentialia nulla est intrinseca differentia, recte dicitur, essentia est Pater, Filius, & Spiritus S., essentia est paternitas, filiatio &c.

In his autem, aliisque omnibus Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ definitiones servari debent, & illa proferre, quæ ipsa profert, eaque reticere, quæ tacet magistra hæc veritatis, cui nostra omnia ex animo subjicimus, retractaturi, si quid exciderit minus caute. Votorum etenim nostrorum hic unus & præstantissimus esse debet scopus & finis, Deus unus, Deus trinus: cui sit ab omni creatura *Laus & perennis gloria, & nunc, & in perpetuum.*

PARS

PARS TERTIA

In qua de Deo rerum omnium conditore disseritur.

DEUM optimum maximum, prout unum natura, aut trinum hypostasi, prima atque altera hujus voluminis parte *in se ipso* spectavimus. Reliquum est, ut eum quoque *extra se* in ipsa rerum molitione inspiciamus. Cum autem ex rebus a Deo productis aliæ sint spiritales, ut angeli, aliæ materiales, ut corpora, aliæ demum, quæ spiritu constant & corpore, ut homines; idcirco libris tribus, servato Auctoris ordine, poterit hæc Pars III. comprehendi. Erit itaque liber X. de angelis, XI. de rebus aspectabilibus, XII. de homine, cujus gratia aspectabilia ipsa creata sunt.

LIBER X.

De Angelis.

LICET incompertum sit sive hebraicum, sive græcum, aut latinum vocabulum, quo angelorum natura congrue exprimatur: siquidem angeli nomen, ut Greg. docet hom. 34., *officii nomen est, non naturæ*, a græco ἀγγέλλω, *nuntio*, derivatum, quod nempe angeli ad enuntianda divina mysteria mittantur, hebraica vero angelorum vocabula aut ab eorum potentia, aut a proprietate aliqua derivantur, ut demonstrat cl. Auctor; quisque tamen, angelorum nomine audito, statim intelligit spiritalem quandam substantiam per se subsistentem, minorem quidem Deo, sed homine longe præstantiorem. Hujus itaque præstantissimæ creaturæ existentiam, ac naturam primo loco investigabimus, deinde proprietates, & dotes, merita, officia, vires &c., quæ ex eorum natura descendunt.

DIS-

DISSERTATIO I.

De existentia, ac natura angelorum.

De hoc argumento agemus sex capitibus: ac I. quæremus, num angelorum existentia demonstrari possit? II. An sint mere spiritales? III. Cur mortales dicantur, & immortales? IV. Quomodo inter se differant? V. De numero, ac multitudine angelorum sermo erit. VI. De loco ac tempore, quo a Deo creati sunt.

CAPUT I.

In quo angelorum existentia demonstratur.

Angelorum existentiam plures ex veteribus Philosophis, teste D. Th., negarunt, qui *non distinguentes inter sensum & intellectum, nihil esse existimaverunt in mundo, nisi quod sensu apprehendi potest.* Sadducæi etiam, ita dicti a quodam *Tsaddok* discipulo Antiochi Sochæi, ut scribit Maimonides, *non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum opinabantur*, ut habetur Act. 23. Quæ ergo de angelis narrantur in sacris litteris, de spectris a Deo excitatis, aut de potentia Dei (1) exponebant. Contra quos sit

Pro-

(1) Ab istorum errore non longe abfuisse visi sunt Coccejus, Wirtus, Bechmannus, Odeus, Hulsius, Turretinus, Freidlibius, Clupenburgius, aliique recentiores Hæretici, qui, ut cultum religiosum Ss. angelis a Christi fidelibus exhibitum e medio tollerent, Michaelem & Gabrielem angelorum principes non esse creatos spiritus, aut a Dei virtute distinctos: sed illum eundem esse Dei Filium, qui sub variis figuris, aut symbolis in veteri lege sese visibilem præbuit; hunc vero ipsam esse Spiritus S. personam confidenter asseruerunt. Itaque non abs re me facturum arbitror, si hoc no-

PROPOSITIO I. Angelorum exiſtentia ex ſacris litteris demonſtratur.

Prob. I. ex Pentateucho, quem ſolum ex veteri Teſtamento Sadducæi admittebant. Gen. 19. habetur, duos angelos e Sodoma Lot eduxiſſe, eamque regionem igne vaſtaſſe; c. 16. angelus Agar hortatur, ut revertatur ad Saram; c. 24. ait Abram: *Dominus mittet angelum ſuum coram te.* Angelorum quoque ſit mentio Exod. 14., & Num. 22.: ergo &c.

Prob. II. ex novo Teſtamento. Matth. 18. habetur: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris;* Lucæ. 1.: *Miſſus eſt angelus Gabriel;* 1. Petr. 1.: *In quem deſiderant angeli proſpicere.* Sed hæc loca non de ſola potentia Dei, aut occultis inſpirationibus, neque de ſpectris intelligi poſſunt, ut Sadducæi commenti ſunt; tribuitur enim angelis multitudo, ac ſervitus Deo indigna, tum perſonarum munera, quæ ſpectris, atque inſpirationibus non competunt: ergo angeli citatis in locis memorati perſonæ ſunt exiſtentes, & a Deo diſtinctæ.

Prob. III. ex Patribus. S. P. A. in Pſ. 102. ait, *Angelos novimus ex fide, & multis apparuiſſe legimus.* (c) Innocentius III. c. *Firmiter* definit, *creaturam ſpiritalem, & angelum* a Deo productam eſſe. Accedit philoſophorum, & hæreticorum conſenſus. Ex iis enim Plato, Hoſtanes, Socrates, Thales, Hierocles, Ariſtoteles, ex his vero Menander,

---

novum hæreticorum commentum, quod, nedum traditioni Eccleſiæ, ſed etiam ſacris literis adverſatur, ad calcem hujuſce capitis refellere pro virili conabor. Ita fiet, ut novi aliquid in epitomen hanc noſtram accedat, quod in præcedentibus cl. Auctoris editionibus non extat, quodve a nobis per typographum jamdiu ſtudioſis Theologiæ candidatis promiſſum, non prorſus inutile, neque injucundum iis fore confidimus.

der, Cerinthus, aliique angelos velut numina coluere: ergo ut veras ſubſtantias, & ſubſiſtentes agnovere.

Opp. Sadducæi. In libro Geneſeos angelorum productio reticetur: ergo non exiſtunt. II. Angeli nomen officii eſt: ergo non rei ſubſiſtentis. III. Hominibus ipſis Gen. 6. hoc nomen tribuitur; habetur enim, *Videntes angeli Dei filias hominum &c.*, ſed angeli non nubunt: ergo angeli ſunt homines.

R. ad I. neg. conſ. Moyſes enim conſulto angelorum non meminit, ne rudi populo redeunti ex Ægypto, tam ſublimes creaturas proponendo, anſam præberet idololatriæ. I. ergo unius creatoris divinitatem expoſuit, poſtea angelos, ut Dei miniſtros memoravit. Verum ſub nomine *lucis* etiam angelos 1. Geneſ. fuiſſe indigitatos, cenſet S. P. A. Ad II. neg. conſ. Officia enim, quæ angelis tribuuntur, a ſola perſona ſubſiſtente exerceri poſſunt. Sicut ergo rex, miles (officii nomina) *regentem*, aut *militantem* perſonam, ita angelus *nuntiantem*, & ſubſiſtentem ſupponit. Ad III. diſt. maj. Tribuitur hominibus tantum, neg.; etiam, conc. Licet enim hebraica, & vulgata legat, *filii Dei*, non *angeli Dei*, non tamen negamus, angeli, non ſecus ac Dei nomen etiam hominibus tribui: atqui, licet homini Dei nomen tribuatur, Dei exiſtentia non excluditur: ergo neque exiſtentia angelorum.

Propositio II. Angelorum exiſtentia nequit naturaliter demonſtrari. Prob. Nequit enim demonſtrari, neque *a priori*, quia non habent angeli neceſſariam cauſſam, ſed liberam, nempe Dei beneplacitum; neque *a poſteriori*, effectus enim ſupernaturales in Deum referri poſſunt, ſi boni ſint, ſecus, aut animæ ſeparatæ, aut aliis cauſſis tribui debent: ergo &c.

Ob. I. Socrates, Plato, aliique philoſophi angelos naturaliter *motrices intelligentias* dixere: ergo eorum exiſtentiam naturaliter agnovere. R. neg. ant. Nam Gentiles Philoſophi plura vel a Judæis acce-

accepere, vel ex facris libris græce redditis ante Alexandri Magni expeditionem. R. II. dift. conf. Naturaliter agnovere probabilibus argumentis, ex fimulacrorum oraculis, magorum oftentis, cælorum motu &c., conc.; invictis, & certis, nego.

Ob. II. Cælorum motus folis angelis tribui poteft: ergo ex eo conftat angelos exiftere. R. neg. ant. Tribui enim poteft foli Deo, qui, ficuti motum ab initio folus indidit cælo, ita etiam folus abfque intelligentiis fervare poteft.

Ob. III. Deus orbem condidit perfectum: ergo fpiritalem fecit, corporeamque naturam. R. dift. ant. Perfectione *ordinis relativa* ad fe ipfum, conc.; *abfoluta* ex conditione naturæ, neg. Creat enim Deus pro lubitu animam, aut corpus &c.

Ob. IV. Divinationes, prodigia, linguarum varietas &c. fæpe Deo referri nequeunt, cum ad malum protendant: ergo malo genio certo tribui debent.

R. neg. conf. In iis enim, quæ ad malum tendunt, aut animæ feparatæ tribui poffunt, aut quod in præftigiis mirum eft, Deo ipfi, quod malum eft, hominum voluntati.

APPENDIX

AD NOTAM CAPITIS PRÆCEDENTIS

Ubi Michaelem, & Gabrielem archangelos effe creatos fpiritus demonftratur.

Cum hæretici fupra memorati inficiari nequeant, Michaelem, & Gabrielem, aliofque fanctos angelos religiofo cultu fuiffe diftinctos, non folum in fynagoga Judæorum, fed in ipfa etiam Ecclefia Chrifti, in qua a primis fæculis templa, atque aræ iis erectæ funt, & confecratæ (*a*); ex nonnullis

(a) *Vid. cl. Mamachium O. P. l. 2. orig. & ant. chrift. p.* 126.

nullis male intellectis scripturæ locis dogma catholicum evertere irrito labore conati sunt. Illos proinde non aliis, quam armis suis, scripturis nempe, confodere in animo est. Sit itaque

Prop. I. Michaelem archangelum non esse Dei Filium, sed creatum spiritum, ex sacris literis ostenditur.

Prob. I. ex c. 12. Apocalypf. ubi hæc habentur: *Factum est prælium magnum in cælo: Michael, & angeli ejus pugnabant cum dracone, & ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni.* Ex quibus sic arguitur: Michael, qui una cum angelis suis cum dracone pugnavit, alius plane est ab agno, ob cujus sanguinem sancti vicerunt: sed agnus ille ipse est Filius Dei, de quo Joannes ait, *Ecce Agnus Dei* &c.: ergo Michael non est Filius Dei.

Prob. II. ex ep. Judæ v. 9. ubi legitur: *Cum Michael archangelus cum diabolo altercaretur, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit, imperet tibi Dominus.* Unde sic arguitur. I. Filius Dei non est altercatus, sed vicit diabolum, *& apprehendit & ligavit eum* ex Apoc. 20. 2. & ex Petr. 2. 4. *rudentibus inferni in tartarum tradidit:* ergo Michael, qui cum diabolo est altercatus, non est Dei Filius. II. Michael ibidem *non est ausus judicium inferre blasphemiæ*; idest maledictis uti noluit. Licet enim *diabolus mereretur maledictum*, ut observat Hieronymus, *sed per angeli os maledictum exire non debuit:* atqui Deus sæpe in sacris literis maledictis usus est; maledixit enim terræ Genes. 3., plantis Marc. 7., serpenti, atque sub ejus typo diabolo Genes. 3., & in fine mundi reprobis maledicet, dicens, *ite maledicti* &c.: ergo Michael, qui id non est ausus, Deus non est. III. Michael ibidem ait: *imperet tibi Dominus*, idest increpet, & coerceat te Dominus: ergo non agnovit Michael in semetipso hujuscemodi potestatem imperandi diabolo, eumque coercendi: atqui Filius Dei hanc pote-

 testa-

testatem ostendit supra diabolum, quem sæpe ejecit ab obsessis corporibus, & integram legionem coegit, ut abiret in porcos, unde ait, *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Adde phrasim istam, *non est ausus* &c. indignam esse Dei Filio, in quo cum sit omnis potestatis plenitudo, audacia locum habere non potest, nec ipse diceret, *imperet tibi Deus*, sed ego impero, ego dico &c.

Prop. II. Ex iisdem sacris literis ostenditur, Gabrielem non esse increatum spiritum, sed creatum.

Prob. I. ex Luc. 1. 26. *Missus est angelus Gabriel a Deo ad Virginem; & ingressus angelus ad eam dixit, Spiritus sanctus superveniet in te:* atqui spiritus, qui superveniet, alius est a Gabriele, qui loquebatur: ergo &c. Prob. min. Si spiritus ille alius a Gabriele non esset, sui ipsius nuntiasset adventum, adeoque missus a Deo esset Spiritus S. ad annuntiandum Spiritum sanctum: sed hoc repugnat sacris literis, ubi Joan. 1. *Fuit homo missus a Deo*, ut Messiæ præcurreret, non ipse Messias missus est, ut sibi ipsi præcurreret: ergo &c.

Prob. II. Dan. 10. v. 13. ait Gabriel: *Princeps regni Persarum restitit mihi 21. diebus, & ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum:* sed hæc Spiritui S. repugnant: ergo &c.

Prob. min. I. enim repugnat increatum spiritum creato indiguisse, ut huic similem vinceret. II. Ut ratiocinatur Angelicus (*a*), qui Gabrieli restitit, vel fuit malus angelus, ut censet Hieronymus, atque ita repugnat, eum tamdiu increato spiritui resistere potuisse, cum constet, eundem in ictu oculi fuisse a creato spiritu superatum, & dejectum ad tartara: vel ut Gregorio (*b*), S. Thomæ (*c*), & aliis placet, fuit bonus, & regni Persarum angelus custos, atque ita Spiritui S. non resti-

(a) 2. *Sent. dist.* 11. *q.* 1. *a.* 5.
(b) *L.* 17. *Moral. c.* 8. (c) 1. *P. q.* 113. *a.* 8.

restitisset: ergo &c. III. Vel angeli Gabrieli resistentis iniqua erat caussa, vel justa: si iniqua, non potuit ergo diuturna esse pugna, nec efficax, cum nemo possit efficaci Dei voluntati resistere ex Genes. 50. &c.; si justa, cur Gabriel adversarium justa molientem tam pertinaciter oppugnavit?

Opp. I. Odeus. Angelus, qui Danieli c. 10. apparuit regiis & sacerdotalibus vestimentis indutus, est ipse Dei Filius, quem similiter indutum describit Joannes Apoc. 1. 13. 15., & c. 2. 18., quique in sacris literis *rex regum* dicitur, & *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*: ergo &c.

R. neg. ant. Quamvis enim Odeo ultro daremus, eadem utrobique indumenta describi; non tamen sequeretur, eandem esse personam. Qui enim Apoc. 1. & 2. *similis filio hominis* dicitur, Christus est, & persona divina, cum de se ipso dicat: *Ego sum primus, & novissimus, & fui mortuus, & sum vivens in sæcula* &c. Atqui angelus, qui Danieli c. 10. apparuit, & cui restitit *princeps Persarum*, non fuit persona divina, ut Propos. II. monstratum est: ergo &c.

Opp. II. Gabriel dicitur *Fortitudo Dei*, Michael vero *Quis ut Deus*? sed hoc nomine Dei fortitudo commendatur Exod. 15., ubi dicitur: *Quis similis tui in fortibus Domine?* ergo &c.

R. cum S. Bern. hom. 1. super *Missus est*, dist. maj. Dicitur *nuncupative*, conc.; *substantive*, neg. Non ergo *dedecens aut incongruum videatur*, ait S. D. loc. cit., *Dominum, & nuntium communi censeri vocabulo, cum similis in utroque appellationis non sit tamen utriusque similis caussa. Aliter quippe Christus fortitudo Dei dicitur, aliter angelus. Angelus enim tantum nuncupative, Christus autem etiam substantive. Christus Dei virtus & dicitur, & est, qui forti armato fortior superveniens ipsum suo brachio debellavit; angelus vero fortitudo Dei appellatus est, vel quia virginem pavidam confortare debe-ret, ne expavesceret de mira-*

miraculi novitate, vel, ut exponit Gregorius, quia *illum nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est.* Michael quoque dicitur, *quis ut Deus?* quia Dei minister est, & bellator fortis: *unde & ille antiquus hostis, qui ab initio Deo esse similis concupivit* (subinde vero tyrannorum ministerio unius Dei cultum evertere conatus est, ut idololatria inRomano vigeret Imperio) *dum in fine mundi relinquetur perimendus, cum Michaele prœliaturus esse perhibetur* (hujus autem belli symbolum non aliud erit, nisi *quis ut Deus?*) *quia nullus potest facere quod facere prævalet Deus.* Hæc Gregorius, atque Bernardus, quorum auctoritatem si renuant Novatores admittere, rationum sane momenta, quibus innititur, improbare non debent, donec validiora produxerint, quod tamen nec factum ab iis hactenus est, nec factum iri confidimus. Constat ergo Gabrielem, & Michaelem fuisse Dei administros, atque ejus gloriæ vindices, non vero personas divinas.

Ob. III. Dan. 8. 25. Michael dicitur *princeps principum*, *& primus principum primariorum*: sed hic Dei Filius est, qui Apocal. 17. dicitur, *Rex regum, & dominus dominantium*; & Hebr. 1. 6. *Caput omnis principatus, & potestatis*: ergo &c.

R. neg. maj. Ibi enim de Michaele ne verbum quidem. Describitur ergo ibi bellum, quod Judæis illaturus erat Antiochus Epiphanes, dè quo ibi dicitur, *Consurget rex impudens facie... & interficiet robustos, & populum sanctorum... contra principem principum*, nempe contra Deum, ejusque legitimum cultum: quo factum est, ut plures legis æmulatores gladio perierint, ut legitur in libris Machabæorum, queis si divinam fidem novatores perfracte negent, humanam certe negare non possunt, cum sint a coævis scriptoribus exarati, & ex collatione historiæ sacræ cum profana rem ita se habere, potest unicuique esse compertum. Vide Calm. ad c. 8. Dan.

Ob.

Ob. IV. Michael Dan. 10. dicitur, princeps Iſraelitarum: ſed is ex fœderis utriuſque conſenſu Dei Filius eſt: ergo &c.

R. diſt. maj. Dicitur princeps, ut cuſtos & defenſor Eccleſiæ, conc.; ut caput & fundator, neg. Non itaque eodem ſenſu Iſraelitarum, ideſt credentium, princeps dicitur Michael, & Chriſtus; hic enim caput Eccleſiæ eſt, *quam acquiſivit ſanguine ſuo*, ille vero, ut ejus defenſor, & patronus, cui ſpecialiter Eccleſiæ, ut olim Synagogæ, cura demandata eſt: quam curam in perſecutionibus Ethnicorum præſertim exhibuit, in quibus Satanæ impetus, & perſecutorum ſævitiam repreſſit. Porro cuique genti ac regno ſuum præeſſe patronum, ac defenſorem angelum, non ſolum Eſtii, Pererii, Maldonati &c., ſed etiam Clementis Alexandrini, Gregorii, Baſilii, Nazianzeni &c. explorata ſententia eſt.

Ob. V. Michael opem fert Gabrieli adverſus Perſarum principem, ideſt diabolum, ut cenſet Hieronymus: ſed victor diaboli eſt Filius Dei: ergo &c.

R. retorq. arg. Diabolus ille diu reſtitit Gabrieli, nec victus eſt, donec Michael ipſi ſuppetias tulit: ergo Gabriel tam infirmus nequit eſſe perſona divina. Vide Prop. II. Deinde ſi dicatur cum Grotio, Junio, Piſcatore, aliiſque Proteſtantibus, quos hac in parte ſequitur Calmetus, principem regni Perſarum eſſe Cyrum eorum regem, nonne prorſus corrueret Odei argumentum?

Ob. VI. Dan. 12. habetur, *In tempore illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi ſui, & in tempore illo ſalvabitur omnis, qui inventus fuerit in libro vitæ.* Sed princeps ille magnus eſt Filius Dei, qui eſt *princeps fratrum, & ſalvum faciet populum ſuum &c.*: ergo &c.

R. diſt. min. Princeps ille eſt Dei Filius in ſenſu figurato & allegorico, conc.; proprio & literali, neg. Hoc enim ſenſu de tempore Antiochi Epiphanis

phanis accipitur a Chrysostomo (*a*), a Josepho (*b*), a Porphyrio (*c*), nec non a Scaligero (*d*), a Grotio (*e*), aliisque. Versante quippe Antiocho trans Euphratem, Ptolomæus, Nicanor, & Gorgias Antiochi duces Judæam 47. hominum m. invaserunt; tunc ergo Arch. Michael Judæorum propugnator accurrit in suorum defensionem, qui ad extremas angustias redacti erant, capta urbe, profanato templo, avitæ religioni abdicare coacti: unde dicitur, *veniet tempus, quale non fuit;* Judæi enim nusquam tam dira antea perpessi fuerant. Inter tot calamitates, cum omnia certam ruinam minitari viderentur, ait propheta: *Salvabitur populus omnis, qui fuerit inventus in libro vitæ,* qui nempe Deo fideles in tentatione inventi, neque in viam gentium abiisse comperti fuerint. Sunt qui cum Pererio hunc locum explicant de tempore Antichristi: sed hæc sententia presse solideque a Nic. Aug. Chignoli O. P. (*f*) refellitur. Cæterum nil obstat, quominus hunc locum figurate etiam de Christo Domino intelligi possit: quo sensu etiam Moyses, & Josue typi & figuræ sunt Christi Domini, quoniam, sicut illi de servitute Ægyptiorum, ac de visibilibus hostibus Israelem liberarunt, ita Christus de servitute inferni, & de invisibilibus hostibus salvos nos fecit. Verum, sicut ibi nec Moyses excluditur, nec Josue, & uterque creata persona est, ita hic non excluditur Michael, & ipse creatus spiritus est.

Ob. VII. Dan. 12. 7. habetur virum, qui stabat super aquas fluminis, jurasse *per viventem in sæcula sæculorum:* sed hic est Filius Dei, qui Apoc. 10. *Levavit manum suam ad cælum, & juravit per viventem in sæcula sæculorum:* ergo &c.

R. neg. min. Neuter enim est Filius Dei; Deus enim *Abrahæ promittens*, cum neminem supra se

(a) *Hom. 3. contra Judæos.* (b) *L. 12. Antiq.* (c) *Ap. Hieron.* (d) *De Emend.* (e) *Exp. in hunc loc.* (f) *Exerc. 39. in 12. Dan.*

se habeat, ut notat Apostolus Hebr. 6., *Juravit per semetipsum*: angelus ergo, qui Dan. 12. & Apoc. 10. non *per semetipsum* juravit, sed *per viventem &c.* Deus non est, sed creatura: unde retorqueri posset argumentum.

Ob. VIII. In epistola Judæ v. 9. habetur, Michaelem Diabolo dixisse: *Imperet tibi Dominus*: sed qui hæc dixit est Filius Dei: ergo &c. Prob. min. ex Zach. 3. v. 2., ubi habetur, *Et dixit Dominus ad Satan, increpet Dominus in te Satan*: sed qui hæc loquitur, ex v. 1. est Jesus Sacerdos magnus, id est Christus Jesus Dei Filius, qui est *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*: ergo &c.

R. neg. min. Ad prob. neg. min. Jesus enim, de quo Zacharias, est Jesus filius Josedech, qui figura fuit Jesu Christi, ut docet Augustinus l. 12. contra Faustum, & quem Zacharias vidit in sordido habitu, devictoque diabolo, qui ad ejus accusationem stabat, ait, ablatam illi sordidam vestem, & datum indumentum honoris, & gloriæ: sicut corpus Christi, quod est Ecclesia, adversario in fine temporum superato a luctu peregrinationis in gloriam assumitur: porro figura rem non excludit, sed supponit, ut sup. dictum est ad 6.

Ob. ultimo. Apocalyps. 12. Michaeli tribuuntur characteres Filii Dei; nam v. 5. narratur, mulierem sole amictam peperisse filium masculum, *qui recturus erat gentes in virga ferrea*; & v. 11. *& ipsi vicerunt eum*, draconem, *propter sanguinem agni*: ergo &c.

R. neg. ant. Ad prob. neg. cons. Ibi enim uterque, agnus nempe & filius masculus, quem peperit mulier, a Michaele secernitur, qui cum dracone pugnavit. Deinde ille filius masculus, quem inter magnos cruciatus peperit mulier, non Christum, sed fideles designat Spiritus S. virtute repletos, quos inter immanes persecutiones Christo peperit S. mater Ecclesia. Dicitur autem hic filius *recturus gentes in virga ferrea*, quia de singulis Christi fidelibus dicitur

Apoc. 20. v. 26. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea*, quod reapse impletum est Constantino imperante, cum restituta Ecclesiæ pace, superatisque tyrannis, fideles dominari cepere. Nihil ergo ibi de Michaele, qui ab agno, ac filio mulieris perspicue secernitur. Is ergo a Dei Filio, non secus ac Gabriel a Spiritu S. secernitur, quod contra Novatores erat demonstrandum.

CAPUT II.

An angeli ex spiritu, ac corpore constent?

PLATONICI, quibus Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Methodius, Cassianus, aliique adhæsere, licet a Vellosillo excusentur, angelos æthereis, subtilibusque corporibus instructos esse docuere, ut refert S. P. A. l. 8. de C. D. 16., contra quos sit

PROPOSITIO. Angeli extensione corporea natura sua carent.

Prob. I. Scripturis. Ps. 103. habetur: *Qui facit angelos suos spiritus;* Ps. 102. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus:* atqui spiritus, cum de rebus existentibus absolute dicitur, incorpoream substantiam significat, ut Jo. 4., *Spiritus est Deus:* ergo angeli sunt incorporei. Prob. min. Corporea namque substantia, cui spiritus jungitur, ut homo, non dicitur *spiritus*, sed *habens spiritum*. Dicitur enim *spiritus hominis*, non *spiritus homo*. Nec *potestas*, aut *virtus* absolute dicitur, sed habens potestatem, aut virtutem: atqui angeli dicuntur absolute spiritus, virtutes, & potestates: ergo carent corpore.

Prob. II. ex Conc. Later. IV. Ait enim c. 1.: *Creator omnium utramque de nihilo condidit creaturam, spiritalem, & corpoream, angelicam, & mundanam.* Atqui concilium nomine *mundanæ crea-*

creaturæ res mere corporeas intelligit: ergo per τὸ *spiritalem* exprimit res mere incorporeas.

Prob. III. ex PP. Nyssenus Or. 3. ait: *Omnis rationalis natura dividitur in incorpoream, & corpoream. Incorporea est angelica, altera nos sumus homines.* Et l. 12. contra Eun. Angeli naturam vocat νοητὴν καὶ ἀσώματην, *rationalem & incorpoream.* Ita dæmonem vocat hær. 26. Epiphanius. Chrysostomus l. 1. ad Stagirium; *Fecit angelos, archangelos, & reliquas incorporeorum substantias.* Mitto Titum Bostrensem, Didymum, Eusebium &c. Ex Latinis Greg. M. 4. Mor. 9.: *Angelus solummodo spiritus, homo vero spiritus est, & caro.* S. Leo ep. ad Thurib. 6. ait, *Veram fidem omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporearum bonam confiteri substantiam:* ergo &c.

Prob. IV. ratione. I. Deus mundum perfectum condidit: atqui res mere corporeas produxit, & hominem ex corpore, & spiritu compositum: ergo res etiam mere spiritales produxit. II. Angelus vel est purus spiritus, vel merum corpus, vel constat utroque: atqui non secundum, nam brutus esset, nec tertium, esset enim dissolutione mortalis: ergo primum. III. Si angelus corpus esset etiam tenuissimum, in uno homine stare non posset integra legio, hoc est 6000. dæmoniorum, Luc. 8., nec remotissimas aeris regiones posset uno ictu pervadere: ergo &c.

Ob. I. Angeli fœminis permiscentur: ergo aut sunt, aut habent corpora. Prob. ant. I. ex Græca versione, quæ habet: *Videntes angeli Dei &c. acceperunt sibi uxores.* II. ex historiis, quæ docent, Merlinum Britannum natum e dæmone ex virginis stupro, Hunnos e Gothorum fœminis a Faunis gravidatis; & Antichristum e dæmone nasciturum censent aliqui: nam jaciunt dæmones semina, quibus animalia gignuntur. III. ex script. Gigantes enim ex angelorum concubitu orti sunt: ergo angeli sunt corporei.

 R. neg.

R. neg. ant. Ad I. prob. neg. ant. Hebræa enim, & vulgata lectio habet: בני־אלהים *Ben Elohim*, *Filii Dei*, quod nomen Principibus, Judicibus, & Patriarchis tribuitur Exod. 7., & Pf. 81.: *Filii Dei* ergo, *qui filias hominum acceperunt fibi uxores*, funt filii Patriarcharum, penes quos fumma erat auctoritas. *Filiæ hominum* funt mulieres de ftirpe Cain, quæ utpote carnales fola terrena cogitabant. Nec omnes Græci codices LXX. habent *angeli Dei*; *nam quidam filios Dei habent*, ait S. P. 15. C. D. 23. Quæ lectio probatur a Cyrillo l. 9. contra Jul. Ad II. neg. ant. Falfæ enim funt hiftoriæ productæ: fed etii veræ effent, refpondetur, dæmones excifo aliunde femine homines procreaffe. Angeli enim ex Matth. 22. *non nubent*, *neque nubentur* Ad III. neg. ant. Gigantes enim ex ordinariis parentibus oriri poffe, ait S. P. 15. C. D. 23. Ac Romæ fœmina gigantea ex pufillis parentibus orta eft. Sed hac de re alibi.

Ob. II. VII. Synodus ftatuit, *angelos pingi oportere*, quoniam circumfcripti funt, & hominum fpecie apparuere, ait Tarafius a Synodo laudatus: ergo &c.

R. dift. ant. Circumfcripti funt &c. proprio, & naturali corpore, neg.; extraneo, & affumpto, conc. Scopus enim Synodi erat definire contra Iconomachos angelos effe pingendos. Num vero proprio, an alieno corpore fint circumfcripti, non exprimit ibi Synodus, fed in profeffione Fidei ait: *Veneramur imagines corporeorum angelorum, qui figura humana apparuerunt.*

Inft. Synodus probavit Joannis Theff. fententiam, qui ait, angelos effe corporeos: ergo &c.

R. dift. ant. Probavit quoad aliqua, conc.; quoad omnia, neg. In eo ergo probavit, quod ait, angelos effe pingendos, quia humana fpecie apparuere, non autem in eo, quod ait, effe corporeos; nam alibi oppofitum profitetur.

Ob. III. Angelos effe corporeos cenfent Jufti-

nus,

nus, Clemens Alex., Tertullianus, Cyrillus, Caſſianus, Hilarius, & S. P. A. 2. de Trin. 7., in Pſ. 85., l. 21. C. D. 10., & 1. Retr. 26.: ergo &c.

R. neg. conſ. Licet enim quatuor ex cit. PP. Platonem ſecuti fuerint, oppoſitum tamen alii PP. docent, & Lateran. Concilium ſupra cit. Hilarius autem, & Caſſianus angelos corporeos ſtatuunt eo ſenſu, quo ex Auguſtino ep. 28. anima corpus eſt, quia *potentialitatem* habet, neque incommutabilis eſt, ut Deus. Auguſtinum vero in hac quæſtione hæſitaſſe, ſcribit (a) Noriſius. Cum enim ſcripſiſſet 21. C. D., eſſe *quædam dæmonibus corpora*, ait ib., *Si quiſquam nulla habere corpora dæmones aſſeverat, non eſt de hac re certandum:* & ep. 95., *Sive habeant*, inquit, *angeli corpora*, *ſive quiſquam poſſit oſtendere quemadmodum corpora non habentes gerere illa omnia potuerint.* Licet autem in primam ſententiam inclinaverit S. P. A., ab ea tamen receſſiſſe putandus eſt, tum quia in Pſ. 103. ait, angelos eſſe *natura ſpiritus*; tum quia ait ib., eos animam non habere, ideſt formam ſpiritalem materiam vivificantem. Atqui S. P. non credidit angelos omnino corporeos: ergo credidit eſſe omnino ſpiritales. Si velis, Auguſtinum ſemper ea de re dubitaſſe, ſummam ejus prudentiam miraberis, qui de perplexa quæſtione hinc inde diſputavit.

Ob. III. Dæmones cruciantur igne corporeo, & fugantur ſonitu Davidicæ citharæ, fumo fellis, & carmine magico φεύγετε κανθαρίδες 2. Alliciuntur etiam cibis, nidore, ſuffimentis &c.: ergo ſunt corporei.

R. ad I. diſt. ant. Cruciantur, & fugantur virtute divina, conc.; nativa, neg. De carmine magico agemus inferius. Ad II. diſt. ant. Alliciuntur, *ut animalia cibis*, neg.; *ut ſpiritus ſignis* divini honoris,

(a) 4. *Vindic.* §. 7.

honoris, quem affectant, conc. Ita S. P. 21. C. D. 6.

Quæres: An de fide sit angelos esse incorporeos?

R. negative. Licet enim oppositum sentire ob definitionem Concilii Lateran. temeritas videatur; id tamen nec de fide esse, nec invicte probari posse, docent eruditi. Concilium enim statuit solummodo, creaturas omnes spiritales, & corporeas a Deo factas esse, contra Albigenses, qui plures a Deo malo conditas esse cum Manichæis delirabant. An vero spiritalia tenuissimo, aut aereo corpore constent, Concilium non definisse censet S. Th., Sixtus Senen., & Estius. Neque id invicte ex scripturis ac ratione ostenditur. Angeli enim dicuntur spiritus per synecdochen, ut homines *animæ* dicuntur, quemadmodum docet S. P. ep. 95.; & legio, de qua Lucæ 8., pro indefinita multitudine usurpatur.

CAPUT III.

Quo sensu angeli mortales dicantur, & immortales.

NOT., mortale tripliciter dici posse: I. Mortale dicitur, quod subest mutationi. Siquidem *omnis mutatio*, ait S. P. contra Maxim. 12., *est quædam mors*, qua res desinit quodammodo esse. Hoc sensu angeli sunt mortales, quia de loco in locum, de operatione in aliam transeunt. II. Mortale dicitur, quod a Deo in nihilum redigi potest, quo sensu angelus, ex Damasceno 2. Fide, *immortalis est, non natura, sed gratia; nam initium habuit, & desinere suapte natura potest.* III. Denique mortale dicitur, quod ab alio immortalitatem accepit, idest voluntate creatoris, non propria natura. Hoc pacto solus Deus est immortalis, quia solus ex natura sua, non ex alterius voluntate est immortalis.

PROPOSITIO I. Angeli dici possunt multimode mortales.

Prob.

Prob. Mortale dicitur quod eſt mutabile, ex nihilo productum, & vivit ex Dei voluntate: ſed tales ſunt angeli ex dictis: ergo pici poſſunt mortales.

Propositio II. Sumpta immortalitate pro permanentia ſubſtantiæ, angeli ſunt natura immortales.

Prob. I. ex Patribus. Auctor lib. de div. nom. l. 2. c. 4. ait, *intellectuales ſubſtantiæ indeficientem vitam habent.* Athanaſius, & Hilarius eos vocant *immortales, & in æternum manentes.* Maximus M. 2. Cor. ait, *quæ non videntur, æterna eſſe.*

Prob. II. ratione. I. Angeli ſunt incorporei: ergo nequeunt diſſolutione partium interire. II. Angelica ſubſtantia eſt forma per ſe ſubſiſtens; nam nec gignitur, neque ex materia conflatur: ergo non eſt corruptibilis, neque per accidens, ſeu per diſſolutionem alterius, nec per ſe, quia exiſtentia illi per ſe competit. III. Angeli ſunt incorruptibiles: ergo interire non poſſunt, niſi per *annihilationem* ſui: atqui nulla creatura redigi poteſt in nihilum, niſi cauſa extrinſeca, ut Deus, ei ſubtrahat conſervationem: ergo &c.

Ob. I. Ap. 1. Tim. 6. ait, *Deus ſolus habet immortalitatem:* ergo &c. R. diſt. ant. *Deus ſolus habet* &c. natura, & a ſe, conc.; aliunde, aut ex gratia, nego. Ut enim ait Hieron. Comment. in hunc locum, *Quomodo ſolus habere dicitur immortalitatem, cum & angelos fecerit, quibus dederit immortalitatem, ita ſolus dicitur verax, non quod cæteri & immortales & veraces non ſint, ſed quod ille ſolus ſit naturaliter, cæteri vero ex illius dono.*

Ob. II. Hieron. ib., Cyrillus, & Damaſcenus docent, angelos *ex gratia* aut *dono* eſſe immortales: ergo non ſunt per ſe.

R. diſt. ant. *Ex gratia* creationis, aut conſervationis, concedo; ſupernaturalis auxilii, nego. PP. ergo gratiæ nomine non ſupernaturale auxilium intelligunt, ſed donum creationis, quod creaturæ non exiſtenti erat indebitum.

Ob. III. Angeli ſunt ex nihilo: ergo ad nihilum tendunt. R. diſt. conſ. Tendunt per ſe, & intrinſece, neg.; extrinſece, conc. Angeli enim, utpote incorruptibiles, non per ſe, ſed ſola externa cauſſa, nempe Dei omnipotentia, in nihilum redigi poſſunt: ergo &c.

CAPUT IV.

De differentia angelorum.

Quid angeli *inter ſe differant*, fatetur ſe neſcire S. P. A. Neque una eſt ea de re Scholaſticorum opinio. Cenſent nonnulli, eos differre ſpecie & eſſentia, alii numero & qualitate, alii demum & numero & ſpecie. Sit itaque

Propositio I. Nil obſtat, plures angelos in eadem ſpecie multiplicari.

Prob. I. ex Auguſtino, qui l. 3. de lib. arb. 12. ait, Deum potuiſſe, *etiamſi peccaſſent omnes angeli, alios creare, quos in iiſdem ſedibus collocaret:* ergo poteſt angelos in eadem ſpecie multiplicare. Prob. conſ. Dei providentia largiri poteſt aliis angelis eandem gratiam, & gloriam: ergo omnipotentia eandem naturam poteſt impertiri. II. S. P. A. & Damaſcenus ajunt, ſe neſcire, an angeli *æquales ſint ſecundum ſpeciem, ſive differentes:* ergo hæc æqualitas non eſt impoſſibilis.

Prob. II. ratione. Angelorum ſubſtantia finita eſt: ergo alias admittit ſubſtantias. Prob. conſ. Ideo ſubſtantia Dei aliam excludit, quia eſt infinita: ergo ſubſtantia finita angelorum multiplicari poteſt. II. Quia angelorum eſſentia finita eſt, in plures ſpecies dividitur a Thomiſtis: ergo in plura individua eadem ratione dividi poteſt. III. Animæ rationales, quia finitæ, in eadem ſpecie multiplicantur: ergo & angeli.

R. Thomiſtæ, animas multiplicari ratione ordinis ad corpus, ſine quo differentia numerica haberi nequit. Sed facile refelluntur. I. enim poteſt Deus ani-

animas conservare extra corpora: ergo & eas condere absque ordine ad corpus. II. Hic ordo non efficit individuationem, sed supponit; prius enim concipimus, rem esse in se, quam dici ad aliud. III. Ideo anima est *multiplicabilis* in corpore, quia ab eo habet distinctum existendi modum: sed etiam agens confert rei creatæ esse aliquid distinctum: ergo &c. IV. Homo *individuatur* ex adjunctis figuræ, loci &c.: ergo & angelus ex ejus proprietatibus.

Propositio II. Probabilius est, angelos, non specie, sed qualitate differre.

Prob. I. ex PP. S. Maximus l. Hierarch. Eccl. 5. ait: *Angeli omnes, ut appellationis unius, sic naturæ sunt ejusdem: & in dignitate est differentia; in natura communio. Nam & stella a stella differt in gloria: natura vero omnium est una.* Nyssenus l. 6. ait, decipi, *qui dicit, naturarum differentias in numeratis a Paulo nominibus*, angelorum, *indicari.* Cyrillus Alex. l. 2. in Jo. ait, angelos, *cum omnes sint ejusdem speciei, in unam naturam colligari.* Idem docent Paschasius l. 2. de Sp. S., Gelasius contra Pelag., aliique: ergo angeli specie non differunt.

Prob. II. ratione. Docent PP., angelos differre tantum ordine, aut dignitate: ergo non specifice differunt, sed accidentaliter. II. In rebus a sensu remotis magis auctoritati, quam rationi standum est, ut in hac quæstione monet Petavius: ergo &c. III. Tom. 25. Bibl. PP. damnata dicitur a Stephano Paris. hæc propositio: *Quia intelligentiæ non habent materiam, non potest Deus plures ejusdem speciei facere:* ergo &c.

Ob. I. Quod differt forma, differt specie: sed angeli sola forma differunt: ergo sola specie. R. dist. ant. Quod differt forma essentiali, & specifica, ut forma hominis a forma equi, concedo; quod differt forma accidentali, idest ordine, & qualitate, ut angeli, neg.

Ob. II. Forma, quæ recepta non eſt, indiviſibiliter exiſtit: ſed talis eſt forma angeli: ergo &c. R. diſt. maj. Si hæc forma non recepta ſit infinita, ut Deus, vel indefinita, ut formæ abſtractæ, e. g. albedo, rationalitas &c. conc.; ſi ſit ab agente determinata, ut omnis ſubſtantia a Deo producta, neg. Hæc enim, licet a corpore divulſa ſit, in plura individua dividi poteſt, dummodo non ſit infinita.

Ob. III. Decuit plures ſpirituum ſpecies condi, non ſecus ac corporum: ergo differunt ſpecie. R. I. neg. ant. Id enim decuit, quod Deo placuit. R. II. neg. paritatem. Plures enim ſpecies corporum neceſſariæ erant homini, cujus gratia conditæ ſunt. At plures angelorum ſpecies neque ad Dei laudem neceſſariæ erant, neque ad hominis tutelam; id enim præſtat ſola differentia ordinis, & dignitatis.

CAPUT V.

De angelorum numero ac multitudine.

Angelorum numerum permagnum eſſe, conſtat ex Dan. 7., & Apoc. 5., ubi habetur: *Erat numerus eorum millia millium*, ideſt quaſi infinita multitudo, ut exponunt Cyrillus, Dionyſ., & Chryſ. Cum ergo dicitur Tob. 12.: *Raphael unus ex ſeptem, qui adſtant ante Deum*, non innuitur angelos eſſe numero ſeptem, ſed ſeptem eſſe veluti principes cæterorum, qui ſublimiori gradu throno Dei adſtant. Subdit enim Joannes, *Et audivi vocem angelorum multorum.* Cenſet S. Th. q. 50., Angelorum numerum, nedum hominum, ſed etiam corporum numerum excedere; quo enim res ſunt perfectiores, *tanto in majori exceſſu ſunt creatæ a Deo:* ex quo ſequeretur, majorem eſſe hominum, & angelorum numerum, quam arenarum. Sit ergo

Propositio. Angelorum numerus non videtur

detur major numero hominum. Sed hoc eſt incertum.

Prob. I. pars. Nam Lucæ 20. de prædeſtinatis dicitur, *Æquales angelis ſunt.* Ad quæ verba ita S. P. A. Ench. 29. *Hoc promiſſum eſt reſurgentibus ſanctis, quando erunt æquales angelis Dei. Ita ſuperna Jeruſalem nulla civium ſuorum numeroſitate fraudabitur:* & l. 12. C. D. 1.: *Tantum populum per gratiam ſuam collegit, ut ſuppleat partem, quæ lapſa eſt angelorum.* Idem docet Gregorius hom. 34. Ex quibus ſic theſis prob. II. ratione. Nam prædeſtinatio hominum ex Anſelmo, atque Iſidoro inſtituta eſt ad inſtaurandum numerum civium ſupernorum, a quo angeli apoſtatæ exciderunt: ſed horum numerus, licet incertus, minor eſt iis, qui ſteterunt, ut evincitur ex Apoc. 12., *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum*, quæ verba ex Victorino, aliiſque alludunt ad angelorum ruinam: ergo angeli ſunt hominibus pauciores. Prædeſtinati enim aut æquant, aut excedunt numerum angelorum ſanctorum, reprobi vero, qui electis ſunt longe plures, excedunt etiam dæmonum numerum, qui angelis ſanctis pauciores ſunt: ergo &c.

R. Vaſqueſius. Incertum eſt, an tot homines ſint in angelorum ſedibus locandi, quot ex iis cecidere: ergo &c. Sed fallitur; niſi enim tot ſaltem homines ſalvi fierent, quot angeli periere, ſuperna Jeruſalem civium numero fraudaretur: ergo aut ſalvandi plures erunt, aut æquabunt angelos perditionis.

Prob. II. pars ex S. Thoma q. 50., aliiſque, qui docent, angelos plures eſſe, quam corpora. Et licet de ſpecierum corporearum numero S. Thomam exponat Cajetanus; id tamen nec certo probari poteſt, nec refelli.

CAPUT VI.

De tempore, ac loco, quo angeli producti sunt.

Angelos ante hunc mundum conditos esse, ex Græcis PP. plurimi tradidere; Rupertus vero, & aliquando S. P. A., in superiori aeris parte productos. Communior opinio est, eos una cum rebus visibilibus creatos esse. Sit itaque

Propositio I. Probabilius est, angelos una cum rebus corporeis conditos fuisse.

Prob. I. scripturis. Gen. 1.: *In principio creavit Deus &c.*: atqui τὸ *In principio* ita communiter accipitur, ut Deus nihil antea creaverit, ut docet S. P. 11. C. D. 6.: ergo &c. Exod. 2. *Sex diebus fecit Dominus cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt:* ergo angeli, qui cæli, terræ, aut maris ambitu continentur, ante cælum, terram &c. non fuere.

Prob. II. ex PP. Augustinus angelos vocat lucem primo die a Deo conditam lib. 5. de Gen. ad l. 19., & lib. Imperf. c. 5. ad ea verba *Fiat lux*, ait, *Facta lux est sive corporea, sive incorporea.* Et l. 11. C. D. 23. *In principio creavit Deus cælum, & terram, quibus universalis est significata creatura, vel spiritalis, & corporalis, quod est credibilius, vel duæ mundi partes* &c. Atqui *lux incorporea, & creatura spiritalis* est angelus: ergo &c. Epiphanius hær. 65. ait, *Divinus sermo declarat, neque post sidera productos angelos, neque ante cælum, terramque.* De aliis infra.

Prob. III. ratione. Vel angeli creati sunt multis sæculis ante mundum, vel paulo ante. Si primum, aut statim peccarunt, aut perseverarunt: si peccarunt, quonam loco detenti sunt, cum nondum aer esset, aut terra? si steterunt: ergo cum angelis sanctis in gratia confirmati sunt. Si paulo ante creati sunt, ruit ergo Græcorum fundamentum, qui eos putant longe ante creatos, ut Dei laudes præcinerent.

Pro-

Propositio II. Superior ſententia ad fidem non ſpectat.

Prob. I. ex S. Thoma, qui floruit poſt Concilium Later., a quo oppoſitam ſententiam proſcriptam eſſe, cenſet Velloſillus, aliique. Is ergo q. 61. art. 3., quamvis eam non eſſe probabilem exiſtimet, ait tamen *non eſſe reputandam erroneam præcipue propter ſententiam Gregorii Nazianzeni.* Quod judicium probat Genebrardus, Eſtius, Petavius, aliique, qui Concilii verba accurate expenderunt.

Prob. II. ratione. I. Græcorum opinio ab Origeniano errore (quem in Lateran. Synodo proſcriptum putant adverſarii) quam longe abeſt. Fatentur enim Græci PP., Deum eſſe creatorem omnium, neque angelos ob crimina in corpora detruſos: ergo ab ea cenſura immunis eſt Græcorum opinio. II. Illud *initio temporis* & τὸ *ſimul* oſtendit ſolum, ex ea Synodi definitione angelos non extitiſſe ab æterno, ac Deum utramque creaturam *ſimul*, ideſt *pariter* condidiſſe, ut quidam exponunt locum Eccli 18., *Creavit omnia ſimul*: atqui utrumque agnoſcunt Græci PP.: ergo eos non reſpicit Lateranenſis proſcriptio. III. Græcorum opinio nec ſcripturis, nec traditioni adverſatur: ergo &c. Prob. ant. Nam loca Geneſ. 1., & Exod. 20. de creatione corporum exponi poſſunt: traditio autem Græcis favet. Quippe cum iis ſentiunt Nazianzenus (*a*), Damaſcenus (*b*), Auctor Div. nom., Maximus, Nicetas, aliique apud Petavium (*c*); ex Latinis Ambroſius 1. Hexam., Iſidorus l. 1. de ſummo bono, Hieronymus, Beda &c.: ergo &c.

Propositio III. Nec ad fidem ſpectat, nec certum eſt, angelos fuiſſe in empyreo creatos.

Prob. Id enim non eruitur manifeſte neque ex illo Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer*, quod

(a) *Or.* 33. (b) *L.* 2. *c.* 3.
(c) *L.* 1. *de Ang.* 15.

quod vel de Rege Babylonis dictum est (habetur enim ib. *sume parabolam contra regem Babylonis*), vel si de casu diaboli cum Gregorio accipiatur, *de cælo*, hoc est de suprema aeris regione cecidisse dici potest: ergo &c. Neque ex illo Luc. 10.: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*, quod quidem de potestate dæmonis ante Christi adventum exponunt Euthimius, & Theophylactus: ergo non de cælo empyreo. Neque ex Apoc. 12. *Factum est prælium in cælo.* Nam ex eo non sequitur, angelos in cælo productos esse, sed eo conscendisse, juxta illud Is. 14. *In cælum conscendam:* ergo &c. Potest etiam exponi de cælo *SS. Trinitatis* cum S. Thoma, vel de Ecclesiæ oppugnatione.

II. Non probatur ratione Thomistica, quæ docet, angelos in summo cælo creari debuisse, quia præsunt toti naturæ corporeæ; nam cum alii cælestibus, alii sublunaribus præsint, sequeretur, angelos varias stationes in sua creatione sortitos, quod nemo concedet. Censet ergo S. P. A. 3. de Gen. ad l. 10., angelos in superiori aeris parte creatos esse, quam cælum recte dicimus, ut rorem, & volucres cæli. Quæ opinio probabilis est, non certa, aut de fide.

Ob. I. Cassianus Collat. 8. 7. ait, Deum creationem a mundo non inchoasse, *quasi innumeris sæculis fuerit otiosus:* ergo prius angeli creati sunt. Prob. ant. Nam Job. 38. habetur: *Quando facta sunt sidera, laudaverunt me omnes angeli mei:* atqui non laudassent, nisi prius extitissent: ergo &c. II. Greg. 28. Mor. 7. ait: *Quia prima in tempore condita natura spirituum creditur, astra matutina angeli vocantur:* ergo &c.

R. neg. cons. Nam Cassiani argumentum nimis probat, nempe angelos esse æternos; frustra ergo sæcula, ac tempora ante mundi creationem exquiruntur, quam sola præcessit æternitas, in qua fingi nequit, Deum ipsum de quiete ad operationem transire. Ad prob. neg. min. Nam etiam admissa lectio-

lectione lxx. (quæ differt a vulgata, ubi legitur *filii Dei*) angeli potuere in primo suæ creationis instanti laudare Deum, cum in sapientia conditi fuerint; & quarta die, cum astra die quarta producta sint, poterant astrorum productioni interesse, & Deum laudare. Ad II. neg. cons. Nam Gregorius expresse docet, angelos productos in tempore primo quidem, idest mane primæ diei, ut notat Gazæus.

Ob. II. Job. 40. de Behemoth dicitur: *Ipse est principium viarum Domini*: sed Behemoth juxta plures interpretes est dæmon: ergo is ante omnia creatus est. II. Ap. ad Tit. 1. ait, vitam æternam fuisse promissam *ante tempora sæcularia*: ergo ante mundum aliæ creaturæ extitere.

R. ad I. neg. min. Behemoth enim, idest *fera ferarum*, est elephas, cujus mansuetudo homini proponitur imitanda: dicitur autem *principium* &c., idest summus animalium juxta hebraicam phrasim. Si pro dæmone accipias, est initium viarum &c., quia spectat ad lucem matutinam primæ diei, ut ait Gregorius Magnus. Ad II. neg. cons. Nam *ante tempora sæcularia* significat, ab æterno vitam fuisse prædestinatam, ut exponunt Chrysostomus, Anselmus, & S. P. A.

Ob. III. Græci Patres oppositum docent: ergo &c. Prob. cons. Deus enim non fecit angelos propter hominem, sed propter se: ergo angelorum productionem differre non debuit: *Decebat enim*, ait Damascenus l. 2. c. 3., *primum intelligibilem substantiam creari, tum sensibilem, ac demum ex utraque compositum hominem.*

R. I. neg. cons. In hac enim quæstione adiaphora non opus est omnium Patrum consensu. R. II. dist. ant. Oppositum docent aliqui, conc.; omnes, nego. Nam præter Epiphanium, nobiscum sentiunt Theodoretus, Basilius, aliique apud Petavium. Ad prob. dist. ant. Non fecit primario propter hominem, conc.; secundario, neg. Creaturæ omnes

omnes primario in Dei gloriam productæ sunt, sed secundario in gratiam totius universi, quem voluit Deus omnium creaturarum generibus exornare. Ad Damascenum R. S. Thomas, tam angelos, quam res corporeas convenire in universi constitutione; non decet tamen partem produci sine toto.

Ob. IV. Angeli creati non sunt nec simul, nec post tempus: ergo ante. Prob. ant. Natura enim angelica impartibilis est: atqui substantia impartibilis eadem mensura durationis existere nequit cum divisibili tempore: ergo &c. R. neg. ant. Ad prob. dist. min. Eadem mensura adæquata, ut simul incipiant, & desinant, conc.; inadæquata, ut eodem instanti incipiant, & spiritalis substantia tota existat, tempus vero aliqua sui parte, neg. min. & cons.

DISSERTATIO II.

De proprietatibus, ac dotibus angelorum.

Angelorum dotes præcipuæ sunt cognitio, locutio, voluntatis arbitrium, corporum assumptio, status, motusque localis, tum gratia, beatitudo, meritum, culpa, pœna, ordines, officia, & mira potestas, de quibus breviter sequentibus capitibus pertractabimus.

CAPUT I.

De cognitione angelorum, & ejus medio.

Angelos, utpote intelligentes substantias, cognitione præditos esse, nemo ambigit: at quo pacto, aut medio eorum cognitio fiat, inquirunt Theologi. Censent aliqui, id fieri per species creatas a rebus acceptas, contra quos sit

Propositio. Angeli non cognoscunt per species rerum, sed per ideas innatas.

Prob. ex Augustino, qui l. 2. de Gen. ad l. 8. ait: *Quemadmodum ratio, qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei, quam ipsa creatura, quæ con-*

conditur; sic ejusdem rationis cognitio, prius fit in creatura intellectuali; deinde ipsa conditio creaturæ. Cujus rei rationem affert l. 4. c. 32., *quia mens angelica, postquam eo ordine creata est, ut præcederet cetera; prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt.* Quod enim cognoscitur, debet præcedere cognitionem: ergo creaturæ priusquam viderentur in se, præcedebant in arte, ideſt in Verbo, in quo sunt rerum omnium archetypa. Fuerunt autem Verbi participes, statim ac angeli facti sunt; tunc enim participes facti sunt incommutabilis lucis, in qua rationes illæ rerum continentur; quare lux ipsa, angelorum menti affulgens, est medium angelicæ cognitionis: ergo non cognoscunt objecta per species a rebus acceptas, sed per innatas. Ita S. Thom. q. 55. art. 2.

Ob. Si Angeli fuissent statim participes lucis incommutabilis, fuissent statim beati: atqui tales non fuere, nisi post ruinam malorum angelorum: ergo &c.

R. dist. maj. Si ea lux affulsisset, ut lumen gloriæ, conc.; ut lumen rationis, & gratiæ, nego. Angeli enim videntes in Verbo rationes rerum, non exinde beatifica Dei visione fruebantur, quia incommutabilis lucis participes facti sunt non ea plenitudine, quæ tanta claritate sese manifestat, ut nequeat inde cognitio divelli, sed solo naturæ lumine, vel sub aliqua mysteriorum caligine, prout est supernaturalis cognitionis principium.

Itaque per Augustinum angelorum cognitio sic agitur. Divinæ lucis participes statim effecti a Deo se productos noverunt, ejusque existentiam, & attributa rationis aut gratiæ lumine percepere. Hac ipsa luce & se, & creaturas alias noverunt: sed quia lux illa *prædicata essentialia*, non *accidentalia* exhibet creaturarum, ut hæc etiam angeli agnoscant, opus est, ut lux illa universalis in angelo ab objecto determinetur ex rerum præsentia, quia in idea, seu ratione intelligibili rerum ipsarum

 non

non relucent *prædicata accidentalia*. Hinc patet, cur, licet Deus creaturas in se ipsis absque ullo medio percipiat, ejus tamen cognitio non *vesperascit*, quia nempe rerum præsentia non coarctatur: nec ideo videt creaturas, quia factæ sunt, cum omnes videat, priusquam fierent, in sua æternitate.

Quæres, quid sit matutina, aut vespertina cognitio?

R. Prima est rerum cognitio in propria natura existentium, cujus prædicata accidentalia percipiuntur per ideam ingenitam ad particularia determinatam ex eorum præsentia, nondum addito ordine relationis in Deum: secunda est, cum scientia angelorum non remanens in creatura, refertur ad Deum, in cujus luce sunt æternæ rerum faciendarum rationes. Sed de his plura infra.

CAPUT II.

De angelicæ cognitionis objecto.

Quæcumque intellectus angelicus cognoscere potest, spiritales nempe, & corporeæ substantiæ, secreta cordium, futurorum eventus &c. sunt angelicæ cognitionis objectum. Spiritales enim substantias, Deum nempe, quoad existentiam, & attributa, quæ proxime ex idea Dei consequuntur, se ipsos, & animam rationalem, sicut visibilia omnia, ab angelis cognosci posse, norunt omnes. An vero etiam occultas cogitationes, & secreta cordium introspiciant, quæstio admodum perplexa est, sive legem dirigendæ cognitionis angelicæ statuas cum Augustino in participatione divinæ lucis, sive in creata specie cum Scholæ Theologis. Sit ergo

Propositio. Angeli secreta cordium ignorant, cujus rei plures sunt conjecturæ.

Prima pars, quæ prope ad fidem accedit, contra Harvæum &c. prob. I. Scripturis. III. Reg. 8. habetur, *Tu nosti solus cor omnium*. Jerem. 12. *Pravum*

vum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor. Ap. Heb. 4. Verbo Dei tribuit, quod sit *discretor cogitationum cordis.* Quae loca etiam de cogitatione praesenti, quam solus Deus novit, accipienda sunt, tum quia indiscriminatim scriptura loquitur, tum quia 3. Reg. de praesenti cogitatione eorum, qui Deum orant, fit sermo.

Prob. II. ex PP. Chrysostomus hom. 4. in Matt. ad ea verba, *Haec autem eo cogitante*, ait, *Solius Dei est arcana cordium nosse:* atqui Josephi cogitatio praesens fuit: ergo solus Deus cogitationes etiam praesentes scrutatur. II. Quae Nathanael habebat in corde, erant praesentes: atqui ex iis Christi divinitatem agnovisse Nathanaelem, ait Cyrillus Alex. l. 1. in Joan. *Quia noverat solum Deum esse scrutatorem cordium, nec ulli alteri homini mentem patere.* Idem docent Ambrosius (a), Hieron. (b), & S. P. A. in Ps. 41. *Quid intus velit, quid nolit homo, quis comprehendet?* & de S. Jobo ait: *Quo corde fiebat* (eleemosyna) *nemo sciebat, nec ipse diabolus, sed Deus sciebat:* atqui praesens erat Jobi intentio, cum eleemosynas faceret: ergo &c. Hinc Fulgentius, aliique PP. hoc argumento Christi divinitatem comprobarunt.

Prob. III. ex conjecturis. I. est Scoti, qui ait, liberas cogitationes esse objectum proportionatum menti angelorum, nec posse dignosci, quia Deus subtrahit suum concursum. Sic ignis Babylonicus, licet ad comburendum *proportionatus*, ob eam caussam tres pueros non combussit. Sed a Scoto petimus: cur Deus, praeter morem, hac in re deneget concursum: an miraculo id fiat?

II. est S. Thomae, qui q. 75. art. 4. ait, latere haec secreta, *quia voluntas soli Deo subjacet, & solus in eam operari potest, cum sit ejus principale objectum, & ultimus finis.* Recte id quidem: sed cur non per-

(a) *In Luc.* 5. (b) *In Matth.* 9.

percipimus eas cogitationes, quæ non in Deum, ſed in alium, & quandoque etiam contrarium finem referuntur? Vide Auctorem.

III. eſt Ariminenſis, qui in 2. diſt. 9. q. 1. ait, occulta ignorari, quia deeſt modus, quo ad angelorum mentem perveniant; ad hoc enim opus eſt, ut intellectivæ facultati proxime inhæreant, nec ſufficit objecti, ac potentiæ propinquitas. Sed hæc opinio ſolis Peripateticis probari poteſt. Deinde nequit intelligi, cur ſenſibile ſuæ potentiæ debitæ proximum *vicaria ſpecie* illam vellicet, excitetque, nec id præſtet objectum intelligibile cum intellectu.

IV. eſt Auctoris, qui docet, angelos naturaliter noſſe alios cogitare, non vero quid cogitent. Cur autem ignorent, erit fortaſſe, quia objecti præſentia ideam innatam determinat ad percipiendam dumtaxat rei exiſtentiam, non modificationem, quæ cum illa neceſſariam non habet connexionem, ut ſunt liberi animi affectus. Sicut enim vox hominis, ſi ſit indifferens ad plura ſignificanda, audio loquentem, ſed quid loquatur, ignoro; ita angelus cogitantem intelligit, an hoc, vel illud cogitet, neſcit. Verum cum pauci ſint humanæ voluntatis effectus, qui ex motu ſpirituum, notiſque externis non prodantur; & nos ipſi aliorum interiores motus, iram, mœrorem, gaudium &c. ex vultu agnoſcamus; multo magis cognoſcent angeli Socrate ipſo perſpicaciores, quem *Phyſiognomon* nonnulli dixere.

Ob. I. Ex Greg. 3. Mor. In beatitudine reſurgentium *unus homo erit perſpicabilis alteri, ſicut ipſe ſibi*: atqui angelus id poteſt, quod homo beatus: ergo &c. R. diſt. maj. Erit *perſpicabilis &c.* ſi libere pandat cogitationes ſuas, conc.; ſecus, neg. Ait ergo Gregorius, in reſurrectione corpus ipſum lucidum fore, neque ejus opacitatem officere, quin abſcondita cordium videantur in patria, ubi cives libere

libere invicem ſecreta pandent, & ex abundantia cordis loquentur.

Ob. II. Baſilius de Virg. ait, angelos videre quod virgo cogitat: ergo &c. R. diſt. ant. Si per ſigna ſe prodat exterius, ut ſunt cogitationes impuræ, quas carnis titillatio conſequitur, conc.; ſecus, nego.

Ob. III. Diabolus Jo. 13. *introivit in cor* Judæ, & Ananiæ ex Act. 7.: ergo ſcrutatur corda. R. diſt. ant. *Introivit* per ſuggeſtionem, conc.; per cordis penetrationem, neg. *Miſſio iſta*, ait S. P. Tr. 55. in Jo., *ſpiritalis ſuggeſtio eſt, nec fit per aurem, ſed per cogitationem, non corporaliter, ſed ſpiritaliter. Sed quomodo fiat, unde ſcit homo?* Probabile eſt tamen fieri affectione ſenſuum, ac motu ſpirituum animalium.

Ob. IV. Homines callidi, ac verſuti aliorum cogitata introſpiciunt: ergo & angeli. R. diſt. ant. Si externo ſigno prodantur, conc.; ſecus, neg. Vide R. ad II. Hinc S. P. de Div. Dæm. 5. ait, eos *etiam cogitatione concepta, cum ſigna exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcere.* Nec obſtat quod ait 2. Retr. 30., ubi ea de re hæc habet, *Rem dixi occultiſſimam audaciore aſſeverantia, quam debui.* Non enim dubitat S. P., quin angeli ſecreta ſignis expreſſa cognoſcant, ſed an ea ſenſibili, aut ſpiritali virtute percipiant, non definit.

Ob. V. Angelus penetrat hominis phantaſiam: ergo & ſecreta cordis. R. neg. conſ. Phantaſia enim a motione nervorum ſejuncta non eſt, unde impreſſiones quædam in utero prægnantium dilapſæ maculas relinquunt. Ex iis ergo impreſſionibus percipitur quidquid in imaginatione verſatur.

CAPUT III.

An angeli futura cognoſcant, ubi de oraculis, & divinatione.

NOT. I. Alterum angelicæ cognitionis objectum eſt futurorum cognitio, quorum alia ſunt neceſſaria,

ceſſaria, quæ ex neceſſaria cauſſa proveniunt, ut planetarum eclipſes &c.; alia ſunt contingentia, ut pluviæ, morbi, & fortuita omnia; quædam ſunt libera, quæ ex libero pendent arbitrio.

Not. II., Angelos futura neceſſaria certo cognoſcere, niſi a ſuprema cauſſa impediantur. Cum enim natura præditi ſint perfectiſſima, norunt omnia, ad quæ cauſſarum virtus ſe ſe extendere poteſt. Sed quia Deus ſæpe naturæ leges immutat, ſiſtit cæleſtia corpora Joſ. 10., & plura monſtra operatur; non poſſunt angeli abſolute loquendo ea futura certo prænoſſe.

Propositio. Futura contingentia ab angelis certo non prævidentur.

Prob. I. ſcripturis. Iſ. 41.: *Annunciate, quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia dii eſtis vos:* & c. 46. *Nec eſt ſimilis mei annuntians, quæ nondum facta ſunt:* ergo &c. Prob. II. ex PP. Tertullianus Apol. 20. ait: *Idoneum teſtimonium divinitatis eſt veritas divinationis.* Cyrillus 4. in Jo., *Uni ac ſoli Deo futura noſſe convenit:* ergo &c. Prob. III. ratione. I. Futura illa certo videri non poſſunt nec in ſuis cauſſis, cum non ſint determinata, nec in ſe, cum præſentia non ſint; nam ſolus Deus omnia habet in æternitate præſentia. II. Hæc fortuita ſæpe aut ſanctorum precibus, aut impiorum pœnitentia avertuntur, ut Ninivæ everſio, bella, fames &c.: ergo non ea aſſequuntur angeli, niſi per conjecturas. III. Futura libera non habent deſinitam cauſſam, nec fato accidunt, ut probat Ambroſius 4. Hexam., alias fruſtra a legibus præmia, aut ſupplicia decernerentur. Et ſæpe eodem loco, tempore, ac ſemine ſati impares vita, moribus, & exitu fuere, ut Jacob & Eſau: in quorum *actibus tanta fuit diſparilitas, ut etiam inimicos eos inter ſe faceret ipſa diſtantia:* ergo &c.

Ob. I. Gregorius (a), & S. P. A. (b) docent, animæ

(a) 4. *Moral.* 26. (b) *De Geneſ. ad lit.* 13.

animæ a ſenſibus abſtractæ competere, ut futura prævideat: ergo &c. Ant. probat Gregorius exemplo cujuſdam, qui prænuntiavit certum ſui tumuli locum. R. diſt. ant. Ut prævideat *conjecturaliter*, velut e nube pluviam, conc.; infallibiliter, neg. Animæ enim, quæ corpore ſolvitur, vis quædam ineſt percipiendi cæleſtium corporum impreſſionem, ex qua ſcilicet ille a Gregorio laudatus, pluvia imminente præviſa, ſe ad D. Xiſti tumulandum præſenſit.

Ob. II. Gen. 1. habetur, *Fiant luminaria, & ſint in ſigna;* unde infert Origenes, in cælis deſcripta eſſe futura contingentia, & fortuita. Eadem habet liber, qui inſcribitur *Narratio Joſeph*: ergo &c.

R. diſt. ant. In ſigna eventuum neceſſariorum, conc.; contingentium, neg. Falſa eſt etiam Origenis interpretatio, & liber ille eſt apocryphus ex Athanaſio.

Ob. III. Angeli boni, & mali ſæpe futura prænuntiarunt; ergo &c. R. neg. conſ. Quamvis enim *futura nec Dei angeli, nec dæmones norint*, ut ait Damaſcenus (a), utrique tamen *prædicunt: angeli Deo detegente, dæmones, quia, quæ procul geruntur, cernunt interdum ſola conjectura, unde ſæpe mentiuntur.* Quod ſpectat ad idolorum oracula, & divinationes dæmonum.

Not. I. Dæmones æmulatores divinitatis, ut homines ad ſui cultum alliciant, futurorum ſcientiam affectant, & *afflatu ſuo auctoritatem quaſi præſentis numinis conſequuntur, dum inſpirant vatibus, dum fanis immorantur, dum avium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt plura falſis involuta*, ait Minucius in Octavio.

II. Cum ſacerdotes idolorum laudem & lucrum ex oraculis auſpiciiſque captarent, plura ab iis conficta ſunt, cum ea, non palam, ſed in antris, & noctu

(a) *L. 2. de Fid. orth. 3.*

noctu haberentur, ut docent Origenes contra Celſum, Euſebius, Jamblicus, aliique (a), unde ab Alexandro, Hectore, atque Annibale hæc oracula contempta ſunt.

III. Plura etiam adeo fuerunt ambigua, & flexiloqua, *Ut interpres egeat interprete*, ait Tull. de div. 2., ut illud: *Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.*

IV. Quædam etiam inepta fuere, ut cum Atheniensibus reſpondit Oraculum, *ut mœnibus ligneis ſe munirent*, cum Medi in Græciam irrumperent: ideſt, ut in naves ſe, ſuaque conferrent.

V. Aliquando etiam dæmones divinare videntur, & occulta revelant. Cum enim *celeritate volatum avium vincant*, ut ait S. P. de Divin. 3., ſtatim nunciant, quæ in locis remotis eveniunt.

VI. Experientia etiam multa prædicunt, ut ruſtici & ranæ pluvias.

VII. Accipiunt quandoque poteſtatem immittendi morbos, aerem vitiandi &c., ſicque ægritudines, peſtes, ac bella prædicunt, & harum finem, ſi velint a nocendo ceſſare. Sed ſæpe falluntur: *cum deſuper aliquod jubetur, quod eorum conſilia perturbat.* Non ita Deus, qui in ſui diſpoſitione non fallitur.

VIII. Quædam etiam in ſui perniciem prædicunt ex prophetarum vaticiniis, ne videantur ignari, ut templorum ſuorum everſiones, ex Soph. 2., *Attenuabit omnes deos terræ.* Obſervat proinde Aug. de Divin. c. 7. *Ex eloquiis prophetarum* δαιμόνια, ideſt *divinantes* eſſe factos. Et Tertullianus c. 22. Apol. ait, *Diſpoſitiones Dei prophetis concionantibus excerpunt . . . ita furantur divinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent, ſciunt Crœſi, ſciunt Pyrrhi. Lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt: deſinunt lædere, & curaſſe creduntur.* Ex quibus occurritur argumentis,

(a) *Apud Voſſium l. 1. de idol. c. 6.*

mentis, quæ ex dæmonum divinationibus, aut idolorum oraculis proferuntur.

CAPUT IV.

De locutione angelorum.

Cognitionem angelorum ſequitur collocutio, qua ignotas cogitationes alter alteri manifeſtat. Irridet nos Beza, quod de lingua angelorum diſputemus: ſed non de lingua in ore ſita, ſed de ea diſputamus, de qua Ap. 1. Cor. 13. ait: *Si linguis hominum loquar & angelorum*, qua iſti *inter ſe diſſerunt, & Deum laudant*, ait Chryſoſtomus. Sit itaque

Propositio I. Datur quædam locutio inter angelos.

Prob. Scripturis. Nam præter locum Apoſtoli, Iſ. 6. habetur: *Seraphim clamabant alter ad alterum.* Ep. Jud. c. 5. *Cum Michael altercaretur cum diabolo:* ergo &c. Accedit ratio. Poſtulat enim perfecta ſocietas aliquam inter cives cæleſtes collocutionem: hanc vero dicimus eſſe ſpiritalem directionem unius cogitati ad alium, cum nequeat inter angelos haberi ſermo ore prolatus, ſed ei ſimilis, quo nos loquimur corde, quæ interior locutio ex Auguſtino l. 15. de Tr. 10. a viſione non differt. Angeli ergo cum Deo loquuntur, cum ſe, vel alias creaturas contemplantes, in Dei laudem aſſurgunt: Deus vero eos alloquitur, cum voluntatem ſuam iis aperit. Nobis autem loquuntur vibratum aerem in meatus auditorios mittentes. Hinc ad locutionem angelicam non ſat eſt cogitatio; ſed requiritur ejus directio: alias angeli loquerentur, cum cogitant, idque occultare non poſſent.

Propositio II. Quomodo fiat angelica locutio, incertum eſt: forte id fit ſpiritalibus ſignis, at quibus, non conſtat.

Prob. prima pars. Nulla enim Scholarum ſententia

tentia ea de re certiores nos facit: ergo &c. Prob. ant. I. ex S. Thoma fit per angelicæ voluntatis determinationem: fed ex ea fequitur nullum voluntatis actum poſſe occultari: ergo &c. Nec melius rem exponit Eſtius dicens: quod ſicut quis ad ſe loquitur per actualem rei conſiderationem, ita alterum alloquitur, dum mentis perceptio in alterum dirigitur. Sic enim non intelligitur, quomodo animus ſola voluntate ſua cogitata alteri imprimat.

II. Durandus angelos colloqui putat impreſſa in æthere voce, ut cum præco clamat in foro: ſed hoc dici nequit, niſi de locutione angelorum in aſſumptis corporibus, & ex eo ſequitur, angelos ſic manifeſtare omnibus ſua cogitata, nullumque inter eos latere ſecretum: ergo &c.

III. Okamus & Nominales ajunt, eos loquentes ſuas cogitationes imprimere: at quomodo illæ cogitationes de una in aliam mentem migrent, cum ad id non ſufficiat ſola mentis directio, aut voluntatis determinatio, percipi nequit: ergo hæc quoque ſententia falſa eſt.

Prob. ſecunda pars ex Anſelmo in c. 13. ep. 1. ad Cor., ubi ait: *Linguæ, quibus angeli loquuntur aliisq; intelliguntur aliqui nutus, per quos intimant ſibi viciſſim quod voluerunt.* Ab hac ſententia ex Vaſquezio *non recedit* S. Th. 2. diſt. 2. q. 2. art. 3., ubi ait, *locutionem angelorum fieri intellectualibus ſignis.* Ac pro ea ſtat Arimin. diſt. 9. q. 2., Ægidius, Argentinas, Canus, aliique. Prob. II. ratione. Quod eſt immediate imperceptibile, nequit manifeſtari, niſi per ſigna ſenſibilia, ſi rebus corporeis, vel per ſpiritalia, ſi ſpiritibus pateſiant: atqui intimæ angelorum affectiones immediate ab aliis angelis non videntur: ergo &c.

Ob. I. Hæc ſigna nec naturalia ſunt, neque ad placitum; alias non libere, ſed neceſſario angeli loquerentur; ſic enim deberent aliorum linguam diſcere: ergo &c. R. neg. ant. Ea enim ſigna naturalia ſunt, nec inde ſequitur, angelos ſemper loqui

qui invicem; sunt enim libera, & possunt pro lubitu poni & omitti, sicuti clamores, risus &c., licet naturales, pro lubitu ponimus, & omittimus.

Ob. II. Si angeli per signa loquerentur invicem, possent nobis per ea loqui: sed hoc non fit: ergo &c. R. neg. min. Angeli enim sæpe in nobis bonas cogitationes excitant, quod, licet corporali impressione ut plurimum fiat, credibile est tamen interdum illabi menti nostræ per spiritalia signa: sed quia hæc signa ignota sunt nobis in hac vita mortali, si angelus in corde aut pia hortatione bonum, aut suggestione malum in nobis excitat, illapsum dicemus, aut potius illuminationem, cum veritas panditur, quam locutionem.

CAPUT V.

De angelorum voluntate & arbitrio.

NOT. I., spiritum tum intelligendi, tum amandi ac volendi facultate pollere: eaque *voluntas* appellatur. Quæ si feratur in bonum in communi, aut in summum bonum perfecte cognitum in patria, spiritus necessario amat; objectum enim ei proponitur absque indifferentia judicii: at circa objectum peculiare, sive imperfectum, ut est creatura, sive perfectum, ut Deus *abstractive* cognitus in via, habet veram indifferentiæ libertatem. Quæ sub gratia victrici remanet in *viatoribus*, non autem in angelis *comprehensoribus* circa ejus amorem. At in aliis omnibus liberi sunt, licet mereri non possint, quia sunt in termino. Dæmones vero peccant necessitate morali, quia propter obstinationem in malo, nusquam utentur arbitrio, quo possent ei *absolute* reluctari, unde vere peccant, sed pœnam non merentur, cum sint in termino. Errant ergo Novatores, qui eandem statuunt *in Patria*, sub lumine gloriæ libertatem, ac *in via* sub gratia Christi, tum eandem necessitatem ad malum in reprobis, ac amandi Deum in electis; illa enim mo-

ralis eſt ex obſtinatione, iſta phyſica ex Dei viſione.

Not, II. Ex hac doctrina I. conſtat, primum amoris actum *elicitum* a voluntate angelorum, per quem adjutorio *ſine quo* creatori adhæſere, fuiſſe liberum libertatis indifferentia, cum non habuerint angeli, cum primitus facti ſunt, viſionem intuitivam.

II. Poſtquam merito ſuæ permanſionis eam viſionem habuere, nullum amoris actum indifferentem elicere potuiſſe, ſed neceſſarium, nec proinde meritorium.

III. Peccatum angelorum malorum a ſolo arbitrio eſſe.

IV. Poſſe angelum tranſgredi legem naturalem. Nam creata mens eſt tantum determinata ad bonum in communi, & ad ſummum bonum clare viſum, ad hoc tamen vel illud bonum eſt indifferens. Ita angelus non fallitur circa veritates univerſales, ſed circa hoc vel illud verum habet indifferentiam judicii, unde falli poteſt, adeoque ex inadvertentia circa legem naturæ peccare. Fuit ergo ante peccatum in angelis ignorantia, & inadvertentia, non invita, quæ nunc eſt pœna peccati, ſed voluntaria, qua, cum poſſent facile noſſe, ſolum Deum eſſe unice amandum, propria excellentia delectati ſunt, nec eam in Dei laudem retulere.

V. Denique ſequitur, angelorum voluntatem eſſe immutabilem, Non quia ab eo quod elegerint, digredi non valeant, ut docent Thomiſtæ: ſed quia Deum intuitive videntes, circa ejus amorem carent indifferentia judicii. Dæmones vero ex pervicacia ſic malo adhærent, ut inde nolint avelli. Sententia ergo S. Thomæ, qui q. 64. a. 2. ait, *Liberum arbitrium angeli eſſe flexibile ad oppoſitum ante electionem, ſed non poſt*, non probatur ab Ariminenſi, Petavio, du Hamel, Juenin, aliiſque. Cum iis itaque ſit

Pro-

Propositio. Angelorum voluntas etiam post electionem naturaliter mutabilis est.

Prob. I. ex PP., qui docent, angelorum voluntatem non natura immutabilem esse, sed gratia: ergo &c. Prob. ant. Nam S. P. de Corr. 10. tribuit *abundantiæ caritatis Dei*, quod angeli sancti *cadere ulterius omnino non possent*. Fulgentius de Fid. 23. ait, *Quod ab illo statu mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed gratiæ largitate collatum.* Damascenus l. 2. c. 3. Angelum definit: *Naturam ratione præditam, & sententia mutabilem*: & rationem profert, quia omne creatum mutabile est. Isid. de S. B. 12. ait, *Gratia, non natura esse immutabiles, alias diabolus non cecidisset.*

Prob. II. ratione. Ideo angeli peccare nequeunt, quia Deum vident sub omni ratione boni: atqui hoc vel illud peculiare bonum non vident sub omni ratione boni: ergo &c.

Prob. III. experientia. Nam angeli sancti in iis, ubi Dei voluntatem aperte non vident, sæpe propositum mutant, & aliquando inter se diffident, ut constat ex Dan. 10. Dæmones ipsi modo illos tentant, ut cadant, modo cessant, ne iis meritum augeant, licet in malo sint pervicaces: ergo relate ad media sunt liberi. Ipsi angeli sancti diversa eligere possunt, servato ordine finis, mali vero recedendo ab ordine finis, ratione cujus sunt immutabiles, ut n. 5. dictum est.

Ob. Post electionem non est in angelis indifferentia judicii circa rem electam: ergo &c. Prob. ant. Nam angelus perfectus est: ergo statim intelligit, an objectum amore, vel odio prosequendum sit. Confirmatur ex S. Th., qui q. 64. art. 2. ait: *Angelus apprehendit immobiliter sicut nos prima principia, homo vero mobiliter: unde voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, angeli autem fixe & immobiliter*: ergo &c.

R. neg. ant. Ad prob. dist. cons. Statim intelli-

git &c., & illæ rationes remanent in intellectu angelorum etiam post electionem, conc.; & non remanent, neg. Nam, cum angelus ob hanc rationem eligit aliquod objectum, apprehendit etiam alias rationes, ob quas illud deserere potest, nisi rationem habeat ultimi finis. Ad confirm. S. Th. dist. ant. Angelus immobiliter apprehendit objectum, quod est ultimus finis, aut cum eo necessario connexum, conc.; secus, neg. Solutio patet ex Prob. II. & III.

CAPUT VI.

Quomodo angeli assumant corpora (1), *aut sint in loco, vel ab eo moveantur.*

Ex libero angelorum arbitrio repetendum est, cur ii nonnunquam hæc, vel illa corpora pro lubitu assumant, aut loco consistant, vel ab eo moveantur. Quamvis enim Maignanus, le Grand, aliique recentiores existiment, eos absque assumptis corporibus sub quavis forma hominibus apparere potuisse, constat tamen, ab iis vera corpora, sæpe etiam humana fuisse assumpta, iisque indutos cum hominibus fuisse versatos. Sit itaque

Propositio I. Angeli sive boni, sive mali vera corpora aliquando assumpsere.

Prob. I. pars ex sacris literis. I. Genes. 18. *Apparuerunt*, Abrahæ, *tres viri* (nempe tres angeli, ut exponit S. P. A.), *quos cum vidisset, occurrit in*

(1) Hoc argumentum, quod leviter admodum, & perfunctorie tractavit cl. Auctor, in gratiam Tyronum nostrorum pluribus scripturarum testimoniis, Patrum auctoritatibus, atque rationum momentis communire visum est, ut pateat, quam immerito Christi fideles reprehendant Iconoclastæ, eo quod spirituales intelligentias sub humana forma exprimere conati fuerint, sub qua sæpissime eas apparuisse certissimum est.

in occursum eorum, & adoravit. Tulit quoque vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: cumque comedissent, dixerunt ad eum &c. II. c. 19. *Venerunt duo angeli Sodomam, quos cum vidisset Lot, adoravit, & dixit, lavate pedes vestros: ingressique domum coxit azyma, & comederunt.* III. Tob. c. 12. Archangelus Raphael Tobiæ se comitem dedit in itinere, eum *Duxit & reduxit sanum, pecuniam a Gabelo recepit, dæmonium ab uxore compescuit, & patrem ejus videre fecit lumen cœli.* IV. Luc. 1. *Ingressus angelus*, Gabriel, *ad Virginem dixit, Ave gratia plena; quæ cum audisset turbata est in sermone ejus &c.* Jo. 20. Maria *vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes monumenti.* Act. 12. *Angelus Domini astitit, percussoque latere Petri excitavit eum dicens, surge, & ceciderunt catenæ de manibus ejus &c.* Atqui per August. ep. 95. 8. explicari non potest, *quemadmodum corpora non habentes*, angeli, *gerere illa omnia potuerint*: ergo vel ii habent corpora, vel hæc gesserunt in assumptis corporibus: sed angelos non habere propria corpora cap. II. diss. I. hujus lib. monstratum est: ergo &c.

Prob. II. ex definitione VII. Synodi Generalis, quæ in fidei professione hæc habet: *Veneramur imagines incorporeorum angelorum, qui tamquam homines figura humana apparuere.* Et Actione 5. statuit, angelos pingi posse, *quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuere*: atqui non apparuere in propria forma, cum sint incorporei, ut alibi dictum est: ergo in aliena, & assumpta.

Prob. III. ex PP. Aug. l. 2. contra Maxim. c. 26. scribit, tres viros Abrahæ visos totidem fuisse angelos hominum figuram referentes, sub quorum exuviis Abraham Deum unum adoravit. Accedit Justinus, Clemens Alexandr., Cyrillus, quorum loca de assumptis corporibus a viris doctissimis expo-

 ponun-

ponuntur, quamvis non desint, qui eos putent ad Platonicorum placita descendisse.

Prob. IV. ratione. Nam recensitæ apparitiones imaginatrici potentiæ tribui non possunt, tum quia tactu aliquando hujusmodi corpora deprehenduntur, tum quia angeli hominibus exteriori etiam sensu utentibus apparuere, & res occultissimas manifestarunt: ergo &c.

Prob. II. pars. Genes. 3. Angelus malus sub forma serpentis Evam decepit. II. Job. 2. *Satan percussit Job ulcere pessimo.* III. Matth. 4. Christo lapides obtulit, ut in panes verteret, assumpsit eum super pinnaculum templi, & in montem excelsum ostendit ei omnia regna mundi: sed hæc fieri saltem absque assumpto aliquo corpore non possunt: ergo &c.

Prob. II. ex Cyrill., qui l. 3. contra Jul. demonstrat, dæmonem anguis exuviis assumptis cum muliere familiarius egisse, nec debuisse Julianum hanc historiam ad fabulas amandare irrisorie rogando, quonam dæmon sermone uteretur cum Evam est allocutus? cum ipse Græcorum fabulas adoptasset, ubi passim loquentia animantia inducuntur.

Oppones multa delusionum genera, quibus dæmones, ac si monstra essent, aut volucres, aut formosæ mulieres, in hominum conspectum venere. Cujus rei singulare exemplum profert Guilelmus Parisiensis de quodam milite, qui, cum crederet elegantem complecti puellam, deprehendit se jacuisse cum belluino cadavere tabe macieque soluto: ergo &c.

R. neg. conf. Quamvis enim spiritales intelligentiæ perspectivæ artis peritæ materiam miscere possint, ut pro varia luminis reflexione, aut refractione diversæ appareant figuræ, diversi colores, quæque egregiam habent formam, fœda videantur, & vicissim, pluraque unius objecti possint effingere simulacra; ast ubi sensu vivido, perpetuo, & constanti res ab hominibus etiam diversis semper eodem

dem modo percipiuntur, ubi effectus sunt permanentes, & perseverant, fieri non potest, quin res eo modo contingant, ut percipiuntur: alias dicendum esset, Deum sanctis hominibus, quibus angeli apparuere sub humana specie, perpetuo illusisse, quod est absurdum. Deinde, cum Christus Dominus non alia via resurrectionem suam Apostolis manifestaverit, quam præbendo *seipsum vivum in multis argumentis per dies* 40. *apparens eis, & loquens de regno Dei, & convescens &c.*, sequeretur, Christi resurrectionem non satis perspicue fuisse a Christo Domino manifestatam: ergo &c.

Quod spectat ad modum, quo angeli sunt in loco, non una est ea de re Philosophorum & Scholasticorum sententia. Quidam putant, spiritalem substantiam nullo modo esse in loco; existimant enim, locum sine spatio percipi non posse, neq. spatium sine extensione. Alii docent, angelos esse in loco, non quod ab eo ambiri illos putent & circumscribi, quod corporibus convenit, sed quod ab eo definiantur, hoc est certo & definito loco præsentes fiant. Quod dupliciter fieri potest ex du-Hamelio: 1. per indistantiam, quomodo una res est, ubi est altera: 2. per applicationem seu contactum, quo pacto una res alteri applicatur, eamque tangit. Sit ergo

Propositio. Angeli non sunt in loco per extensionem, ut corpora.

Prob. I. ex PP. Aug. l. 8. de Genes. ad lit. 18. ait: *Necesse est esse partes iis, quæ in locis sunt.* Nyssenus in 1. contra Eun., Dydimus de Sp. S., Nemesius, aliique negant, angelos esse in loco, cum id sit affectio rei corporeæ. Et Boethius ait, incorporalia in loco non esse. Prob. II. ratione. Corpora enim ita sunt in loco, ut eorum partes spatium repleant, & dimensionibus loci respondeant: sed hoc repugnat spiritali substantiæ: ergo &c.

Propositio II. Angeli sunt definito loco praesentes.

Prob. I. II. Petr. 2. habetur, Deum angelos peccantes *in tartarum tradidisse cruciandos*. Apoc. 12. 8. *Neque locus inventus est eorum amplius in cælo*: ergo &c. Prob. II. ex PP. August. de Agon. Chr. 3. ait, *Non in summo cælo habitare diabolum, unde lapsum credimus*. Damasc. 2. de Fid. Orth. 3. ait, *Angeli, quando sunt in cælo, non sunt in terra*, & vicissim. Pr. III. ratione Theodoreti q. 3. in Genes.: Divinitas ubique est, quia est infinita: ergo angelus, quia finitus, est in loco.

Propositio III. Angeli sunt in loco per indistantiam, ratione substantiæ, non operationis & virtutis.

Prob. I. argumento Theodoreti q. 3. in Genes. *Quæ cœperunt, finita sunt, & habent circumscriptam substantiam, & ideo loco opus habent: quia ideo divinitas non est in loco, quia non est circumscripta*: ergo &c.

R. Aliqui, substantiam angelicam finitam esse, idest in sua specie coarctatam, non loco determinatam. Sed contra. Substantia angelica, cum non sit infinita, est limitata in aliqua *specie*: ergo cum non sit immensa, est aliquo loco terminata: sicut Deus, ex quo sit immensus, omnia loca transcendit. II. Quævis operatio præsentiam supponit: ergo prius percipitur, e. g., angelum accessisse ad Christum, quam ei ministrasse. III. Dæmones desistunt aliquando a consuetis corporum vexationibus, nec tamen inde recedunt; patiuntur ab igne, non ignem ipsi movent, aut percellunt, & tamen ibi commorantur: ergo &c.

Propositio IV. Angeli sunt in loco per contactum, non sola ratione substantiæ, sed etiam operatione, & virtute, ut docent Thomistæ.

Prob. I. Substantia angelica non tangit seipsa corpora, sed potius penetrat: ergo est in loco per contactum virtute & operatione, non per se. II. Sub-

II. Substantia angelica est indifferens ad occupandum majorem aut minorem locum, cumque determinari non possit, nisi applicatione virtutis, hæc ratio est, cur angelus hoc vel illud loci spatium tangat, & impleat. Ita oppositæ Scholasticorum opiniones facile conciliantur. Quare ut solvantur objecta, nota cum Arimin., quod *ad hoc, ut aliquid sit in loco definitive tantum, non requiritur aliquis contactus, sed solum quod ipsum sit illi præsens, & ab eo contineatur.*

Ob. I. Corpora non circumscribuntur, nisi per extensionem, & ignis non comburit, nisi per qualitatem: ergo &c. R., neque angelum tangere, aut movere corpora, nisi per applicationem virtutis, sed hac præcisa esse in loco per indistantiam, quomodo sunt duo corpora, quæ invicem penetrantur.

Ob. II. August. de Immort. An. c. 6. ait: *Tota, anima, singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis.* Et Damasc. *Natura incorporea circumscribitur, ubi & operatur:* ergo &c.

R. neg. conf. Neque enim Aug., aut Damascenus docent, spiritales substantias operari, ubi sunt, sed quod ubi operantur, ibi sunt: possunt ergo esse, licet non operentur in loco.

Propositio V. Angeli localiter moventur, diversis locis se præsentes sistendo.

Prob. I. Scripturis, ex quibus constat, illos ad homines, variasque regiones appulisse, discedere, egredi, perambulare, ejici, detrudi: ergo &c. Pr. II. ex Chrysost. hom. 3. in ep. ad Hebr. ubi habetur: *Angeli loca mutant, & ad alia pergunt, in quibus non erant:* ergo &c.

Opp. Bernardus Serm. 5. in Cant. ait, *De loco in locum transire non est, nisi corporum:* ergo &c. R. dist. ant. *Transire* proprie, conc.; improprie, neg. Duplex est ergo species motus localis: prior, dum mobile variis partibus locorum propria extensione respondet; secunda, dum diversis locis se

ſe præſentem ſiſtit ſpiritus, & illa quidem rerum corporearum eſt propria, ut ait Bernardus, hæc etiam ſpirituum. Nam, ut idem Bern. ait ſerm. 78. in Cant.; *Angelus non abſque motu operatur, tam locali, quam temporali.*

Quæres: num idem angelus poſſit eſſe in pluribus locis, aut in uno loco plures angeli? R. negative quoad primam partem; nam ex Damaſc. l. 1. c. 8. *Non poteſt angelus ſecundum idem in diverſis locis operari.* Quoad alteram vero, ſi quæſtio eſt de exiſtentia in loco per indiſtantiam, ac præſentiam, conſtat, plures angelos poſſe in eodem ſpatio etiam minimo contineri, ut docent Richardus, Ariminenſis &c. Si vero loquamur de exiſtentia in loco per contactum, & applicationem virtutis, dicimus, multos angelos poſſe uno loco conſiſtere, ſi aliqua ex parte agant, non vero ſi ſint adæquati perfectique motores.

CAPUT VII.

De gratia angelorum.

GRATIA Dei duplex eſt, actualis nempe, & habitualis: hanc angelis & Adæ fuiſſe negatam docuere Ægidius, Alenſis, Bonaventura, aliique. Falluntur tamen, qui putant etiam actualem gratiam, ſive adjutorium *ſine quo* angelis & Adæ denegaſſe Ægidium Romanum. Nam diſt. 29. art. 2. docet, hominem *non eſſe conditum in puris naturalibus; habuit ergo aliquod donum gratuitum ſuperadditum naturæ:* ſed per Ægidium originalis juſtitia gratia eſt: ergo &c.

PROPOSITIO I. Angelus in prima ſui conditione habuit actualem gratiam, ſive adjutorium *ſine quo* (1).

Prob.

(1) Prædeterminantis gratiæ adjutorio angelos ſanctos non indiguiſſe ad perſeverandum l. 4. monſtra-

Prob. ex Aug. l. de Corr. & Gr. 11., ubi ait: *Si hoc adjutorium angelo, vel homini defuisset, non utique sua culpa cecidisset.* Et l. 11. C. D. *Simul ut facti sunt, lux facti sunt, non tantum creati, sed etiam illuminati.* L. 12. c. 9. ait: *Voluntatem bonam in solo desiderio remansuram, nisi ex se ipso faceret im-*

---

stratum est. Ubi etiam adversariorum objecta diluimus. Unum restat, quod cl. Chignolius *decretorium* appellat. Est autem celeberrimus Aug. locus in illud Ps. 32.: *Verbo Domini &c.*, ubi ait S. D., *Angelos, non a se sibi firmitatem tribuisse; non enim habuerunt aliquid a se, tamquam supplementum, quod non a Domino perceperint; spiritu enim oris ejus non pars, sed omnis virtus eorum*: sed si angeli sancti solo adjutorio versatili stetissent, *a se sibi propriam firmitatem* tribuissent per liberum arbitrium, suoque consensu *a se, non a Domino supplementum habuissent, pars* denique, non *omnis eorum virtus* a Deo esset: ergo &c. R. neg. min. Angeli enim a Deo receperunt cum esse, tum bene esse, proindeque sanum arbitrium, bonam voluntatem, atque adjutorium, *sine quo* in accepta justitia stare omnino non potuissent. Recte ergo ait S. D., nec sibi *firmitatem tribuisse*, quam Dei adjutorio habuere, *sine quo* permanere non possent, nec aliquod *ex se supplementum* habuisse, quod non a Domino perceperint, cum ipsum integrum arb., per quod eos stetisse ait S. D., non a se, sed a Domino una cum gratia obtinuerint, nec partem, sed omnem eorum virtutem Deo referendam, cum nihil in iis boni esset, quod *desursum* non esset, *descendens a Patre luminum*. Hac itaque via Augustini locum, quem nobis *expendendum, & cum opinione nostra conciliandum* proponit Chignolius, facile conciliamus, & objectum, *quod nulla exceptione elidi posse* confidenter pronuntiat, nullo negotio exsufflamus.

implendo meliorem. Ex quibus fic arguitur. Adjutorium, *fine quo* angeli fua culpa non cecidiffent, quo lux facti funt, quo fieri poterant meliores, eft fupernaturalis gratia, faltem actualis: atqui angeli primitus hoc adjutorio, hac luce, & bona voluntate ex Auguftino donati funt: ergo &c. Ex quibus infertur, angelos naturæ viribus non potuiffe ad primam actualem gratiam fe fe difponere, potuiffe tamen per actualem ad habitualem, per quam angeli fancti ad plenitudinem beatitudinis pervenere.

Propositio II. Angelos in fui conditione habituali gratia donatos fuiffe probabile eft, non tamen de fide.

Prob. prima pars ex Auguftino l. 12. C. D. 9., ubi ait: *Eos cum bona voluntate, ideft cum amore cafto creavit, fimul eis condens naturam, & largiens gratiam. Unde fine bona voluntate nunquam fanctos angelos fuiffe credendum eft.* Addit angelos, qui in ea fteterunt, perveniffe ad beatitudinis plenitudinem, quam l. de Corr. 11. *Debitam mercedem hujus manfionis* appellat: fed hæc merces non actuali, fed habituali gratiæ rependitur: ergo; fi angeli fancti nunquam fuerunt fine bona voluntate, nunquam habitu caritatis caruere. Deinde hæc bona voluntas dicitur ibidem ab Auguftino *caritas Dei diffufa per Spiritum fanctum:* fed hæc eft gratia habitualis: ergo caftus amor non eft rectitudo mere naturalis, fed vera, ac propria gratia fanctificans. Recte ergo Vives in hunc locum ait, S. P. Auguftinum aperte docere, *Angelos creatos effe in gratia gratum faciente, quod idem ait l. de Corr. & gr.*

Prob. II. ex aliis Patribus, & fcripturis. Bafilius in Pf. 32. ait: *Angelis fanctificationem impendit Spiritus fanctus.* Damafc. 2. de Fid. Orth. *Eos per Spiritus fancti fanctificationem omnis perfectionis numeros accepiffe.* Hier. in Of. ait, *Ipfos in magna pinguedine Spiritus fancti creatos effe.*

Ezech.

Ezech. 28. de dæmone ait, *Tu ſignaculum ſimilitudinis perfectus decore.* Hinc Gregorius Magnus 32. Mor. 18. inquit: *Quid doni non habuit, ſi ſignaculum Dei fuit?*

Prob. III. ratione. Angeli creati ſunt propter beatitudinem: atqui gratia ſanctificans eſt veluti ſemen beatitudinis: ergo &c.

Prob. ſecunda pars. Nam oppoſitum docent, ſalva fide, Magiſter, Scotus, Richardus, Ægidius &c. Et Eſtius ait, *nihil eſſe in hac quæſtione periculi.* Deinde, qui præter naturæ dona admittunt etiam gratiam actualem, & amorem caſtum, ut Ægidiani, ad Auguſtini loca reſpondere poſſunt, bonam voluntatem, & caſti amoris actum eſſe a gratia actuali, non habituali, quam promereri debebant ſtando in bona voluntate. Hinc Ægidius caritatem habitualem ad ſanctos angelos, non ad malos extendit, quæ actualis gratia in eis fuit *ſemen vitæ æternæ*, *ſignaculum ſimilitudinis* &c. ob rationis rectitudinem, *juſtitia*, & *ſanctitas* non perfecta, ſed inchoata, quæ ſita eſt in perfectione gratiæ actualis. Hæc Ægidiani, quorum ſententia, ſalva fide, teneri poteſt.

Ob. I. Job. 4., ubi vulgata legit, *In angelis ſuis reperit pravitatem*, hebræus habet, *non poſuit lucem*: ergo angeli non habuere primitus gratiæ lucem. II. S. P. l. 2. de Gen. ad l. ait, naturam angelicam primo *informiter* creatam, inde *formatam eſſe, lucemque* appellatam: ergo &c. III. Greg. 32. Mor. 18. ait, dæmonem creatum eſſe cum capacitate, non autem cum ornamento caritatis. IV. Joannes Papa ait, *dolet diabolus caritatem, quam nequivit habere*: ergo &c. V. Gratia eſt medium inter naturam, & gloriam; ſicut ergo angeli non habuere primitus cum natura gloriam, ita nec gratiam.

R. ad I. neg. conſ. Nam admiſſa etiam hebraica lectione (licet תהלה, *Tahalah*, lucem, pariter ſtulti-

ſtultitiamque ſignificet) ita poteſt exponi: *angelis non revelavit abſcondita conſilii ſui.* Nam Chaldæus vertit, *prophetis non credet arcana.* Ad II. diſt. ant. Et Auguſtinus loquitur de prioritate naturæ, conc.; temporis, neg. Nam l. 11. C. D. 11. ait, *Simul ut facti ſunt, lux* facti ſunt, & l. 12. 9., *Simul in eis condens naturam, & largiens gratiam*; vel *informes* dixit angelos relate ad plenitudinem beatitatis, quam poſtea habuere. Ad III. diſt. ant. Cum *capacitate* caritatis conſummatæ, conc.; gratiæ ſanctificantis, neg. Comparat enim angelos lapidi pretioſo, qui poteſt repleri auro, ideſt perfici in caritate. Ad IV. diſt. conſ. *Nequivit habere*, hoc eſt *tenere*, conc.; hoc eſt *obtinere*, neg. Obtinuit enim, ſed eam deſeruit. Ad V. neg. conſ. Gloria enim finis eſt, & confertur ut merces: ergo naturam, meritumque conſequitur.

CAPUT VIII.

De angelorum beatitudine.

Cenſent nonnulli, Auguſtini locum de Corr. 10., ubi ait, diabolum beatum fuiſſe antequam caderet, de naturali beatitudine eſſe accipiendum, quæ ex S. Th. qu. 62. art. 1. eſt *ultima perfectio, quam rationalis creatura virtute naturæ aſſequi poteſt*, cum ſupernaturalis beatitudo ſit *omnium bonorum aggregatio, quibus creatura rationalis perficitur, & pleniſſima expletur felicitate.* In ea ergo tres dotes ſunt: 1. quod beati ſint recti per gratiam: 2. quod abſque moleſtia præſenti bono fruantur: 3. quod ſummo bono tanta charitatis plenitudine adhærent, ut ſciant ſe non amplius eſſe caſuros. De his tribus agit S. P. l. 11. C. D. 12., & de Corr. c. 10. His notatis, ſit

Propositio I. S. P. A. nuſquam aſſeruit, angelos conditos eſſe beatos plenitudine beatitatis.

Prob. S. P. loco citato ait: *Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, ſed quia neſciebant ſuam futu-*

futuram miseriam, minore, sed tamen beatitudine fruebantur. De Corr. c. 10. *Erat quod eorum adderetur beatitudini, si in veritate stetissent, donec summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium permansionis acciperent, idest, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia caritatis, cadere ulterius non possent, & hoc certissime nossent.* Ex his ita argues. Plena beatitudo exigit, ut quis cadere ulterius non possit, idque certissime sciat: atqui S. P. hanc beatitudinem nusquam angelis tribuit, cum primitus creati sunt: ergo &c.

Dices. S. P. A. distinguit *vespere, & mane* Genes. 1. juxta diversam cognitionem angelorum, ubi *mane* est cognitio rerum in Verbo: sed hæc cognitio habetur in patria: ergo &c.

R. neg. min. Nam cognitio matutina est contemplatio creaturæ relata in Deum: ergo præcedit ordine caussalitatis plenitudinem beatitudinis, qua angeli in Deo creaturas ipsas absque peccandi periculo percepere. I. enim creavit Deus angelum *lucem*, idest sapientia ornatum, qua res omnes ut infra se positas in se ipso respiceret, & hæc cognitio est *vespertina*, quia *decoloratior est, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte, qua facta est*, ait S. P. 11. C. D. 7. II. Angeli creaturam, quam in se factam vident, referunt in Deum, & in eo delectantur, & ita illucescit, & habetur cognitio matutina, qua Deo adhærent: ergo in cognitione angelorum malorum, qui ad Dei laudem conversi non sunt, locum non habet matutina cognitio. In sanctis angelis autem, qui Deo sunt delectati, continuo factus est mane ob rectum ordinem caritatis, cui ut merces data est scientiæ plenitudo, & plena felicitas.

Propositio II. S. P. A. angelis tribuit etiam supernaturalem beatitudinem inchoatam, prout gratiam, & sanctam delectationem comprehendit.

Prob. I. S. P. A. de Corr. 10. ait, malos angelos miseros esse factos, quia *refugientes bonitatem, qua beati*

beati fuerant, non potuerunt ejus effugere judicium: atqui hæc bonitas eſt ipſa originalis juſtitia, ſive ea ſit gratia actualis, ſive habitualis: ergo &c. II. Docet ibi S. P., angelos in ea perſeverantes plenitudinem beatitudinis meruiſſe: atqui naturalis perfectio hanc plenitudinem mereri nequit: ergo &c. III. Ea beatitudo erat vita, qua innocens creatura Deo fruebatur caritate *ex corde puro, & fide non ficta, cum ſpe futuræ commutationis*, ut ait S. P. 14. C. D. 26.: ergo Deus, præter naturam rectam, ſupernaturalia beneficia iis contulit, *condens naturam, & largiens gratiam*: atqui beatitudo, quæ gratiæ dona complectitur, eſt ſupernaturalis inchoata: ergo &c. Hinc S. P. 11. C. D. 9. ait, angelos nunquam fuiſſe peregrinatos; & Baſilius, & Gregorius in accepta beatitudine perſeveraſſe, quia lucem, & caritatem initio receptam merito permanſionis ſervarunt. Quo ſenſu ait Vives Comm. in c. 9. de C. D., *angelos ſanctos ſemper fuiſſe in patria, & faciem Patris vidiſſe*, ideſt inchoata, non completa beatitudine. Ait enim ibi, *angelos fuiſſe quodammodo beatos*: ergo non complete.

Propositio III. Angeli etiam naturalem beatitudinem accepere.

Prob. ratione S. Thomæ. Naturalis beatitudo eſt ultima perfectio, quam quis poteſt habere: ſed angelus conditus eſt perfectiſſimus: ergo &c. Prob. min. Hæc naturalis perfectio eſt perfecta Dei contemplatio ut auctoris naturæ, & rectitudo naturalis dilectionis: ſed hæc omnia angeli ab initio habuere: ergo &c.

Inſt. Rectus amoris ordo in angelis fuit ex gratia, non ex natura: ergo &c. R. diſt. ant. Prout eſt rectitudo ſpecialis, qua angeli ad plenitudinem gloriæ ex merito pervenere, conc.; prout eſt non inclinatio perverſa, & natura a Deo condita ſine vitio, neg. Hæc enim ad naturæ ordinem ſpectat.

Ob.

Ob. I. cum Vasquesio. Angeli primitus non erant de sua securi: ergo nec beati.

R. dist. ant. Non erant securi, & tamen contenti eo quod eorum sors in manu sua esset, conc.; secus, neg. R. II. cum Salmantic. dist. ant. Et hæc plena securitas spectat ad consummatam beatitudinem, quæ merces fuit perseverantiæ angelorum, conc.; ad beatitudinem naturalem, neg. Perennitas enim, & incommutabilis boni possessio summum beneficium gratiæ est, non defectibilis naturæ proprietas: nec inde sequitur, etiam diabolum, in quo naturæ dona adhuc perseverant, beatum esse: nam diabolo ex mala voluntate vitium accessit, & inclinatio ad malum, tum etiam desperatio, horrendumque supplicium.

Ob. II. Beatitudo est terminus perfectionis: ergo, si angeli fuissent beati, fuissent in termino.

R. dist. ant. Est terminus *simpliciter*, quo tollitur libertas ad meritum, neg.; *secundum quid*, itaut, præter eam beatitatem, possint angeli aliam ex gratia nancisci, concedo.

Ob. III. Major perfectio est, posse per se beatitudinem consequi, quam gratis a Deo habere: ergo angeli, utpote perfectissimi, cum ea creati sunt.

R. neg. ant. Major enim perfectio est beatitudinem sine merito comparare; nam perfectissima Dei beatitudo sine merito est.

CAPUT IX.

De merito, ac demerito angelorum.

NOT. I. Bonam voluntatem, qua angeli sancti steterunt, ex Dei gratia, malam vero, qua dæmones cecidere, ex arbitrio fuisse contra Pelagianos, & Manichæos docent theologi omnes: at de tempore non conveniunt. Quidam inter eorum creationem, ac terminum duo instantia temporis, alii plura constituunt. Scotus, Arim., Vasque-

ſius &c. cenſent, in primo inſtanti angelos mereri, & peccare potuiſſe: ac de merito convenit, de peccato vero negat S. Thomas.

Not. II. Ex Aug. doctrina c. 1. & 7. hujus diff. oſtendimus, angelos 1. a Deo creatos eſſe *lucem*; nempe cum ingenitis ideis, cum bona voluntate, & actuali adjutorio, *ſine quo* ſtare non poſſent: 2. ſe ſe convertiſſe ad contemplandam ſui, & aliarum rerum excellentiam in propria natura, quæ eſt *veſpertina* cognitio: 3. ſanctos angelos in Dei laudem ſurrexiſſe, & factum in eis *mane*, malos in ſe delectatos, & tenebras evaſiſſe: ac illis plenam beatitudinem, his acceſſiſſe ſupplicium; ſicque inter lucem, tenebraſque diviſum eſt. Hæc autem *non ſecundum temporis moras*, *ſicut ſunt dies iſti*, facta eſſe ait S. P. A. l. 4. de Gen. ad l. 32. *ſed ſecundum potentiam ſpiritalem mentis angelicæ*, qua ſine temporis intervallo fit & dies, & veſpera, & mane.

Not. III. Licet hæc in puncto fiant, eſt tamen in iis ordo *cauſſalitatis*, quo una cognitio aliam præcedit: nam ut ait S. P. ibidem, *etiamſi nulla hic ſint intervalla*, *præceſſit tamen ratio condendæ creaturæ in verbo Dei*, qui *cum dixit*, *fiat lux*, *ſecuta eſt ipſa lux*, *qua angelica mens formata eſt*. Et c. 34. explanat, quomodo unico inſtanti procedat angelus de *veſpertina* in *matutinam* cognitionem, exemplo ſolis, quem unico ictu oculus videt, licet illum adire nequeat, niſi immenſum aeris ſpatium percurrat. Sit ergo

Propositio I. Angeli peccavere, & meruere initio temporis.

Prob. I. Angeli haud mora fuere ſimul dies & lux, & ſimul habuere *veſperam* & *mane*: atqui *veſpera* eſt creaturarum contemplatio, *mane* eſt relatio amoris in Deum: ergo ſine mora ſe ſe cognovere, & per arbitrium angeli ſancti in Deum ordinati ſunt, mali ſe ipſis delectati. Maj. eſt Aug. l. de Gen. ad lit. 32., Min. eſt ejuſdem l. 11. de C. D. 7.

II. Ut

II. Ut Angelus de una in aliam cogitationem, & inde in actum caritatis erumpat, non eget tempore, ut nos hac mole gravati. Sed ut oculus solem videt, tametsi longe dissitum, ita ille uno ictu a mentis contemplatione ad Dei amorem transcendit: ergo eodem creationis puncto mereri poterant angeli, & demereri, III. Angeli in primo instanti habuere cognitionem, libertatem, & gratiam, & omnia ad meritum, aut demeritum requisita: ergo in primo instanti potuerunt mereri, vel demereri. Ita Arim., & Scotus.

Prob. II. exemplo Christi. Is enim in primo suæ conceptionis instanti meruit, licet peccare non posset, quia cum esset homo Deus, etiam Dei visione fruebatur: sed angeli in eo primo instanti Dei visione non fruebantur: ergo & mereri, & peccare potuere. Nec dicas, Christum meruisse tantum post primum instans; nam hæc responsio falsa est, & PP. adversatur. Quod addunt Thomistæ, non eodem modo de merito, ac de peccato loquendum, quia illud a Deo est, hoc autem a libero arbitrio, nihil probat. Nam, licet meritum a Deo sit, requiritur tamen indifferentia ad utrumlibet: ergo si liberum arbitrium potest in primo instanti mereri, poterit etiam indifferenter se ad malum determinare, & peccare. Secundo, ad meritum, vel demeritum nulla requiritur temporis mora, sed sufficit electio indifferens: ergo angelorum voluntas statim ac producta est, libere se se convertit in Deum, & libere meruit; sicuti dæmonum voluntas in se delectata est, & libere peccavit.

Propositio II. Angeli in primo instanti angelico non potuerunt mereri, vel demereri.

Prob. ex Aug., qui l. 4. de Gen. ad lit. 31. ait, quod si loquamur de ordine caussarum, *non fuerunt simul omnia, & dies, & vespera, & mane; sed singillatim per ordinem.* Et c. 32. hunc ordinem exponens ait, quod 1. præcessit ratio condendæ creaturæ; 2. Angeli in sua natura creati sunt; 3. se

noverunt; 4. quidam in Dei laudem conversi, quidam in se delectati sunt: ergo si loquamur de tali caussarum ordine, in primo instanti angeli nec mereri, nec operari potuere. Deinde, antequam bene aut male agerent, præcessit caussalitate, & ordine creatio eorum substantiæ rerum notitia, originali sanctitate & gratia exornatæ. Non potest enim bonum diligi, nisi præcedat cognitio, quam præcedit res cognoscenda: ergo in primo creationis instanti nulla fuit angelis libere agendi facultas. Ex quibus constat, pluribus instantibus angelicis unico temporis puncto respondentibus illorum spirituum salutem, ac perditionem esse confectam. I. Instans est *creationis*, quo *lux* facti sunt, idest cum bona voluntate, justitia, & adjutorio *sine quo*. II. Instans est *meriti*, quo boni in Deo, mali in se ipsis delectati sunt. III. *Retributionis*, quo illi caritatis abundantiam, & plenitudinem beatitudinis recepere, isti in gehennam detrusi sunt. Admittit etiam hæc instantia S. Th. qu. 62. art. 5., Scotus, & omnes pene recentiores.

Ob. I. Ex I. prop. sequitur 1., angelorum malitiam esse Deo tribuendam: ergo falsa est. Prob. ant. Hæc enim malitia incipit cum esse angeli: ergo est illi a Deo, a quo habet esse. 2. Sequitur, eodem puncto in iis fuisse *vespertinam* cognitionem in creaturis, & *matutinam*, qua se converterunt in Deum: ergo &c. 3. Falsum esse primam voluntatem non esse, nisi a Deo.

R. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Angeli enim omnes a Deo creati sunt recti, & cum gratia stare potuissent, si voluissent: ergo malitia non incepit cum esse angeli, sed in ejus arbitrium refundi debet, quod sine mora flecti potuit ad utrumque; licet ordine caussalitatis creatio illuminationem, hæc voluntatis effectum præcedat. Hinc S. P. de hoc ordine loquens, ait: *Et illud, quod ab initio diabolus peccat, non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius*

ipsius superbia cœperit esse peccatum. Nam ante peccatum præcedit natura, quam etiam in infimis bestiolis constituit Deus: ergo *initium ejus figmentum est Domini.* Ad II. dist. ant. Eodem puncto temporis, conc.; *caussalitatis*, atque ordinis, neg. Solutio patet ex dictis. Ad III. neg. ant. Priusquam enim voluntas eligat bonum particulare, determinatur a Deo ad bonum in communi, & hoc prius est caussa, non tempore.

Ob. II. contra II. prop. S. P. A. 11. de C. D. 13. ait, non sentire cum Manichæis, qui dicit, diabolum ab initio peccare: ergo potuit in primo operationis instanti demereri, nec tamen culpa esset Deo imputanda. 2. Ad meritum non requiritur suspensio actus, sed sufficit potentia ad oppositum: sed hæc fuit in angelis in prima operatione: ergo &c. 3. Actus primus per gratiam in nobis excitatus est meritorius: ergo & prima operatio angelica.

R. neg. conf. Jure enim ait S. P., non sentire cum Manichæis, qui dicit, diabolum ab initio propria voluntate peccasse; quod enim malum est, & voluntarium, non est naturale, sed liberum. Sentiret tamen cum Manichæis, qui diceret, inclinationem, cum qua Deus naturam angelicam condidit, ejusque voluntatis deliberationem præcedit, fuisse natura malam; hoc enim est facere diabolum natura malum, non voluntate. Ad II. dist. maj. Non requiritur suspensio, sed præcedit præmotio ad bonum in communi caussalitatis ordine, conc.; secus, nego. Cognitio enim matutina, qua fertur angelus in Deum, vespertinam subsequitur, qua res in se ipsis agnovit. Ad III. retorqueo argumentum. Nam actum a gratia excitatum, utpote meritorium & deliberatum, antecedit gratia actualis, quæ est actus indeliberatus: ergo actum deliberatum angelorum præcessit caussalitate inspiratio.

CAPUT X.

De angelorum culpa.

ANGELORUM sanctorum merita desertorum culpa subsequitur. Horum dux fuit *Satanas* ex hebraica voce שטן, *Satan*, quæ *hostem* significat. Dicitur etiam græce Διάβολος, *diabolus*, & Δαίμων, *dæmon*, idest *calumniator*, & *sciens*. Hunc autem esse aliis spiritibus nobiliorem, tum ejus culpam, & locum supplicii ostendemus. Sit ergo

PROPOSITIO I. Verisimile est Satanam fuisse aliis spiritibus nobiliorem.

Prob. I. scripturis. Ezech. 28. Satanas princeps Tyri appellatur, quod licet de Itobalo, aut alio Tyriorum Rege fortissimo dici possit litteraliter, allegorice tamen Satanam designat, *quia erat eminentissimus angelorum, & Archangelus omnium sapientissimus*, ut ait Tertull. l. 2. contra Marc.: ergo Satanas fuit aliis nobilior. Prob. II. ex PP. Greg. 4. Mor. 13. ait: *Apostata angelus ita conditus, ut angelorum legionibus emineret, superbiendo succubuit.* Bern. serm. de Adv. *Superbia*, ait, *angelorum principem in diabolum commutavit*: ergo Satanas fuit omnium nobilior.

Dices: Ezech. 28. Diabolus dicitur *Cherub*: sed is est Seraphinis inferior: ergo &c. II. S. P. l. 2. de Gen. ad lit. 17. duo angelorum genera distinguit, unum supercælestium, secundum aereorum, quibus Satan præest: ergo &c.

R. dist. maj. Dicitur *Cherub* dignitate, conc.; persona, neg. Nam Rex Tyri, qui Satanam designat, hebraice *Cherub*, *unctus*, dicitur, hoc est *princeps illustris*; Satanas vero *eminentissimus angelorum*. R. II., in scripturis, quæ sunt de diabolo ac membris ejus, non omnia capiti congruere. Sic quæ de Rege Babyloniæ, & de Satana dicuntur Is. 14., non omnia conveniunt diabolo. Ad II. dist. ant. Et S. P. loquitur in propria sententia, neg.; in

in aliena, conc. Ait enim, *afferant hæc duo genera qui potuerint, mihi unde afferam, non occurrit.*

Propositio II. Peccatum angelorum malorum fuit superbia.

Prob. I. ex Script. Tob. 4. : *In ipsa* (superbia) *initium sumpsit omnis perditio.* If. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua.* Ezech. 17. *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* I. Tim. 3. *Ne in superbiam elatus, incidat in judicium diaboli.* Prob. II. ex PP. Aug. l. 11. de Gen. ad l. 23. ait: *Se a luce veritatis avertit superbia tumidus.* Eadem habent Athanasius, Cyr., aliique. Prob. III. ratione. I. Angelus peccando ad res corporeas, quibus non capitur, conversus non est: ergo ad seipsum. II. Ad superbiam pronior est spiritus, quia nullum sibi majorem patitur, aut æqualem, ut ait Damasc.: ergo &c.

Propositio III. Non omnes dæmones in abyssum dejecti sunt, sed plures in aere versantur.

Prob. II. Scripturis. Ap. Eph. 6. ait: nobis esse colluctationem *adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Ad quæ verba ait Hieron. *Hæc omnium doctorum opinio est, quod aer iste plenus sit contrariis fortitudinibus.* Et c. 2. ait Ap., Dæmonem esse *principem potestatis aeris hujus.* Luc. 8. Dæmones Christum *rogabant, ne imperaret illis, ut in abyssum irent.* Prob. II. ex PP. Aug. 8. de C. D. 2. ait, *esse spiritus nocendi cupidissimos, qui in hoc aere habitant.* Adde Tertullianum Apol. 22., Lactantium 1. Inst. 6., Chrysostomum hom. 2., Fulgentium l. 1. de Trin. 8., aliosque.

Prob. III. Hebræorum, ac Philosophorum consensu. Illorum vetustissima traditio est in libro *Aboth*, & in eo, qui dicitur *Cedrus Libani*, & alibi apud Grotium. Platonici dæmones *in aere oberrantes*, & ἀέριον γένος, *aereum genus*, dixere. Poetæ denique *in hoc aere totam illam inferiorum deorum fabulam constituerunt*, ait Vives in 22. de C. D. Quod ergo dicitur 2. Petr. 2., & Judæ 6., Deum rebelles angelos *in tartarum tradidisse cruci*-

ciandos, aut *sub caligine reservasse*, de aere accipi debet, qui relate ad cælum splendidissimum jure dicitur tartarum, abyssus, caligo &c. Ita Aug., Greg. &c.

Ob. I. contra II. Prop. Angelorum culpa fuit cum mulieribus concubitus: ergo non fuit superbia. Prob. ant. ex 6. Gen. *Videntes filii Dei filias hominum*: sed filii Dei sunt angeli, ut exponunt PP. Clem. Alex., Athenagoras, Tertull. &c., & habet versio LXX.: ergo &c.

R. neg. ant. Ad prob. neg. min. Nam *filii Dei* sunt filii Patriarcharum, ut ostendimus c. 2. diss. 1. hujus lib.; sed, dato etiam dæmones incubos cum mulieribus iniisse connubia, ut sentire videtur S. P. A. 15. de C. D. 23.; certum est, peccatum angelorum præcessisse Adæ peccatum, quod invidia diaboli introivit in mundum: sed Adam non cognovit uxorem, nisi post lapsum: ergo &c.

Ob. II. Irenæus, Cyprianus, Nyss., & S. P. docent, angelorum culpam fuisse invidiam: ergo &c. R. dist. ant. Ut effectum, conc.; ut caussam, neg. Filia enim superbiæ invidia est; *Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quia ei coæquantur, vel superioribus, quod non coæquantur: superbiendo ergo invidus, non invidendo quisque superbus est*, ut ait S. P. 11. de C. D. 14.

Ob. III. Scotistæ. Diaboli culpa fuit spiritualis luxuria: ergo non fuit superbia. Prob. ant. Diligere enim seipsum, aut alium inordinato amore, luxuria est, non superbia: atqui diabolus non super alios se extulit, sed de sua excellentia delectatus est: ergo &c. R. neg. ant. Ad prob. dist. maj. Diligere inordinato amore carnali, conc.; secus, neg. Inordinatus enim amor cuique peccato communis est, & ex varietate objecti varias nequitiæ species constituit: si sit amor cibi, gula est; si laudis, ambitio; si propriæ excellentiæ, superbia: ergo solus amor carnalis voluptatis luxuria est.

Quæ-

Quæres, in quo ſita ſit hæc malorum angelorum ſuperbia?

R. Scotus, & Vaſquez cenſent, in eo ſitam eſſe, quod concupierit eſſe Deo ſimilis conditionate, nempe ſi fieri poſſet: Valentia, noluiſſe diabolum Deo ſubjici in miniſterio, nec aliorum angelorum lege teneri, ſed eſſe ſui juris. Idem ſentire videntur S. P. in Pſ. 70., Greg. 34. Moral. & Anſelmus. Alii cum S. Thom. & Ægidio cenſent, voluiſſe diabolum beatitudinem ſupernaturalem naturæ viribus aſſequi: alii divinos honores affectaſſe. Ex quibus conſtat, diabolum ſuperbia tumidum propriæ poteſtatis delectatione fuiſſe corruptum, ut ait S. P. 11. de Gen. ad l. 23., neque ex propriæ naturæ contemplatione ſurrexiſſe in Dei laudem, ut angeli ſancti, adeoque ultimum finem in ſe ipſo ſtatuiſſe, quaſi ſibi ſufficeret *ad beatam vitam*, ait S. P. l. 22. de C. D. c. 1. Conſtat etiam, diabolum peccare potuiſſe, licet eſſet particeps lucis. Nam in ſe delectatus non ſurrexit in Dei laudem: ergo non errore mentis, ſed depravata voluntate peccavit.

CAPUT XI.

De pœna peccati angelorum.

NOT. Peccato finitimam pœnam eſſe, vel ex eo conſtat, quod Deus O. M. *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos* ultricibus flammis. De hoc igne quæri ſolet, an ſit materialis, & corporeus? an etiam æternus futurus ſit? Ac prima quidem adiaphora quæſtio eſt, quæ, licet communiter a catholicis, uno excepto Catharino, affirmative teneatur, imo & ab aliquibus Novatorum, non tamen de fide eſt. Altera vero catholicum dogma eſt contra Origenem, qui ex Epiphanio (a), & Hie-

(a) *Ep. ad Jo. Jeroſ.*

Hieronymo (*a*) negavit, pœnas dæmonum esse æternas.

Not. II. Locum inferni, de quo veteres quidam dubitarunt, *sub terra esse, nemo jam ambigit*, ait Hieron. in ep. ad Eph. 14.: & S. P. A. suam de inferno spirituali sententiam revocat 2. Retr. 24. dicens, *de inferis magis docere debuisse, quod sub terris sint*. Nam Matth. 11. dicitur: *Usque in infernum descendes*. Apoc. 2. in abyssum detrudendus dicitur serpens antiquus. Philipp. 2. meminit Apost. *cœlestium, terrestrium, & infernorum*, ubi triplex animarum locus describitur.

Propositio I. Ignis, quo dæmones & reprobi torquentur, est æternus.

Prob. I. scripturis. Is. 66.: *Ignis eorum non extinguetur*. Dan. 12.: *Evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper*. Ubi Hebræus legit *in opprobrium sempiternum*, Græcus *in convitium æternum*. Matth. 24.: *Discedite maledicti in ignem æternum ... & ibunt hi in supplicium æternum*. II. Thess. 1. *Pœnas dabunt æternas*. Apoc. 2. *Cruciabuntur die ac nocte, in sæcula sæculorum*: ergo &c.

R. I. Origeniani, reproborum supplicium *diu* duraturum, *non semper*. Nam hebræum עולם, *holam*, & græcum αἰών sumitur pro sæculo, pro mundo, & diuturna duratione. Verum licet αἰών *aliquando æternum, aliquando sæculum significet*, ut ait S. P. contra Prisc. 5., *tamen quod ex hoc nomine appellatur αἰώνιον, nec ipsi Græci solent intelligere, nisi id, quod non habet finem*. II. Ita ignis est æternus, ut nunquam extinguatur: ergo *si non extinguetur, pœna sine fine prædicta est*, ait ibi S. P. 3. Dan. 3., & Matth. 25. sicuti æternum dicitur impiorum supplicium, ita & vita bonorum: atqui hæc per Origenem interminabilis est: ergo & illud.

(a) *Epp.* 33. *ad Pamm.*

illud. IV. Si ignis inferni haberet finem, posset epulo ad sortem Lazari transmeare: sed hoc scripturæ adversatur: ergo &c. V. Phrasis Apoc. 20., *In sæcula sæculorum*, apud Hebræos, Græcos, & Latinos omnem finem excludit, ut ait S. P. 21. de C. D. 23.: ergo &c.

R. II., ignem æternum fore, non supplicium. Sed contra est. Ut enim ait S. P. de Fid. & op. 15., *Dominus sententiam suam conclusit dicens: Ibunt illi in combustionem æternam; erit ergo combustio æterna, sicut ignis.* Et 21. de C. D. 23.: *Hinc supplicium æternum, inde vita æterna; dicere autem vita æterna sine fine erit, supplicium æternum finem habebit, multum absurdum est.*

Prob. II. ex PP. Nam præter Augustinum, Cyprianus, Epiphanius, Ambrosius, aliique apud Grotium docent, impiorum animas non posse post mortem quidpiam emolumenti percipere. Cyprianus tr. 1. ad Demetr. 22. ait, *Nullum esse pœnitentiæ locum.* Nazianzenus in Carm. ait: *Post hanc vitam omnia esse vinculis adamantinis alligata.* Hieronymus in Matth. 25. ait, *Quod & supplicia æterna sint, & vita perpetua.* Fulgentius de Fid. 43.: *Firmissime tene, omnes iniquos ituros in combustionem æternam:* & symbolum Athan., *Qui mala egerunt, in ignem æternum:* ergo &c.

Prob. III. ratione. Vera felicitas absque æternitate non foret: ergo nec esset impiorum plena miseria, si aliqua eis superesset, futuri boni expectatio. Ita S. P. 11. de C. D. 11. Deinde in die judicii hæc pro justis sententia feretur: *Percipite regnum:* pro impiis vero: *Ite in ignem æternum:* atqui regnum electorum erit æternum: ergo & damnatorum supplicium. Ita S. P. 21. de C. D. 23.

Ob. I. Apost. 1. Cor. 3. ait, fideles fore salvandos, *sic tamen quasi per ignem:* ergo &c. Marc. 16., *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Jo. 6., *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Matth. 25.: *Possidete regnum; esurivi*

enim,

enim, *& dedistis mihi manducare &c.*: & c. 16.: *Da pauperibus*, *& habebis thesauros in cœlo*: ergò fideles, qui corpus Christi manducant, & eleemosynas faciunt, ab inferorum suppliciis aliquando eruentur. II Impii cruciabuntur, *donec novissimum minutum reddant*, ait Lucas 12. *Quantum glorificavit se*, *tantum date illis tormentum & luctum*, ex Apoc. 18. *Pro mensura peccati erit plagarum modus*, ex Deut. 25.: ergo reddito quadrante, plagis luctuque soluta pœna, debet cessare cruciatus. III. Ps. 76. habetur: *Numquid in æternum projiciet Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Ps. 102. 9., *Non in perpetuum irascetur*, *neque in æternum comminabitur*: ergo &c.

R. dist. ant. Per ignem salvi fient, qui super fundamentum ædificant fœnum &c., idest qui venialiter peccant, conc.; qui fundamentum amittunt, aut graviter peccant, nego. *Quid proderit*, ait Jacobus, *si fidem dicat se quis habere*, *opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? Quousque ergo falluntur*, *qui de fide mortua sibi vitam æternam pollicentur?* Ita S. P. de Fid. & op. 14. Eodem modo respondetur ad loc. Marci, Joannis, & Matth. Etenim qui *crediderit &c.*, *qui manducaverit &c.* salvi fient utrique si mandata servaverint, si manserint in Christi corpore per caritatem, & eleemosynam *prius facere incipiant a se ipsis*, ait S. P. 25. de C. D. 27., conc.; secus, nego.

Ad II. dist. ant. Et loca illa de mali vicissitudine accipienda sunt, conc.; de duratione, neg. *Non propter æquale temporis spatium*, ait ibidem S. D. c. 11., *sed propter vicissitudinem mali*, *ut qui mala fecerit*, *mala patiatur*, esse inter culpam, suppliciumque mensuram. Alias injusta lex foret, quæ servum damnat ad vincula, quia transeunte verbo Dominum lacessivit. Fatetur Origenes, angelos pro unico superbiæ actu plurium sæculorum supplicio puniri. Est etiam in damnatis obstinata in malo voluntas, qua peccando præoptant illicitæ volu-

voluptatis perennitatem: ergo æternum supplicium habet etiam aliquam mensuram temporis. Adde locum Luc. 12. de purgatorio igne accipi posse, vel, si de inferno, τὸ *donec* valet *nunquam*, ut Gen. 8., & Matth. 1. *Non cognovit eam donec peperit &c.*

Ad III. dist. ant. Non projiciet Deus eos, qui resipiscunt, & vasa misericordiæ, conc.; *iræ, & vindictæ*, neg. *Omnium itaque*, ait S. P. ib. c. 24., *miseretur vasorum misericordiæ, non omnium hominum.*

Ob. II. Hieronymus Comm. in Is. 66. ad ea verba, *Ignis eorum non extinguetur*, ait: *Qui volunt supplicia aliquando finiri, his utuntur testimoniis: Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet &c.* Sed Hier. non refellit, imo confirmat Origenistarum opinionem: ergo &c. Ubi nota, S. D. hæc edidisse ætate provectum. Hinc ep. ad Gal. ait, *Nullam rationabilium creaturarum perire in perpetuam.* II. l. 18. in Is. post cit. verba ait: *Sicut diaboli, & omnium negatorum credimus æterna tormenta; sic peccatorum christianorum, quorum opera igne probanda sunt, arbitramur mixtam clementiæ sententiam judicis;* & 1. Dial. contra Pel. ait: *Si Origenes diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui diabolum dicimus perire perpetuo, & Christianos salvandos esse post pœnas?* ergo &c. III. In c. 1. Nahum ad illud, *Non consurget duplex tribulatio*, censet salvatos esse etiam Sodomæ habitatores, dicens: *Ideo ad præsens reddidisse supplicium, ne in æternum puniret:* ergo pœnæ damnatorum per Hieronymum non erunt æternæ, si aut fidem servarunt, aut illi temporaliter puniti sint.

R. dist. min. Non refellit ibi, conc.; nullibi, neg. Hieronymus ergo Com. in Is. Origenis sententiam recitat, non refellit. Mos enim est ejus aliorum placita etiam erronea catholicæ sententiæ permiscere. Reapse ea loca ad verbum in Origene extant: ergo a Hieronymo recitantur, non pro-

ban-

bantur. Cæterum æterna ſupplicia, non ſecus ac vitam, expreſſe fatetur in Matth. 25., & alibi paſſim. Idem dicendum de Comm. ad Galat.; nam poſt cit. verba ait, *Hucuſque Origenes.* Hanc vero germanam eſſe Hieronymi mentem, conſtat ex Apol. 1. ad Rufinum, qui ei Origenianos errores objecerat. Ait enim: *Ego in comm. ad Eph. ſic Origenem ſecutus ſum, ut fidei meæ non amitterem veritatem.* Addit, eum non eſſe culpandum, *qui in uno opere, quod ediſſerit, expoſitiones poſuerit plurimorum.* Idem ait de Comm. in ep. ad Gal. in epiſtola ad S. P. A. 75. Etiam in c. 3. Jonæ eos impugnat, qui docebant, diabolum in die judicii pœnitentiam facturum, dicens: *Sed hoc quia ſcriptura non dicit, & evertit penitus timorem Dei, de noſtris mentibus abjiciamus: & ſciamus, peccatores mitti in ignem æternum, qui paratus eſt &c.; de his dici: Ignis eorum non extinguetur &c.* Et infra: *Si longos poſt circuitus reſtitutio fiet, quæ differentia erit inter matrem Domini, & victimas libidinum? Infinitas ætates congere, ſi finis omnium ſimilis eſt, præteritum omne pro nihilo eſt, quia non quærimus, quid fuerimus, ſed quod ſemper futuri ſimus.*

Ad II. diſt. conſ. Cenſet ſalvandos Chriſtianos, qui cum ſolis venialibus decedunt, conc.; cum lethalibus, neg. Loquitur enim ibi S. D. de fidelibus purgandis, *quorum opera igne probanda ſunt:* atqui Deus igne probat *electos*, non reprobos, quos plectit, non purgat: ergo &c. Et in dial. c. Pel. ait, *Omnes prævaricatores perire perpetuo, Chriſtianos tamen ſalvandos eſſe poſt pœnas, niſi reatu graviorum criminum fuerint inquinati.* Urget ibi Pelagianos, qui ex omni peccato, etiam levi, in ſæculo non remiſſo, putabant æternam conſequi damnationem; contra quos ait, *Chriſtianos, ſi in peccato* (veniali) *præventi fuerint*, ſalvandos eſſe poſt pœnas. Deinde diſtinguit inter peccatores, & impios, & hos vocat, *qui Dei notitiam non habent,*

bent, vel transgressione mutarunt: ergo peccatores intelligit, qui leviter deliquerunt. Addit, in ea sententia solum salvari, *qui nunquam fuit, nec forsitan futurus est*, qui nempe sine culpa veniali decedat: ergo &c.

Ad III. dist. conf. Non erunt æternæ, si pœnituerint, conc.; secus, neg. Nam *in fine mundi lugebunt, qui non egerunt dignam pœnitentiam.* Impugnat ergo S. D. Marcionem dicentem, Deum bis sumere de peccatis supplicium. Porro si temporaliter puniti omnes salvantur, non solum Christiani, sed etiam infideles salvantur.

Ob. III. In die judicii Sancti pro reprobis intercedent, & veniam impetrabunt: ergo &c. Prob. ant. Nam Gregorii Magni, Theclæ, & S. Nicolai precibus Trajanus, Falconilla, & S. Nicolai patruelis flammas evasit: ergo &c.

R. neg. maj. Ecclesia enim, ut ait S. P., *Ideo pro eis orat, quos habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ*: ergo, ubi pœnitentiæ locus non erit, neque orabunt Sancti. Hinc fit, subdit S. P., *Ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis.* Ad prob. neg. ant. Nam Falconillæ, & Trajani fabulæ ex apocrypho Damasceni sermone pro defunctis decerptæ rejiciuntur a Baronio, aliisque: Trajanum namque nefandis criminibus conspurcatum, narrant Dio, & Spartianus. Quæ vero de S. Nicolao aliisque narrantur in actis Sanctorum a Metaphraste collectis, antiqua credulitate inserta sunt, nec nugis vacant. Nisi velis, sententiam judicis fuisse suspensam, ut aliquibus ad vitam revocatis datum sit pœnitentiæ spatium, aliis in horam mortis vehemens contritio.

Propositio II. Ignem inferni corporeum esse certum est, non tamen certitudine fidei.

Prob. I. pars Scripturis. Deut. 32.: *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Eccli. 21. *Consummatio eorum flamma ignis.* Is. 3., *Quis habitabit cum ardoribus sempiternis?*

nis? Matth. 25., *Discedite in ignem æternum.* Vocatur etiam infernus Matth. 5. *Gehenna ignis*, Apoc. 20. *Stagnum ignis*, Pf. 20. *Clibanum ignis.* Atqui fcripturæ verba, quæ eadem phrafi efferuntur, nifi cum aliis pugnent, funt proprie & literaliter accipienda, fervatis aliis Aug. regulis 3. de Doctr. 10.: ergo, cum omnes ferme divinæ literæ, & hiftoriæ ignem in inferis ardere teftentur, non figurate, fed proprie ac literaliter accipi debent. Incredibile eft enim, judicem in fua fententia tropis uti velle, quibus nullibi in oratione ufus eft. Deinde eodem igne dæmones comburentur, quo corpora damnatorum: fed is corporeus eft: ergo &c. Tandem vox Gehennæ, ideft vallis *Hinnon*, & *Tophet*, ubi pueri idolo Moloch incendebantur, & phrafis hebraica *gehennæ ignis*, gehennam ardentem exprimit, ut ait Erafmus: ergo &c.

Prob. II. ex PP. Hieronymus ep. 59. Origenem arguit, quod ignem inferni metaphorice acceperit. Greg. 4. Mor. ait: *Ignem gehennæ corpus effe non ambigo.* S. P. 11. de C. D. 10. *Gehenna illa, quod ftagnum ignis & fulphuris dictum eft, corporeus ignis erit:* ergo &c. Mitto alios.

Prob. II. pars. I. Nulla extat Ecclefiæ definitio de igne corporeo, tefte Petavio, Vafquefio &c.: ergo &c. II. Græci negantes Purgatorii ignem materialem effe, a Florentina Synodo in communionem recepti funt, neque hic error cum aliis profcriptus eft. III. Catharinus Ambrofium fequitur, qui l. 7. in Luc. ait, *Neque ignis, neque vermis eft corporalis:* ergo ejus fententia, licet minus probabilis, hæretica non eft.

Ob. I. contra primam prob. partem. *Vermis*, If. 46. figurate accipitur pro fyndereſi: ergo & ignis.

R. I. Licet *vermis* figurate angorem confcientiæ fignificet, tamen *in inferno vermium innumerabilium genus venenofum* ex Pf. 33. Bafilius proprie admittit. Hinc Jud. 16.: *Dabit ignem, & vermes*

in

in carnes eorum, ut urantur & sentiant usque in sempiternum.

R. II. neg. conf. Vermis enim excruciat dilaniando alienæ substantiæ partes: atqui spiritus non habet partes; corpus vero post resurrectionem incorruptibile discerpi non poterit: ergo ibi vermis improprie accipitur. At vero ignem proprie accipiendum esse, satis constat ex supradictis: tum ex nota Tichonii regula, quæ docet, scripturæ loca, quæ literaliter de uno, figurate de alio pronunciantur, non omnia utrique pariter convenire. Isaias ergo literaliter prænuntiat interitum Antiochi gregalium, mystice judicii diem. Ac illorum corpora vermes vorarunt, oppida consumpsit ignis. Non opus est tamen, ut etiam in damnatis vermis, & ignis literaliter accipiantur, sed proprie accipitur solus ignis, de quo fit repetitio in sententia Judicis, quæ proprie damnatos respicit.

Ob. II. Greg. 15. Mor. 17. ait: *Gehennæ ignis, cum sit incorporeus, nec studio succenditur, nec lignis nutritur, sed durat inextinguibilis*: ergo &c. II. Damascenus l. 4. ait: *Ignem æternum non materialem esse, qualis est apud nos*: ergo &c. III. S. P. 21. de C. D. 10. ait: *Talem fuisse illam flammam, quales oculi* divitis, & Lazari digitus; sed hi non erant corporei: ergo nec ignis.

R. dist. ant. *Est incorporeus*, quia nec fomentis, nec lignis nutritur, ut sol, conc.; quia est expers omni materia, nego. Ad II. pariter dist. ant. Non est materialis ut noster, qui indiget pabulo, conc.; nullo modo materialis est, nego.

Ad III. dist. maj. Et S. P. loquitur in aliena sententia, conc.; in propria, neg. Cum enim plures Catholici, inter quos Euthimius, & Theophylactus, quod Lucæ 6. de epulone narratur, non historiam, sed parabolam esse censerent, vel visionem illam fuisse imaginariam, cumque id etiam probabile sit, noluit suam sententiam, nempe historiam eam esse, aliorum auctoritati præferre,

unde ait: *Talem fuisse flammam, quales oculi.* Ideſt non proprie viſum a divite Lazarum, ſed extaſi quadam, ut ſunt viſa dormientium. *At vero*, ſubdit, *gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit:* quaſi dicat, quidquid ſit de horum ſententia, gehennæ ignis corporeus eſt. Quod probat exemplo vermium, qui in aquis fervidis vivunt, ut revincat incredulos negantes, damnatorum corpora in igne durare non poſſe.

Ob. III. Si gehennæ ignis corporeus eſſet, cum dæmones ubique *ferant ſecum ſuarum tormenta flammarum*, ut ait gloſſa, regiones, & corpora omnia comburerent: atqui falſum conſ.: ergo & ant. II. Nequit intelligi, quomodo ſpiritus poſſit igne torreri: ergo &c.

R. neg. maj. Dæmones enim ignem materialem non ſecum perpetuo deferunt, torquentur tamen etiam extra inferos eodem igne, quia ſciunt ſibi alligationem ad ignem deberi, ut docet S. Thomas q. 64. art. 4. Non enim reo dolor minuitur, ſi ad tempus educatur e carcere apparitoribus ſtipatus. Nec minus angeli gaudent, cum e cælis abſunt ad horam: ergo ſicut illi gaudent extra empyreum, ita iſti cruciantur extra ignem.

Ad II. neg. ant. Licet enim nulla ex ſententiis Scholaſticorum arrideat Auctori noſtro, qui eas confutavit, facile tamen intelligimus, ſpiritus cruciari poſſe igne corporeo per alligationem, quam patiuntur inviti, & a qua digredi ſponte non valent. Cur enim non dicamus, ait S. P. A. 21. de C. D. 10. *Quamvis miris, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi incorporei potuerunt corporalibus membris alligari?*

CA-

CAPUT XII.

De angelorum ordinibus, hierarchia, & miſſione.

NOT. I., ſanctorum angelorum ordinem Ἱεραρχίαν, *hierarchiam*, vel ſacrum principatum appellari. Hæc in dæmonibus non admittitur, ſed ſolum in cæleſti, & militante Eccleſia agnoſcitur. Dicitur enim cæleſtis, aut eccleſiaſtica hierarchia, non infernalis.

Not. II. In cæleſti hierarchia novem recenſet angelorum ordines Gregorius Magnus hom. 34., nempe *angelos*, *archangelos*, *virtutes*, *poteſtates*, *principatus*, *dominationes*, *thronos*, *cherubim*, *ac ſeraphim*. De angelorum nomine dictum ſupra. *Archangeli* ſunt, qui ſumma nuntiant, ut Michael, Gabriel &c. *Principatus*, *dominationes*, *virtutes*, *poteſtates*, & *throni* more Orientalium pronunciantur, ſumptis abſtractis pro concretis. Ac primi quatuor regni proceres, *throni* vero, quaſi reges in thronis conſidentes figurate ſignificant. *Seraphim* ab hebraico שרף, *ſaraph*, *incendere*, dicti ſunt. Aliqui *cherub* quaſi volucrem exponunt, ut angeli *cherubim* dicti ſint, quaſi ob celeritatem alati. Hos omnes commemorat Apoſt. Epheſ. 1., & Coloſſ. 1.

Not. III., novem angelorum choros in tres hierarchias a Dionyſio partitos eſſe. In prima ſtatuit ſeraphim caritate fervidos, cherubim ſapientia plenos, thronos, in quibus ut *in ſede divina majeſtas reclinatur*, ait Caſſianus. Hi ſpiritus Deo ſemper adſtant, neque ad hominum miniſteria mittuntur. In ſecunda dominationes, quibus alii velut dominis ſubjiciuntur, virtutes, per quos ſigna fiunt, poteſtates, quibus arcentur mali ſpiritus. In tertia principatus, quibus regnorum cura commiſſa eſt, archangelos, qui ſumma, & angelos, qui minora nuntiant.

Propositio I. Novem ſunt angelorum ordines; ſed quinam prior, aut infimus ſit, incertum eſt.

Prob. prima pars Scripturis. If. 6. *feraphim*, & Ezech. 10. *cherubim* ftantes referuntur. Coloff. I. *Throni*, *dominationes*, *principatus*, & *poteftates*; & Eph. 1. *Virtutes* commemorantur. *Archangeli* 1. Theff., & angeli, ut ordo diftinctus, Rom. 8.: ergo &c. Prob. II. ex Patribus. Ignatius Mart. ep. ad Trall. *Angelorum, & principatuum differentias, virtutum, & dominationum difcrimina, thronorum, ac poteftatum varietates, cherubim, ac feraphim excellentias* commemorat. Eundem texit catalogum Iren. l. 2. c. 54., nec non Dionyfius de cæl. Hier. 6. Gregorius Magnus hom. 34., Bernardus 5. de Confid., S. P. A. 11. contra Prifcill., Rupertus, Magifter, S. Thomas &c.: ergo &c.

Ob. Hieronymus l. 2. contra Jovin., Ambrofius 1. de Fid., Cyrillus Catech. 6. quatuor angelorum ordines recenfent: ergo &c. R. dift. ant. Non exclufis aliis, conc.; exclufis, neg. Non enim fcopus Patrum erat ibi angelorum catalogum texere: hinc Hieronymus l. 2. Apol. novem recenfet. Neque Ecclefia Romana excludit alios ordines, quos alibi agnofcit, licet in præfatione Miffæ non omnes commemoret.

Prob. II. pars. In ea triplici hierarchia an feraphim primum, angeli infimum locum teneant, neque ex fcripturis, neque ex PP. evincitur: ergo &c. Prob. ant. Nam Genef. 3. 24. *Cherub* miffus dicitur ad cuftodiendam viam ligni vitæ, & If. 6. feraphim ad prophetam convolaffe: ergo aut illi ad primam hierarchiam non fpectant, aut falfum eft eos non mitti. Falfum eft etiam alios angelos non adftare Deo. Nam Tob. 12. ait Raphael archangelus: *Ego fum unus ex feptem, qui adftamus ante Dominum.* Falfum archangelos fpectare ad tertiam hierarchiam; nam Michael dicitur *unus de Principibus primis* Dan. 10. Cuftodes hominum effe etiam angelorum præcipuos, ex illo Matth. 18. *Semper vident faciem Patris*, evinci putant nonnulli: qui locus non de vifione beatifica accipi debet, quam

etiam

etiam obtinent angeli reproborum, ſed de excellentia ac primatu, ut exponit Chryſ. Sed neque ex PP. id evincitur; nam Dionyſium illum non eſſe Areopagitam, ſed juniorem v. aut vi. Sæculi ſcriptorem cenſent eruditi. Irenæus bis enumerat angelorum ordines, ſed in ſecunda enumeratione nec ſeriem primam ſervat, & aliquos prætermittit. Seraphim ad infimum ordinem rejicit Syrorum traditio, & Eccleſia Romana. Hinc S. P. A. ep. ad Oroſium c. 11. *Angelos differre inter ſe aliquid indubitata fide tenere* ſe ait, *ſed quid inter ſe differant, neſcire.*

Propositio II. Probabilius eſt, angelos cujuſvis ordinis a Deo mitti.

Prob. I. ſcripturis. Ap. Heb. 14. ait, *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi &c.*: ergo &c. Prob. II. ex PP. Hieronymus ad Dam. ait, ſeraphim *ad eos mitti, qui purgatione indigent.* Gregorius hom. 34. ſcribit, *quædam per cherubim, quædam per ſeraphim agi* : licet an *per ſe faciant*, non definiat. Nyſſenus de ſeraphim Iſaiæ ait, eſſe Dei miniſtros *propter ſalutem eorum, qui ſalvantur.* Idem docent Bernardus, Cyrillus, Chryſoſtomus &c.

Ob. I. Greg. 17. Mor. 9. ait, Deo aſſiſtere eas *poteſtates, quæ ad quædam nuntianda non exeunt*: ergo &c. R. diſt. ant. Et Gregorio contradicunt PP. alii, conc.; ſecus, neg. Nam Athan. Or. 3. ait, infinita millia Deo aſſiſtere, qui parati ſunt, ut mittantur. Vid. Prop. II.

Ob. II. Ex Hebr. 1. id unum infertur, novam legem veteri præferendam, quod iſta per angelos (præſcindendo, an primi fuerint, vel infimi) illa vero per Chriſtum data ſit: ergo &c.

R. neg. ant. Ibi enim de veteri lege ne verbum quidem, ſed de Chriſto loquitur Ap. Vid. Prob. I.

Angelorum exercitus in ſex cohortes Thalmudiſtæ diſtinguunt, quas vocant *Mazaloth, El, Legion, Rihaton, Chirton, & Giſtera.* I. tot ange-

 los

los continet, quot ſunt ſigna Zodiaci. *El* trigeſies continet *Mazaloth*, ideſt 360., qui in 30. ductus reddit 10800., hoc eſt *Legionem*, & ſic de aliis: itaut *Giſtera* angelos contineat 291600000.: & omnes ſimul cohortes 301., 655., 172. In dæmonibus nullam agnoſcimus hierarchiam. Credimus tamen in varias claſſes diſtributos, ut Deo honorem eriperent, & animas perderent. Hujus tartareæ reipublicæ princeps dicitur in ſacris literis ב״ל־זבוב *Beel-zebub*, quaſi *Deus Muſca*, vel quod idolum Accaron Muſcæ figuram referret, ut ait Nazianzenus, vel quod ex agro *Ekron* muſcas arcere crederetur (1). Dicitur *princeps mundi & aeris hujus* Jo. 12., & ep. 11., ob diffuſam undique idololatriam, quodque ei dæmones pareant, qui per aera diſcurrunt. Novem quoque dæmonum ordines M. Agrippa diſtinguit in impiis lib. de occulta philoſophia: de quibus Auctorem conſule.

CAPUT XIII.

An angeli ſancti ad animarum cuſtodiam vigilent, & dæmones ad ruinam.

NOT. Singulis hominibus deputari & bonum, & malum angelum, nedum ethnicorum, ſed etiam PP. nonnulli tradidere. Quidam fidelibus tantum ac juſtis: alii etiam plures angelos iis deſtinari putarunt. Sit itaque

PROPOSITIO I. Cuique fidelium deputatur a Deo angelus cuſtos: probabilius etiam aliis hominibus.

Prob.

(1) Non deſunt Hebraicæ linguæ periti, qui cum Stephano le Moyne diſſ. in loc. Jerem. 23. 6. putant, *Beel-zebub*, nedum *Deum Muſcam*, ſeu Muſcarum principem, ſed etiam *inimicitiarum*, ſive *principalem inimicum* ſignificare. Quo ſenſu a *Beel-debobo*, ſeu *devovo* creditur derivari.

Prob. prima pars ex Scripturis. Genef. 48. *Angelus eruit me de cunctis malis.* Jud. 13. *Custodivit me angelus ejus.* Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Prob. II. ex Patribus. Origen. h. 20. in Num. *Adest etiam minimis Dei angelus bonus.* S. P. Soliqu. 17. *Magna cura angeli adsunt nobis.* Ambr. de Vid. *Angeli nobis ad præsidium dati sunt.* Adde Ethnicos Menandrum, Censorinum, Horatium, Virgilium &c. apud Huetium, & Petavium. Prob. III. ratione. Indigent enim homines angelorum custodia contra dæmonum insidias, ut eorum preces ad Deum deferantur: ergo &c.

Prob. secunda pars. Illud enim Matth. 18., *Angeli eorum* &c. peculiares custodes designat pro electis; nam reprobis minores angeli forte deputantur. If. 5. habetur, *Auferam sepem ejus*, idest angelorum custodiam, ait glossa, quos omnibus præesse scribit Eusebius, Anselmus &c. Hieronymus etiam in Matth. 18. ait: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat in custodiam sui angelum deputatum.* Huc spectat ratio providentiæ, quæ omnium saluti prospicit: ergo &c. Diximus probabilius: quia nunquam id Ecclesia definivit, neque scripturæ aperte custodes angelos omnibus assignant, sed pueris, fidelibus, regnis, provinciis, & exercitibus. Immo oppositum tradunt Basilius, Hilarius, Chrysostomus &c.

Ob. I. Calvinus. Angelorum custodiam, de qua Pf. 90. habet, *in manibus portabunt te*, vix aliqui experiuntur electi: ergo est fictitia. II. Apost. Hebr. 1. ait, angelos mitti *propter eos, qui hæreditatem capiunt*: sed plures non capiunt: ergo &c. If. 5. ait, obduratos deferi ab angelis: ergo &c. III. Unus spiritus pluribus præesse potest: ergo &c.

R. dist. ant. Vix experiuntur electi curam peculiarem, conc.; communem, neg. Locus Pf. 90. maximam Dei curam erga electus designat. Nam quæ nobis sunt carissima, manibus gestare dicimus.

Id vero communem aliorum curam non tollit. Ad II. dist. ant. Primario, conc.; absolute & exclusive, neg. Angelorum custodia primario electos respicit, sed ad reprobos etiam homines extenditur, quos Deus suis non destituit auxiliis. Ad III. neg. cons. Nam ex ea peculiari custodia & Dei liberalitas patet, & dignitas animarum.

Propositio II. Probabile est singulis hominibus angelum malum, non a Deo, sed a dæmone delegari.

Hæc Magistri ferme obsoleta, atque a Scholasticis repudiata sententia prob. I. quoad primam partem ex Ap. Ephes. 6., ubi ait, esse nobis luctam *adversus principes, & potestates, rectores tenebrarum.* I. Petri 8. *Diabolus circuit quærens, quem devoret:* ergo maligni spiritus animarum perniciem quærunt. II. Ex scripturis constat, dæmones ad instar regni cælestis propriam constituisse rempublicam. Regnum eorum & dux innuitur Luc. 11. Principatus, & potestates Coloss. 2. Virtutes Rom. 8. Sicut ergo in cælestibus custodes angeli, ita in inferis sunt tentatores.

Prob. II. ex traditione, quam perantiquam censet Maldonatus, & Gazæus ex vetustissimo Pastoris libro, ubi legitur: *Duo sunt genii cum homine, unus æquitatis, & unus iniquitatis;* & ex l. Barnabæ: *Duæ sunt viæ: una lucis, altera tenebrarum, uni præpositi sunt angeli Dei, alteri angeli Satanæ.* Idem tradunt Lactantius 2. Inst., Tertull. de anima 39., Orig. contra Cels., aliique.

Opp. Pastoris, & Barnabæ libri sunt apocryphi: ergo nullius sunt auctoritatis. R. dist. ant. Sunt apocryphi, hoc est e canone divinarum scripturarum expuncti, conc.; hoc est omnino rejiciendi, neg. Ostendimus enim l. 7. debito honore habendos esse. Accedunt laudati Patres, quos nemo ob eam sententiam reprehendit. Item Beda in Act. Apost., Auctor Imperf. hom. 5. in Matth., Nyssenus de vita Mosis, ubi ait: *Est sermo ex majorum*

traditione, Deum angelum adhibuisse ad cujusque tutelam: at ex adverso naturæ corruptorem adjuncto dæmone perniciem afferre: ergo &c.

Prob. III. ratione. I. Dæmonum princeps studet totis suis viribus Deo contraniti: ergo, sicut Deus angelos ad curam, ita illæ dæmones in ruinam hominibus statuit. II. In baptismo, sicuti oratur Deus, ut mittat angelum, ita exoratur dæmonum expulsio: ergo sicut in baptismo deputatur a Deo angelus custos; ita a dæmone spiritus nequam.

Prob. secunda pars, Deum nempe malum dæmonem nulli delegare. I. Deus enim ex Jacobo ep. cath. 1. *intentator malorum est*: ergo, sicut nec per se, nec per alium fallere potest, quia verax est, ita nec ad peccatum inducere, quia bonus est. II. Si Deus malos angelos cuique destinaret, posset ei imputari peccatum: ergo &c. III. Ad purgationem electorum sat est permissio, quæ prohibet, ne dæmones pro lubitu in eos desæviant. Ita in Jobi substantiam, & carnem potestatem dedit, at salva anima. Sic justos tentari permittit, ut humiliores fiant: ergo &c.

Opp. Orta est hæc sententia ex fabulis Ethnicorum, qui duos genios bonum & malum cuique assignant: ergo falsa est. II. Pastoris, & Origenis nulla habenda est ratio. Cassianus a Prospero, Magister ab aliis rejicitur: ergo &c. III. Quisque tentatur *a concupiscentia sua*: ergo &c.

R. neg. ant. Nam de geniis, & diis fabulæ ex sacris literis fuerunt permista falsitate depromptæ, ut scribit Tertullianus Apol. 47. In his ergo malis Ethnicorum geniis debemus verum a falso secernere. Sicut ergo vera est traditio Ethnicorum de bono genio, refutata ejus divinitate, ita & de malo, refutatis erroribus illi permixtis. Ad II. vide R. ad opp. Prop. II. Cassianus vero in eo a Prospero refutatur, quod is ex l. Pastoris probare nititur, ita *hominem sibi commissum, ut ei non plus a Deo præsidii, quam a diabolo sit periculi, & id-*

 circo

circo manere in homine arbitrium : ergo ſublato hoc errore, quo Chriſti gratia deprimitur, dum arbitrium nimis extollitur, vitabimus Proſperi cenſuram, & erimus in Magiſtrum obſequentes. Ad III. neg. conſ. Diabolus enim ad concupiſcentiæ ſtimulos addit hortatores, ut Deus ad opem gratiæ vigiles angelos.

CAPUT XIV.

An dæmones poſſint mirabilia patrare?

NOT., quatuor eſſe rerum mirabilium genera. I. Quædam naturæ vim, aut artem illius, a quo fiunt, non excedunt, mira tamen ſunt iis, qui cauſſam ignorant, ut monſtra, & oſtenta, quæ interdum in planetis fiunt, & mira quædam geſta a Pico, Ficino, Sarcha. II. Aliæ ſunt ſenſuum illuſiones, quæ aut naturali magia fiunt, aut dæmonum fraude. III. Quædam humanam vim ſuperant, non autem vim ſuperioris cauſſæ, eaque vel fiunt virtute dæmonis, ut cum in ſublime fertur maleficus, & præſtigia dicuntur. IV. Vel ſupernaturali virtute fiunt, neque ab angelo aut homine, niſi operante Deo fieri poſſunt, ut mortuos ſuſcitare, ſcrutari corda &c., eaque ſunt vera miracula.

Not. II. In mirabilibus tria ſpectanda ſunt, nempe cauſſa effectrix, operandi modus, & finis. Nam qui aliquid præſtat ultra vires, ex. gr., ſi rapiatur in aera, id erit a cauſſa ſuperiore, ideſt a Deo, vel dæmone. Si vim angelicam excedunt, ut reſurrectio mortuorum &c., erunt vera miracula: quæ a præſtigiis, & illuſionibus ex Auguſtini regula l. 83. q. tradita diſtingui poterunt: *Magi per privatos contactus, boni Chriſtiani per publicam juſtitiam, mali per ſigna publicæ juſtitiæ miracula faciunt.* Qui ergo ſignis, verbiſque ignotis utitur, erit præſtigiator, qui Chriſti nomine, aut ſigno crucis &c. id præſtat, & male vivit, ex iis eſt, de quibus Chriſtus ait Matth. 7. *Multi dicent in die illa: in nomine tuo*

tuo virtutes fecimus. Qui *publica justitia*, ideſt fide, & ſanctitate prodigia facit, hi boni ſunt. Miracula enim non ſunt ſanctitatis indicia, niſi moribus comprobentur. Diſtinguuntur etiam ex fine. Præſtigia enim ad propagandam idololatriam & vitia ſunt inſtituta; miracula vero ad Dei cultum & religionis augmentum. His notatis ſit

Propositio I. Dæmones plura faciunt portenta, quæ mira non ſunt, ſi rerum ratio dignoſcitur.

Prob. I. pars Scripturis. Nam Exod. 7. & 8. ab Ægypti maleficis virga in colubrum, aqua in ſanguinem verſa eſt. Apoc. 13. Antichriſtus ignem de cælo educet. Plura etiam refert S. P. A. de inextinguibili Veneris lucerna, & de malefica fœmina, quam Virgilius refert carminibus ſuis *ſiſtere aquam fluviis, & vertere ſidera retro:* ergo &c.

Prob. II. pars. Cum enim dæmones ſeminarias rerum rationes ſciant, & ſerpentes, & plantas, & alia ſuis ſeminibus ſata produci poſſe facile intelligant, non ſecus ac agricolæ jactis ſeminibus ſegetes plantaſque producunt. Idque haud mora; norunt enim opportunitates, unde citius iſta naſcantur. Sed hoc Deo tribuendum eſt, qui ſeminarias rationes rebus inſeruit, & angelis eam contulit poteſtatem. Hoc pacto facile iis eſt aquam ſiſtere, ignem dejicere, ſidera vertere, cum ad hæc ſola corporum motio requiratur, quæ vim angelicam non excedit.

Propositio II. Homines etiam impii vera miracula patrare poſſunt.

Prob. I. Scripturis. Nam Matth. 7. quidam a Chriſto alieni ejus nomine dæmonia ejecere. II. S. P. A. q. 79. ait: *Quædam miracula ſceleſtos facere, qualia ſancti facere non poſſunt.* III. Paulus Epiſcopus Novatianus mira patravit in commendationem baptiſmi. Id autem Deus præſtat I., ut etiam per miniſtros Satanæ fidei virtutem extollat. II., ne quis exiſtimet majora hæc dona eſſe, quam juſtitiæ opera, quibus homines ſalvi fiunt.

Pro-

Propositio III. Mirabilia dæmonum a Dei mirabilibus pluribus ſignis diſtinguuntur.

Prob. I. Deus enim mira non agit, niſi per *publica ſigna juſtitiæ, vel per publicam juſtitiam*, ideſt invocatione ſui nominis &c. Si quis ergo fidei renuntiet, ſacris abutatur &c., & mira jactitet; hæc non Deus facit, ſed Satanas. *Non eſt enim*, ait Chriſtus Mar. 9., *qui faciat virtutes in nomine meo, & poſſit cito male loqui de me.*

II. Si diſſolvantur opera diaboli verbis, aut ritibus ſuperſtitioſis, ut ſi Energumeni per maleficia ſanentur, non eſt miraculum, ſed dæmon ceſſat a nocendo corpori, ut animam perdat. Nam Satanas non pugnat contra Satanam, alias non *ſtaret regnum ejus.*

III. Si quis futura prædicat, ut a fide avocet, vel ad turpia alliciat, licet eveniant, id non a Deo eſt, ſed a dæmone, ut dictum eſt c. 3. diſſ. 2. *Nemo enim in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu* ex 1. Cor. c. 12.

IV. Deo tribui debet prodigium, quod a dæmone ſuperari non poteſt. Sic vera ſunt Dei miracula per Moyſen geſta, quæ Magi non vicerunt dicentes, *digitus Dei eſt hic*, Exod. 8.

V. Dæmonum præſtigia pluribus innoteſcunt. E. g. ſi mortuus excitetur, nec habeat corpus palpabile, phantaſma erit. Non ita Chriſtus, & Lazarus. II. Si idem a pluribus diverſimode videatur. III. Tranſmutationes in volucres, lupos &c., ſi arte dæmonum fiant, vel ſunt imaginationes, vel illuſiones dæmonis aliis corporibus ſubſtitutis. IV. Quæ ad nocendum inſontibus fiunt, ſatis liquet a dæmone fieri. Ex his conſtat, vera miracula ea eſſe, quæ facultatem angelicam ſuperant, quæ vere, non ſola imaginatione talia ſunt, quæque ad Dei gloriam, & proximi ſalutem, & ad incrementa virtutum ordinantur.

Propositio IV. Vera miracula ſunt veræ religionis

gionis notæ, nec possunt a Deo fieri in argumentum erroris.

Prob. I. contra Novatores ex scripturis. Jos. 3. de prodigiis arcæ Domini ait: *In hoc scietis quod Deus in medio vestri est.* Lib. 3. Reg. 18. orans Deum Elias ait: *Ostende hodie, quia tu es Deus.* Jo. 11. Christus Lazarum suscitaturus Patrem oravit: *ut credant, quia tu me misisti.* Marci ult. habetur, *sermonem* Apostolorum a Deo confirmatum *sequentibus signis*: ergo &c.

Prob. II. ex Augustino, qui de Util. cred. 17. ait, hæreticos *etiam miraculorum majestate damnatos*: ergo &c. Ait quidem S. P. 1. Retr. 14., miracula *non fieri tanta, nec omnia modo*, ut Donatistas refelleret, quos *Mirabiliarios* vocat, quia plurima a se fieri jactitabant. Verum l. 10. de C. D. 17. ait, micaculis *nos ad Deum colendum excitari*; & l. 10. c. 8. refert miracula Abrahami, & Moysis ad *corroborandam fidem piorum.* L. 22. c. 8. ait, *necessaria fuisse, ut crederet mundus.* Addit, *etiam nunc miracula fieri in Dei nomine, sive per sacramenta, sive per orationes sanctorum*: narratisque miraculis Hyppone, & alibi gestis, *cui*, inquit, *nisi huic fidei attestantur ista miracula?* ergo &c.

Prob. III. ratione. Nam verum miraculum solius Dei opus est: atqui summa veritas nec per se, nec per alium fallere potest: ergo, licet per impios & infideles possint a Deo fieri miracula, ut Prob. 3. ostensum est, hæc tamen ad idolorum vanitatem adstruendam patrata non sunt. Confirmatur a Gersonio exemplo principis, *cui nullus videre teneretur, si falsarias literas sigillo suo consignari scienter permitteret.* Recte ergo, concludit S. P., nos tenet in Ecclesia *auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.*

Ob. I. contra IV. Prop. Magi Pharaonis, ut divinitatem impugnarent, virgas in colubros, aquam verterunt in sanguinem. Sed hæc in Moyse erant

vera

vera miracula: ergo hæc fiunt in argumentum erroris. II. Idem erit Antichristi miraculum Apoc. 13., ac Eliæ fuit 3. Reg. 18.: sed illud erit ad seducendas gentes: ergo & istud. III. Infideles & impii ex Matth. 7. dæmones pellere, & virtutes facere possunt: ergo &c.

R. dist. Maj. Et ea excedunt nativam vim dæmonum, neg.; & non excedunt, conc. Solutio patet ex Prob. I. Miracula vero Moysis vera erant, quia Moses contra idololatriam pugnans Satanæ virtutem superavit, devorante virga Aaron virgas incantatorum. Tandem Moyses per publicum justitiæ signum prodigia faciebat, & palam invocato Dei nomine; Magi vero incantationibus suis, tacitoque susurro. Ad II. neg. ant. Nam Elias contra Baal certavit, eumque devicit: ergo non potuit ope dæmonis uti adversus dæmonem. At præstigia Antichristi, quæ ope dæmonum fient, horum vires non excedunt, ut supra dictum est. Ad III. neg. cons. Virtutes enim factæ Christi nomine ejus potestatem demonstrant, qui diabolum invitum per ejus ministros expellens, gloriose de eo triumphat.

Ob. II. I. Reg. 28. narratur, Samuelem a pythonissa excitatum fuisse: sed mortuorum suscitatio est summum & verum miraculum: ergo &c.

R. dist. maj. Et Samuel Dei virtute excitatus est, conc.; virtute diaboli, neg. *Quid enim absurdum est*, ait S. P. A. q. 3. l. 2. ad Simpl., *ex dispensatione divina permissum, ut non dominante magica potentia, sed obtemperans divinæ dispensationi, consentiret spiritus prophetæ se ostendi aspectibus regis divina eum sententia*, in pœnam impiorum, *percussurus?* Nec honori prophetæ detrahitur, ex eo quod evocatus venerit ad prophetandum. Nam quod Samuel *exaltavit de terra vocem suam ad prophetam*, judicium Dei est punientis impium, & gloria Samuelis prophetantis post mortem.

R. II. dist. maj. Narratur excitatus vere, & realiter,

liter, neg.; apparenter, conc. Tradit hanc responsionem S. P. A. ibidem, dicens, *non vere spiritum Samuelis excitatum*, sed aliquod *phantasma*, quod scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum eorum nominibus appellari: ergo &c.

Ob. II. Miræ sunt hominum conversiones arte dæmonum factæ; ut socii Diomedis in volucres conversi, Apulejus in asinum, Iphigenia in cervam, Ulyssis socii in porcos, Arcades, Neurique in lupos, Lindorus Cataniensis in varia animalia; ut sileam sagas ad congressus nocturnos in bruta conversas: atqui hæc a dæmone fiunt ad confirmandam impietatem, aut errorem: ergo &c.

R. neg. maj. Quamvis enim hæc omnia vera essent, non sunt tamen vera miracula, cum dæmonum vim non excedant. Facile est enim dæmoni, sublato humano corpori ferinum supponere, potuque venefico sic hominum phantasiam turbare, ut in belluas conversi videantur. Sic pro sociis Diomedis a dæmone occisis fulicas credimus eo asportatas, quæ blande Græcis accessere, ut superstitiosa gens crederet, Diomedem Deum esse factum, Apulejus narrat magico veneficio delibutum in asinum se esse conversum. Sociis Ulyssis *venena nocentia* caseo, ac pani commixta sunt. Neuros lupos fieri cerevisiæ poculo a Magis propinato, quo illos invadit lupina rabies narrat Olaus. Pro Lindoro animalium phantasmata supposita sunt, sicut pro Iphigenia cervam. Sagarum conventus perturbatæ phantasiæ & imaginationi tribuendi sunt: ergo &c.

Ob. IV. Gigantes prodigiosæ staturæ, elementares homunculi divinationis virtute donati, quos Nymphas, Gnomosque vocat Paracelsus, a solo dæmone sunt procreati, non secus ac aurum & gemmæ, quas suis cultoribus offerunt: ergo vera miracula facit spiritus nequam.

R. neg. ant. Gigantes enim ex stirpe Cain genitos

esse

esse credibile est. Naturali enim concubitu gigantes gigni posse, eosque non esse poetarum figmenta, ostendunt ossa hinc inde reperta: ut dens molaris permagnus in littore Uticensi repertus ex Aug. 15. de C. D. Paracelsi homunculi dæmones sunt ad fingendas ludicras imagines aptissimi. Aurum autem, & gemmæ a dæmone sunt aliunde asportatæ; recte enim novit, ubi natura thesauros produxit, aut condidit avaritia.

Quæres: quo sensu scripserit S. P. A. de Unit. Eccl. 16., *non ideo manifestari Eccclesiam, quia in ea miracula fiant?* Quæ verba nobis opponunt hæretici (1).

R., hunc esse illorum verborum sensum: nempe unitatem Ecclesiæ canonicis scripturis probatam mirabilibus, quæ Donatistæ jactabant, labefactari non posse. Hæc enim *vel figmenta erant mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* Proinde *quæcunque talia in catholica* (Ecclesia) *fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur catholica, quia hæc in ea fiunt.* Quibus probat S. P., avertendum nullum esse a catholica fide maximis jam miraculis confirmata novorum occasione signorum, ut Donatistæ contendebant, qui Ecclesiam apud se esse jactitabant ob Donati & Pontii miracula.

CA-

(1) Augustini scopum in hac controversia nuper investigavit doctissimus Anonymus Maurinus in libro, quem inscripsit: *la doctrine de l' ecriture e des Peres sur les guerisons miraculeuses*, P. 2. in 4to cap. 15., ubi admiratur triumphos a S. P. relatos armis doctrinæ suæ contra Donatistas & Gentiles, qui miraculorum argumentum ea dexteritate tractavit, ut victoria semper esset ex parte catholicæ Ecclesiæ; ex parte autem gentilium, aut hæreticorum turpissima clades.

CAPUT XV.

De licita, ac superstitiosa magia, ejus origine, usuque execrando.

Mirabilibus dæmonum affinis est magia, de qua plura Guillelmus Parisiensis, del Rio, Castaldus, aliique. Magi ergo, Tullio teste, sapientes erant apud Persas, eosque Magoam incoluisse censet noster eruditiss. Schacchus Myroth. 1. c. 9. Nunc vero in deteriorem sensum magi nomen accipitur, eumque significat, qui nova, & mira virtute dæmonis operatur.

Propositio I. Datur magia, qua plura fiunt arte præter consuetum naturæ ordinem.

Prob. I. Inditæ sunt enim a Deo singulis rebus virtutes non omnibus perviæ, ut lapidum, herbarum &c. occultæ virtutes, ut vis attrahendi in magnete, medendi venena in lapide serpentario, & dyctamno. Tanta est etiam quorundam in agendo dexteritas, ut ab ignaris malefici habeantur, qua nota Galenus, & Boethius ipse non caruit. Albertus M., Picus, & Ficinus omnes in admirationem sui rapuere. Aliis sanandi virtus a natura confertur, aliis animalium, & avium voces imitandi: ergo &c.

Propositio II. Datur magia, cujus effectus, non a natura, sed a spiritali separata substantia oriuntur.

Prob. I. ex historiis. Nam per Hydromantiam, idest per imagines in aqua apparentes, accepit Numa Pompilius quid circa res sacras constitueret. Per Necromantiam evocari spiritus mortuorum, scribit S. P. A. de C. D. c. ult. In elementaribus corporibus dæmones conspici, & homines alloqui, narrat Cardanus: ergo &c.

Prob. II. ratione. Hæc enim idola loquuntur, & occulta revelant: ergo a spiritali substantia moventur, nec ea solæ imaginationi referri possunt,

cum sæpe ad homines fiant revelationes exterioribus sensibus libere utentes.

Propositio III. Magica opera ab impuris spiritibus fiunt.

Sequitur ex dictis, & prob. I. Non possunt a dæmone vera miracula fieri in argumentum erroris, aut impietatis, per Prop. IV. cap. præcedentis; Satanas enim Satanam non ejicit: ergo nec possunt portenta magica fieri auctore Deo; quia Dei virtus non potest oppugnare seipsam, nec idolorum superstitionem promovere.

Propositio IV. Magia idololatriam continet & dæmonis cultum, vel expressum, vel tacitum.

Prob. Diabolus enim magiam instituit, ut cultum uni Deo debitum sibi vindicaret, idque aut tacita, aut expressa pactione. Sed utroque modo sese magus obstringit crimine idololatriæ: ergo &c. Prob. min. Nam expressa pactione se se diabolo vovet, aut fidem negando, vel Deo, aut Deiparæ maledicendo: tacita vero id præstat notis occultis, quibus, quasi secreto contractu, intentum opus exequitur: ergo &c. Dignoscitur autem hæc tacita conventio ex signis disparatis, ut sunt inaudita angelorum nomina, ignoti characteres, figuratæ laminæ, scripturæ & sacrarum rerum abusio, novi ritus, certa corporis positura, situs & horæ superstitiosa observatio, aliaque ab ethnicis derivata.

Propositio V. Magia una cum idololatria a Chami posteris derivata est.

Prob. I. Polytheismus a Chami posteris derivatus est, ut alibi ostendimus. Atqui magia est Polytheismi comes individua: ergo &c. Pr. min. ex Apulejo, qui eam definit *artem diis acceptam colendi eos.* Hinc Plato eam inventam ait *ad plurium deorum cultum.* II. Auctor magiæ fuit Zoroaster: sed is est Cham, aut Nembrod ex Gregorio Turon., aliisque: ergo &c. III. Ægyptii scriptores Saturnum & Zoroastrum unum & eundem putant:

tant: ſed illum eſſe Cham conſtat ex columna Semiramidis apud Xenophontem: ergo &c.

Propositio VI. Artes magicas profiteri ſcelus eſt deteſtabile.

Prob. Levit. 20. habetur: *Vir, ſive mulier, in quibus pythonicus fuerit ſpiritus, morte moriantur. Animæ, quæ declinaverit ad magos, & ariolos; interficiam illam:* ergo &c.

Ob. I. Magiam etiam Moyſes exercuit: ergo &c. Prob. ant. ex virgæ uſu, ex gemina percuſſione petræ, & æneo ſerpente, quem Moyſes erexit. II. Magiam exercent Catholici Romani, qui martyrum oſſibus, cereis, thure, & ſuffimentis utuntur, quæ a Magorum ritibus non longe abſunt; unde *genus hominum ſuperſtitionis maleficæ* a Suetonio dicti ſunt: ergo licita eſt. III. Miracula Magorum ſunt gratiæ gratis datæ: ergo a Deo ſunt. IV. Plures Magi ſuis carminibus dæmones fugant: ergo &c.

R. neg. ant. Nam miracula Moyſis habent veri miraculi notas ſupra relatas. Adde Moſaicam legem Magos morte multare. Moyſes etiam unius Dei cultum ubique commendat. Ad prob. neg. ant. Virga enim, ſerpens &c. erant typus crucis & mortis Chriſti. Ad II. neg. ant. Nam uſus reliquiarum &c. cum diſſolvant opera diaboli, ſigna ſunt veræ religionis. Suetonius autem, aliique ethnici Chriſtianos maleficos & ſuperſtitioſos dixere ob reprobatum ſuorum deorum cultum, & ut illos redderent odioſos. Ad III. neg. ant. Nam gratiæ gratis datæ abſque ſtudio dantur a Deo, Magia vero libris, ac magiſtris comparatur. Ad IV. neg. conſ. Non enim magica incantatione dæmones compelluntur, aut fugantur inviti, ut fit Eccleſiæ exorciſmis. Magi enim ſpiritus adjurant per nomina diabolica, quæ ſæpe divinis nectunt, quaſi idem præſtare poſſit Dei nomen, ac Beelzebub: cum angelis etiam dæmones invocant: Eccleſiæ miniſtros habitu, inceſſu, & ritibus exprimunt

ad ludibrium; sunt ergo sacrificuli idololatræ mancipia Satanæ, atque sacrorum Ecclesiæ iniquissimi contemptores. Verum de invisibilibus angelis satis multa diximus; reliquum est, ut de rebus aspectabilibus pauca dicamus.

LIBER XI.

Ubi de rebus aspectabilibus, eorumque productione & ætate.

MUNDUM a Deo traditum disputationi eorum, qui ejus opera non noverunt, auctor est Ecclesiastes c. 3. Idcirco plura commenti sunt de ejus anima, atque extensione, figura, motu &c. His tamen prætermissis, pauca de mundi productione, atque ætate breviter delibabimus.

DISSERTATIO I.

De mundi productione.

HISTORIAM de universi productione, quam nedum Deo revelante, sed etiam ex majorum traditione didicerat, describit Moyses Genes. 1.: cujus narrationem ethnicorum fabulis præferendam I. loco ostendemus. II. Quo sensu accipi debeant sex dies creationis mundi. III. De rebus a Deo sex dierum spatio productis sermo erit. IV. De Paradiso. V. De anni tempore, quo mundus productus est.

CAPUT I.

Creationis historiam e libris Moysis, non ex ethnicis scriptoribus depromendam ostenditur (1).

NON instituitur hic quæstio: an libri Moysis sint Deo afflante conscripti? sed quæritur, an serva-

(1) Abbas Pradesius in Apologia Thesis celeberrimæ, quæ tot nuper turbas Lutetiæ excitavit, affe-

servatis criticæ regulis ex variis Ægyptiorum, Chaldæorum, & Græcorum historiis, ubi de rerum productione disseritur, historia Mosaica, an profana sequenda sit?

Propositio. Mosaica narratio de rerum primordiis est omnibus præferenda.

Prob. I. Ubi de rebus ab ætate nostra remotissimis sermo est, iis scriptoribus major habenda est fides, qui sunt cæteris vetustiores, quique omnes veritatis notas præseferunt. Atqui talis est Moyses: ergo &c. Prob. min. quoad primam partem. Prætermissa hebraicæ gentis origine, cujus vetustas ex ipsa lingua omnium parente dignoscitur, Moysen historicos omnes præcessisse probat Clemens (a), Cyrillus (b), Huetius (c). Hos vero his momentis ostendemus.

I. Diodorus antiquitatum diligentissimus scriptor ait,

asserere non est reveritus 3. par. p. 42.: *posse quempiam a Moysis Physica, rerum exordia narrantis, absque religionis injuria recedere: permissumque esse philosophis investigare, an priusquam terra fieret homini habitabilis, jam a pluribus sæculis materia creata esset? Hos idcirco illustres philosophos historicæ Mosis narrationi directe non adversari.* Addit: *Moysen cæteris historicis audentiorem hanc epocham creationis determinare non dubitasse.* Ex his autem totam Moysis naturalem historiam ut falsam, aut incertam repudiari posse, perspicue demonstrat Auctor epistolarum Belgic., pluraque in sacris literis memorata temporum experimento falli revinci posse, fictitiam esse Pentateuchi Chronotaxim, eamque non a Moyse adornatam, sed in ejus libris intrusam. Quæ quam sint absurda, atque ab ipsa fidei veritate aliena, cæcus sit oportet, qui prima fronte non videat.

(a) 1. *Strom.* (b) *Contra Julian.*
(c) *Prop. IV. D. E.*

ait, Moysen primum omnium populis persuasisse, ut legibus scriptis uterentur. Eupolemus, & Artabanus tradunt, Moysen fuisse literarum inventorem, & Mercurium ipsum, qui Ægyptios literas docuit: eo nempe sensu, quo Cadmus apud Phœnices dicitur institutor literarum, quia in iis claruit: ergo &c.

II. Appion Grammaticus (*a*) fatetur Moysen fuisse synchronum Inacho Argivo. Atqui ex rebus Græcis, teste Halicarnasseo, Argolicæ sunt vetustiores, cum originem ducant ab Inacho. Cadmus enim Græcorum institutor Thebas adventavit tempore Lyncæi, septima generatione post Moysen, ut demonstrat S. Clemens Alexandrinus: ergo Moyses vetustior est Græcis scriptoribus, floruitque, antequam ipsi grammatices elementa cognoscerent.

III. Græci scriptores omnes floruere post Moysen; ergo is est omnium vetustior. Prob. ant. Herodotus vixit sub Xerse, & natus est anno Olymp. 72. Hunc secuti sunt Thucydides, & Xenophon, qui floruit Olymp. 94. Postea Anaximander, aliique: ergo &c II. Inter Ægyptios Berosus est antiquissimus: sed is biennio ante obitum Alexandri natus est, librosque suos obtulit Antiocho Theo: ergo longe est Moyse posterior. III. Post Berosum Ægyptiam historiam scripsit Manethes: sed is scripsit sub Ptolomæo Philadelpho; ergo &c. IV. Res Phœnicum scripsit Theodotus ætatis incertæ: sed is meminit Judæorum: ergo est iis posterior. V. Poetæ omnes floruere post Moysen: ergo &c. Prob. ant. Homerus vixit an. 13. ante primam Olympiadem. Orphæus paulo ante Linum, Linus Herculem, hic unius hominis ætate bellum Trojanum præcessit. Alii sunt juniores: ergo &c.

IV. Ex libris Moysis priscorum doctrina promanavit:

(a) *Hist. Æg. l. 4.*

navit: ergo &c. Ant. prob. Huetius. I. enim Sanchoniaton Troja vetustior ex Taauto, ideft Moyse, de mundi origine historiam hausit. II. Homerus plura ex Moyse deprompsit. III. Thales, Pythagoras, Plato, aliique philosophi ex doctrina Judæorum sua dogmata derivarunt, ut Aristobolus ostendit. IV. Moysen esse Mercurium, Osiridem, Bacchum, Serapidem, ostendit Huetius: ergo &c.

Prob. min., quoad 2. part. I. Enim in historia Mosaica occurrit styli simplicitas, una cum idiotismis primigeniæ linguæ. II. Ingenuitas, & sinceritas, qua obscuram prosapiam suam, fugam ex Ægypto, pœnam sibi & sorori irrogatam, & fratris crimen non dissimulat. III. Difficultas mentiendi, cum res describeret majorum traditione firmatas, coram ingenti multitudine peractas, contra regem & optimates Ægypti, qui fabulas in dedecus gentis suæ in vulgus edi non permisissent. IV. Mosaicæ legis sanctitas, nempe unius Dei cultus, virtutum officia &c. V. Miraculorum auctoritas; nam libri Moysis inter tot Hebræorum clades, captivitates, exilia, servatis in orbe exemplaribus, omnium lingua translati, integri, & concordes ad nos usque pervenerunt: ergo Moysis historia omnes veritatis notas habet, & vetustate, & veritate est omnibus præferenda.

Ob. I. Ægyptii multis annorum millibus Hebræos præcessere: ergo Moyses non est antiquissimus. Prob. ant. I. Ex eorum Dynastiis apud Eusebium. II. Ex libris Mercurii Trismegisti, quos Patres laudant, quorum auctor pluribus sæculis Moysen præcessit. III. Ex Act. Apost., ubi Moyses eruditus dicitur *omni sapientia Ægyptiorum*. Hinc Philo scribit, Græciæ doctissimos ad pueri institutionem accersitos. IV. Ex Mercurii columnis temporum historiis inscriptis, quas Eusebius refert dicens, Moysen 300. an. post Inachum Cecropis ætate vixisse: ergo &c.

R. neg. ant. Falsa est enim Ægyptiorum supputatio,

tatio, ut ex Varrone oftendit S. P. 18. de C. D. 40. Ad I. prob. neg. ant. Nam Ægyptiorum annos fuiffe quatuor mensium, & Dynaftias collaterales, & implicitas, infra oftendemus. Ad II. neg. ant. Nam Mercurii Trifmegifti opera funt fuppofititia. Patres autem ea opera laudant, quæ Mercurii nomine infcripta erant, cui fcriptores Ægyptii fua confecrabant inventa, ut refert Jamblycus de myft. Ægyptiorum. Ad III. dift. ant. *Sapientia Ægyptiorum* ab Hebræis accepta, conc.; aliunde, neg. Nulla enim apud Ægyptios fapientia fuit hebraica vetuftior. Fallitur etiam Philo, dum ait, ad Moyfis inftitutionem magiftros e Græcia accerfitos; nam ante feptem Sapientes, & primam Judaicam captivitatem nulla fuit apud Græcos Philofophia. Ad IV. neg. ant. Eas enim columnas vel Sethi nepotes inciderunt, ut ait Jof. 1. Ant. 3., vel Ægyptii pofteriores Mofaicæ legis cultores. Cecropes autem plures extitiffe, ex eo conftat, quod quidam narrent a Cecrope primitus bovem effe immolatum; Paufanias vero fcribit, Cecropem victimas abdicaffe.

Ob. II. Plura extant in libris Mofaicis mendacia: ergo &c. Prob. ant. Gen. 4. habetur, Cainum urbem Henoch ædificaffe, cum vix quatuor homines viverent; c. 36. meminit regum Ifrael & Chananæorum ut hominum vix memoria fuperftitum, cum etiam extarent ævo fuo; c. 40. ait Jofeph, fe de terra Hebræorum fublatum, qualis non erat tunc Chananæa: ergo &c. II. Libri Moyfis ab Antiocho cremati funt ex Mach. 1.: ergo fpurii funt, qui ejus nomine circumferuntur. III. Plura in iis libris extant flagitia, inceftus &c.: ergo &c.

R. neg. ant. Ad I. prob. neg. conf. Primorum quippe hominum vita tam longa fuit, ut unius hominis filii poffent etiam urbes ampliffimas conftituere, ut fcribit S. P. 15. de C. D. 8. Narrat enim Vives, fuiffe in Hifpania vicum, non parvum, cujus incolæ omnes a vivente fene erant progeniti, &

Bruf-

Brussonius refert, Pinem ante 80. ann. 1789. e femore suo prognatos numerasse. Ad alterum R., Moysen de regibus Israel prophetasse, ut constat ex Deuter. 12. Ait vero c. 12. Gen., Chananæos sedem fixisse in ea terra, quando illuc appulit Abraham, quod verum est: licet scribente Moyse nondum essent expulsi. Joseph autem ait, se esse sublatum de ea terra Hebræorum, hoc est, ubi Abraham, Isaac, & Jacob Hebræi possessionis jure fixerant domicilia. Ad II. dist. ant. Cremati sunt omnes, neg.; plures publici, qui ad manus militum pervenere, ut habetur ibidem l. 3. conc. Ad III. dist. ant. Et ea flagitia *narrata* sunt, conc.; *laudata*, neg. Ita S. P. contra Faust. 45.

Quæres. Unde Hebræorum nomen dictum sit. R. Probabilior sententia est a voce עבר *haber*, *ultra*, derivasse, ut ait S. P. A. q. 29. in Gen. Nam Abraham omnium primus Hebræus, seu transfluvialis dictus est, quod trans Euphratem profectus sit.

CAPUT II.

Quo sensu accipiendi sint dies creationis mundi.

Censent nonnulli, dies istos naturales esse, & 24. horarum spatio comprehendi: at S. P. A., qui in eorum inquisitionem mentem omnem intendit, dies illos per varias angelorum sanctorum cogitationes distinguit, ut l. 10. exposuimus. Ejus sententiam ut erroneam, & scripturæ oppositam traduxere Molina, a Lapide, Arriaga &c. Estius aliique minus probabilem censent. Nos vero sensum nostrum sequentibus Propositionibus aperiemus.

Propositio I. Temere & inconsulte carpitur S. P. A. de simultanea creatione sententia.

Prob. I. Temere enim eorum sententia carpitur, quibus in exponendis scripturis major intelligentia divinitus concessa est, quibusve Ecclesia ma-

gnam tribuit auctoritatem: sed talis est Augustini sententia: ergo &c.

Prob. II. ex PP. Illi enim aut præivere, aut secuti sunt Augustini sententiam. Nam eam tradidit Clemens Alexandr., Athanasius (*a*), Isidorus (*b*), Cassiodorus (*c*). Nec ab ea recessit Ambrosius, & Gregorius Magnus: Augustinus vero non obiter, sed peculiarem de ea habuit disquisitionem, quam Xistus Sen. tam sublimem censet, ut nulla talis aliquando prodierit: ergo &c.

Prob. III. ex Scholasticis. Albertus M. p. 1. q. 12. ait: *Videtur Augustino consentiendum.* S. Thomas 2. dist. 12. Augustini expositionem *subtiliorem* appellat, & Summ. p. 1. q. 58. admittit in angelis cognitionem *vespertinam*, *& matutinam*, licet q. 84., *ut neutri parti præjudicetur*, utriusque rationibus respondeat. Eundem imitatur Ægidius (*d*), & Cajetanus (*e*). Ex recentioribus Augustino subscribunt Macedo, Norisius, de Angelis, Tonti, Moreaus, Serrius. Mitto Procopium, Philonem &c. ergo &c.

Propositio II. Augustini sententia a censura quavis immunis est, & prope certa.

Prob. I. Gen. 2. postquam Moyses rerum creationem 6. diebus factam narravit, ait: *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt IN DIE, quo fecit Dominus cælum, & terram &c.*: sed τὸ *in die* hebraice יוֹם, *Jom*, diem proprie significat, non tempus, quod pluraliter effertur, non singulariter: ergo &c. Habetur in græco, ἡ ἡμέρα ἐποίησε, *qua die fecit cælum, & terram, & omne viride*: ergo plantæ &c. eodem die factæ sunt, quo cælum, & terra. Hinc aliqui codices habent, *hic dies generationis &c.*, *qua die fecit &c.*

Prob.

(a) *Ex Petav. l. 1. de op. 6. dier.*
(b) *L. 1. de summ. Bon. 8.* (c) *Div. inst. 22.*
(d) *In Hexam. 1. p. c. 25.* (e) *In Genes.*

Prob. II. Deus creavit ſolem quarta die: atqui
ex ſole naturalis dies fit: ergo tres priores dies
non fuerunt naturales. R. Adverſarii, tres prio-
res dies ex Baſilio diſtinctos fuiſſe luce primigenia.
Verum ſalva Baſilio reverentia ſic arguitur. I. Lux
primæ, & luminaria quartæ diei in hebræo dicun-
tur אור, *hor*, cum ſolem Hebræi vocent שמש,
ſcemeſc: hinc Rabbini docent, ſolem prima die
creatum fuiſſe, ut notat Calmet, ejus tamen pro-
ductionem per recapitulationem narrari die quarta
cum aliis corporibus luminoſis: ergo primus, &
quartus dies unus eſt, & in ſex diebus recapitula-
tione narratur, quod in prima actum eſt. II. Sol
dicitur, quia ſolus lucet: ergo nulla eſt lux a ſole
diſtincta. Vel enim lux illa primigenia corpus erat,
vel qualitas: ſi 1. ergo erat a ſole. Si 2. ergo ſol
ipſe, ideſt a lucido corpore emanare debebat. Con-
firmatur; nam Pſ. 148. primo angeli, tum ſol &
luna ante cælum memorantur, non lux: ergo lu-
cis nomine deſignat Moyſes lucem & ſolem. III. Ex
quo 1. Geneſ. dicatur, *Fiat firmamentum, & divi-
dat aquas ab aquis*, infertur, nullam antea exti-
tiſſe aquarum diviſionem: ergo dum dicitur, *Fiant
luminaria, & dividant diem ac noctem*, recte infer-
tur, ante ſolem & noctem non fuiſſe diviſas.
IV. Ubi dicitur, *Sint in ſigna & dies &c.* Chal-
dæus legit: *& numerentur per ea dies, & anni*:
ergo ante ſolem non erant tempora, non dies, ne-
que horum diſtinctio.

Prob. III. Eccli. 13. habetur, *Qui vivit in æter-
num, creavit omnia ſimul*: ergo &c. R. Adverſarii
τὸ *ſimul* idem valere ac *univerſaliter*, & *communi-
ter*. Græcus enim habet κοινῇ. Sed hoc eſt me-
rum effugium; nam rerum univerſitas ſatis expri-
mitur per τὰ πάντα, *omnia*: ergo κοινῇ, *ſimul*,
non de rebus, ſed de tempore accipi debet. Prob.
conſ. I. enim κοινῇ ſæpiſſime pro tempore uſur-
patur, ex lexico Conſtantini. II. Opponit ibi Ec-
cle-

clesiasticus Dei opera operibus hominis, qui, *cum consummaverit, tunc incipiet*, hoc est uno opere consummato ad aliud pergit. Deus autem non ita; *creavit* enim *omnia simul*, idest uno temporis puncto. III. Idem sentit Lateranensis Synodus, dicens, Deum *simul ab initio utramque de nihilo creaturam* condidisse: atqui hinc probant Theologi, angelos creatos esse prima die, qua Deus condidit cælum & terram: ergo &c.

Prob. IV. Athanasius or. 3. ait: *Verbum Patris dicendo, ante omnes genuit me, se alium ab omnibus esse declarat, cum constet, res omnes uno eodemque mandato simul extitisse:* atqui, si una creatura ante aliam extitisset, futile esset Athanasii argumentum: ergo &c.

Prob. V. ratione. Creaturæ omnes sex diebus conditæ non sunt distinctæ: ergo nec dies. Prob. ant. Deus tertia die creavit ligna fructifera &c. sexta fecit hominem masculum & fœminam: sed hæc non differunt a terra condita prima die cum semine omnium germinum: ergo &c. Prob. min. Gen. 5. legitur, Deum fecisse *omne virgultum agri, antequam oriretur in terra:* sed hoc non est aliud, nisi terra, seminibus gravidata, sicut mulier creata die sexta non distinguitur a viro, sed latitat in ejus costa (postquam enim Deus requievit ab omni opere, Adæ non inveniebatur adjutor similis ejus): ergo ex creaturis quædam ex nihilo creatæ sunt, ut cælum, terra, sol &c., ubi scriptura habet *fiat*, aliæ ex præcedenti materia, ut herba &c., & hominis corpus. In his vero habet, *germinet terræ, producant aquæ* &c. Illæ semel productæ semel recensentur Gen. 1. Aliæ prius in materia productæ sunt, postea in sua specie, & harum bis generatio enarratur, hoc est c. 1. & 2.: ergo omnia Dei opera spectant ad dies invisibiles, in quibus creavit Deus omnia simul, relate ad diversas cognitiones angelorum. Quæ vero prius in seminali ratione, deinde visibiliter facta sunt, secundum priorem ratio-

rationem ſpectant ad intelligibiles dies, & unico inſtanti producta ſunt, ſecundum poſteriorem eorum productio fit in tempore, & ſpectant ad dies naturales, in quibus Deus quotidie operatur.

Propositio III. Tametſi vera eſt Auguſtini ſententia, non debet oppoſita ut falſa refelli.

Prob. I. ex Auguſtino, qui l. 4. de Gen. ad lit. 28. ait: *Qui aliam requirit in illorum dierum enumeratione ſententiam, quærat, & divinitus adjutus inveniat.* II. Ob theologorum numerum oppoſita ſententia probabilior aliquibus videri poteſt: ergo &c. III. Si aliorum ſententiam carpimus, ejuſdem temeritatis damnabimur, quam in aliis Prop. I. notavimus: ergo &c.

Ob. I. Doctores omnes, uno excepto Auguſtino, ſex dies naturales accipiunt: ergo &c. II. S. P. hanc ſententiam tradit in l. de Gen. ad lit.: ſed in iis libris, ex 1. Retr. 18., *plura ſunt quæſita, quam inventa, & pauciora firmata*: ergo &c.

R. neg. ant. Nam ex dictis oppoſitum evincitur. Ad II. diſt. ant. In iis libris tantum, neg.; etiam, conc. Hanc enim ſententiam tradit S. P. in l. de C. D. Neque in libris Retr. hanc ſententiam retractat. Hinc Xiſtus Sen. de libris illis ait l. 4. Bibl., *neque eruditius, neque ſublimius, vel ante, vel poſt Aug. prodiiſſe.*

Ob. II. Loc. Gen. 2., *in die*, & Eccli. 18., *omnia ſimul*, vel de tempore, vel de creatione quoad materiam exponi debent: ergo &c Prob. ant. Greg. l. 32. c. 10., ait, *Quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ*: ergo &c.

R. neg. ant., de quo vide Prop. II. Ad prob. R. Omnia ſimul extitiſſe *per ſubſtantiam materiæ*, & prima die non omnia apparuiſſe in ſua ſpecie. Sed aliæ ſunt res ex nihilo conditæ, aliæ ex præexiſtente materia. Hæ, ut herbæ &c. ſimul extiterunt *per ſubſtantiam*, per ſpeciem vero decurſu temporis; illæ,

illæ, ut angeli, ſol &c. etiam per ſpeciem formæ extiterunt, quia ex nihilo productæ ſunt.

Ob. III. Opponitur hæc ſententia hiſtoricæ narrationi; nam I. literaliter accipi debet, quod non repugnat: ſed Auguſtini expoſitio non eſt litteralis: ergo &c. II. Origenianum dogma eſt res a Deo conditas figurate exponere: ergo & dies. III. Hiſtoria Geneſeos pro rudi populo ſcripta eſt: ergo eſt literalis.

R. neg. ant. Nam Auguſtini expoſitio propria eſt, non figurata; lux enim proprie ad intelligibilia ſpectat. Hinc Deus *lux* dicitur, & *pater luminum: ergo ubi eſt melior lux, ibi eſt etiam verior dies*, ait S. P. l. 4. Gen. ad. lit. 28. Quare Noriſius, qui §. 9. Vind. ait, Auguſtini expoſitionem eſſe *myſtice diviſam*, loquitur relate ad lucem *corporalem*, & *quotidianam* cum Auguſtino, qui eam lucem, non *figurate*, ſed *proprie* accipiendam eſſe declarat, ſed *aliter, quam in hac conſuetudine quotidianæ lucis corporalis.* Deinde Dei locutio, requies ab opere, deambulatio, quæ myſtice exponuntur, hiſtoricam narrationem non evertunt: ergo nec evertunt dies myſtici.

Ad II. neg. ant. Nulla enim eſt ratio, cur res cum Origene figurate accipiantur; plures tamen ſunt, cur dies ſpiritales dicantur, maxime cum veri ſint, non allegorici. Ad III. neg. ant. Plura enim in iis ſunt obſcura, quæ abſque inſtitutione Doctorum intelligi nequeunt. Nec plebi ſpectat noſſe, quinam ſint dies illi.

Ob. IV. Exod. 20. Sabbatici præcepti hæc cauſſa profertur, *Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & requievit die ſeptimo.* Atqui hæc ratio nulla eſſet, niſi dies creationis naturales forent; nulla enim proportio eſt inter dies *operarios*, & *perceptiones angelicas*: ergo &c.

R. neg. min. Nam ad præceptum illud ſat erat aliqualis inter dies illos ſimilitudo. Sicut enim requies Domini a ſabbato, & requie Hebræorum longe differt

fert (non enim Deus, ut illi, laſſas in opificio vires reparavit) ita ſex illi dies differunt ab iis, de quibus dicitur: *Sex diebus facietis opus.*

Ob. V. In Auguſtini ſententia ſimul fuit dies & nox, tenebræ & lux &c. quod eſt abſurdum: ergo &c. R. diſt. ant. Simul fuit tempore, neg.; ordine cauſſalitatis, conc. Fuit ergo ſimul nox & dies, meritum & beatitudo angelorum; nam inter conditionem & gratiam, inter perceptionem rerum & converſionem in Deum non fuit in iis temporis ſpatium; fuit tamen ordo cauſſarum. Nam a cognitione *veſpertina* ad *matutinam*, a via ad terminum aliqua inſtantia angelica interfuiſſe non diffitemur, ut dictum eſt c. 1. Diſſ. 2. l. 10. Vide Auguſtinum l. 4. de Gen. ad lit. 32.

Ob. VI. Boſſuet. Magis congruit divinæ ſapientiæ ſex diebus omnia condere, ut oſtenderet, ſe non cæco impetu operari, ut quidam Philoſophi ſomniarunt; ſic enim operis ſui dominum ſe Deus præbuit: ergo &c. (1).

R. neg. ant. Nam, præter illos Philoſophos fuerunt etiam Moyſis ævo Polythei, ut Chananæi, & Philiſtiim, qui minores deos colerent, & finitæ virtutis; Moyſes ergo, ut Deum omnipotentem oſtenderet, ait, abſque temporis ſpatio eadem die cælum, & terram, & omnia creaſſe. Oſtendit etiam non agere Deum cæco impetu, dum omnia con-

(1) Si liceat hoc loco rem tranſigere conjecturis, cur non dicamus cum viro hujus ævi doctiſſimo, ſimultaneam creationem increatæ mentis, ac ſupremi artificis majeſtatem, atque omnipotentiam magis decuiſſe, quam ſi dicamus eum, non ſecus ac infimæ notæ artifices, temporis ſpatio indiguiſſe, ut normam conſuleret, aut opera ſua per dierum intervalla diſponeret? Quæ ſane non infinitæ mentis eſt idea, ſed limitatæ ac finitæ, quæque proinde Deo non ſatis apte convenire videtur.

condidiſſe ait verbo & imperio. Sicque in eo libertas, conſilium, & omnipotentia relucet.

CAPUT III.

De ſingulis rebus a Deo ſex dierum ſpatio productis.

PRIMA die cælum, & terram, aquam, & lucem a Deo creata eſſe, narrat Moſes *Gen.* I. dicens: *In principio creavit Deus cælum & terram, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, & *facta eſt lux &c.* Hebræi habent, *Bereſith*, ideſt *in exordio temporis.* Quæ vox oſtendit, nihil cælum, & terram præceſſiſſe, præter Deum. Cabbaliſtæ res prima die conditas in ea voce בראשית obſervarunt. Nam ב eſt initium, *bara* creavit, ר *Rachiah* firmamentum, א *herex* terram, ש *ſciamaim* cælos, י *Jam* mare, ת *Theom* abyſſum deſignat, Terra *autem erat inanis*, *& vacua*, *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Quibus verbis limus deſignatur, & humida materies rerum omnium principium, ut ſentit Thales. Sit itaque

PROPOSITIO. Principium rerum omnium eſt aqua.

Prob. I. ex Auguſtino, qui l. 1. de Gen. ad l. ait, Moyſen *aquæ nomine deſignare totam materiam, unde facta ſint omnia, quia ex humida natura videmus omnia per ſpecies varias formari.* Verba etiam *ſpiritus Dei ferebatur &c.* divinam energiam oſtendunt, qua, ut ova ab alitibus fœcundantur incubitu, ita vis ſingulas ſpecies producendi materiæ conceſſa eſt, ut ait S. P. (*a*), Baſilius, (*b*), & PP. alii (*c*), nec non Grotius, Junius &c.

Prob. II. ex gentium conſenſu. Phœnices ex aquoſæ mixtionis putredine rerum exordia repetunt,

(a) *Ib. c.* 18. (b) *Hom.* 2. *in Hex.*
(c) *Ex Janſen.*

tunt, ut ex Sanchoniatone oſtendit Euſebius. Zeno apud Heſiodum chaos, unde omnia fiunt, aquam eſſe dicebat; Thales Mileſius, *eam eſſe initium rerum*, Deum autem eam mentem, quæ ex aqua omnia fingeret. Thales vero a Phœnicibus, hi ab Ægyptiis, illi ab Hebræis hanc doctrinam accepere: ergo &c.

Prob. III. ratione. Nam ex aqua terram fieri, patet ex pluviis, unde gignitur tellus levis & candida, arenæ in mari, lapilli in flumine: ergo &c. II. Cælum aqueæ naturæ eſſe conſtat ex voce hebraica רקיע *Rachiah*, quæ aquarum expanſionem ſignificat, & *Sciamaim*, quæ cælos, ab aquis deſignat. III. Vegetabilia reſolvuntur in aquam, ex qua nutriuntur. IV. Piſces & aves in aqua & aere gignuntur: ergo veriſimile eſt, communem ſubſtantiam eſſe aquam, & hanc in varias ſpecies mutari, dum ei permiſcentur ſalinæ, ſulphureæ, aut oleoſæ particulæ. Ex aqua creata eſt lux *verbo Domini*, mandato nempe, non vocis ſono. Lucis nomine angelos Auguſtinus intelligit: alii ſolem, alii lucem primigeniam. Hebræi vocant אור *Hor*, & corpus lucidum מאור *Mehor*. Lux ergo etiam literaliter angelos deſignat, ideſt incorpoream lucem. Primam diem vocant Hebræi *Jom*, hoc eſt curſum ſolis (a): ergo corporalis dies ſine ſole non fuit, ut docet S. P. A. Veſpera dicitur ערב *Hereb* (unde Erebus Poetarum) qui objecta confuſe exhibet, unde *decolorata* cognitio dicitur ab Auguſtino.

II. Diei opus eſt firmamentum ex 1. Gen., hoc eſt aquarum extenſio, quaſi velum inter eas expanſum. Cælum enim ex aquis compactum docent Clemens, Joſephus, Ambroſius &c. & fluidiſſimum eſſe plures Philoſophi. Dicitur hebraice שמים, *Sciamaim*, Græce ϰραvὸς, ideſt viſui

(a) *Ex R. Kimki.*

ſui pervius, & *pellucidus* ex Schrevelio: latine cælum, quaſi ſtellis cælatum.

III. Diei opera ſunt maria, & aridæ apparitio, ideſt terræ. Maria hebraice dicuntur ימים, *Jamim*, a ים *Jam, fundum, & maim, aquarum.* Terra hæc de ſinu aquarum educta eſt; tunc enim *ſpiſſata* eſt, ait S. P. A. l. 1. de Gen. ad l., & limus fluidioribus partibus nudatus eſt.

IV. Diei opera ſunt ſol, luna, ſtellæ. Sol Gen. 1. dicitur *luminare majus* ob ampliorem lucem, non ob molem, quam ab aliis luminoſis corporibus vinci quidam oſtendunt. An ſol corpus ſolidum ſit, an fluidum fervens, aut aurum in fornace, diſputant Phyſici. Ex hebræo *ſcemeſc*, *ibi ignis*, videtur in ſole eſſe ignem.

V. Die volatilia, ac natantia animalia producta ſunt, quæ exploſo ovo gignuntur. Recte ergo ait S. P. A., omnia fuiſſe antea producta concretis in aqua ſeminariis primordiis, poſtea progenita in tempore ab involucris primordialibus explicata: unde ex 1. Eccl. *nihil ſub ſole novum*, quia principio omnia ſimul creata ſunt in rationibus ſeminariis, quórum deciſione, aut permixtione *Generatio præterit, & advenit &c.*

VI. Die animalia, & homo producta ſunt. De homine agemus lib. 12. Animalium vero, ac reptilium duplex eſt geneſis: nempe in ſemine, ejuſque explicatione, ſeu viſibili ſpecie. Sunt enim dies illi diverſæ angelorum perceptiones, quibus prius communem materiam, inde ſubſtantiales formas novere. Diſtinguit ſcriptura beſtias a jumentis: illæ mole & feritate majores ſunt, hæc nos vectando, aut terras arando juvant Hæc eſt in 1. Geneſ. conformis Auguſtino expoſitio: plura qui vult, adeat interpretes.

CA-

CAPUT IV.

De Paradiso voluptatis.

INTER ea, quæ tertia die producta sunt, est Paradisus voluptatis, ubi Deus posuit Adam. De eo quæritur 1. An corporeus fuerit? 2. Ubi positus? 3. Quibus arboribus consitus sit?

PROPOSITIO I. Paradisus erat locus corporeus.

Prob. I. scripturis. Gen. I. Ubi vulgata legit, *paradisum voluptatis*, hebræa habet בְּעֵדֶן, *Be-Heden:* & LXX. ἐν Ἐδέν. Atqui præfixum בְּ, *Be* est nota localis ex Huetio, aliisq.: ergo &c. II. Gen. 4. describitur situs Eden ad orientalem plagam. Ezech. 17. Negotiatores *Eden*, & 4. Reg. 19. *Haran*, & filii *Eden* memorantur: sed *Haran* est corporeus locus: ergo & *Eden*. If. 2. ait, *Ponet solitudinem ejus quasi Eden*, qui locus verti nequit, *ut voluptatem*: ergo &c. Prob. II. ex Patribus. Chrysostomus hom. 13. in Gen. *Idcirco nomen loci inseruit Moyses, ut non liceat dicere, nullum esse in terra paradisum.* Basilius hom. de Paradiso ait: *Proditum memoriæ est, quo sit loco plantatus.* S. P. l. 8. de Gen. ad lit. 1. *Paradisus locus quidam intelligitur, ubi habitavit homo terrenus.* Prob. III. ratione. Nec scriptura, neque aliud vetat, quin Paradisum corporaliter accipiamus: ergo &c.

Opp. Cant. 4. Ecclesia dicitur, *hortus conclusus*, & Prov. 13. Sapientia dicitur *lignum vitæ*: ergo Paradisus est cœtus Sanctorum: ergo &c. 2. Paradisus ex Luc. 23. est locus omnis, ubi feliciter vivitur: ergo &c. R. dist. conf. Est cœtus Sanctorum allegorice, conc.; literaliter, neg. Ex quo enim Agar & Sara duo testamenta significent, non sequitur, eas non fuisse veras mulieres: ergo a pari. Ad II. dist. ant. Paradisus nomine, conc.; re, neg. Nam re Paradisus est hortus Eden.

PROPOSITIO II. Paradisus supra verticem Armeniæ montium situs erat.

Paradisum locavit Malvenda in India Orientali, Rabbini quidam in nubibus, Clericus in Syria, Grotius in Babylonia, Huetius intra Euphratem & Tigrim, Calmet ad scaturigines Tigridis & Euphratis, noster Lubin supra Montes Armeniæ, ubi arca requievit, quæ sententia est aliis probabilior; & prob. I. scripturis. Gen. 2. habetur: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita*, quæ sunt Phison, Gehon, Tigris, & Euphrates: sed hæc regio est inter Armeniæ montes, ex quorum radicibus fluunt quatuor illa flumina: ergo &c. Prob. min. Nam Phison seu Phasis oritur, non secus ac Araxes (qui a rapido cursu Gehon dictus est, idest sonans) ex Armeniæ montibus, Tigris & Euphrates etiam ex iis montibus fluunt, ut demonstrat Lubin: ergo &c.

Prob. II. Ezech. 27., & Is. 37. *Haran*, & *Chene* dicuntur finitima regioni *Eden*, nec ab ea distare *Gozan* & *Reseph*: atqui *Gozan* spectat ad fines Armeniæ, *Reseph* ad Thalassar, non procul ab Armeniæ montibus: ergo &c.

Quæres: an Lubini sententia sit certa? R. negative. I. Quia nimis variant ea de re doctorum sententiæ. II. Quia PP. Paradisi locum ab hominum cognitione remotissimum dixere, ut S. P. Tertull., aliique. III. quia S. P. *Phison*, & *Gehon* pro Gange, & Nilo sumit.

Ob. I. Huetius. Paradisus situs erat ad fluvium Arabum productum ex confluente Tigridis, & Euphratis: ergo non erat in Armenia. Prob. ant. 1. enim ex voce hebraica מקדם, *mihedem*, significatur, paradisum situm fuisse *ad orientem* Arabiæ, ubi Moyses Genesim scripsit: sed fluvius Arabum &c. est ad orientem Arabiæ: ergo &c. 2. Ea verba, *fluvius egrediebatur* ex græco, & hebraico cursum designant, non fontem: ergo fluvius de Eden in paradisum profluebat. 3. τὸ *in quatuor capita*,

pita, exprimit brachia ejuſdem fluminis: ſed talis eſt fluvius Arabum: ergo &c. 4. Hic eſt proximus terræ Hevilath auro Arabiæ, & gemmis, & ubertate notiſſimæ: ergo &c.

R. neg. ant. Ad I. prob. neg. conſ. Armenia enim dicitur Arabiæ orientalis, licet vergat ad Aquilonem: atqui *mikedem* ex Huetio ſignificat *e latere orientis*: ergo magis convenit Armeniæ, quam fluvio Arabum. Ad II. neg. ant. Conſtat enim ex Gen. 2. in paradiſo fontem fuiſſe, cujus profluentibus aquis hortus erat irrigatus, & ex ejus ſcatebris quatuor flumina promanaſſe; hæc enim extra paradiſum dividi ſcriptura teſtatur, & ita curſus aquarum in paradiſo, & fluminum ſcaturigo defenditur. Ad III. neg. ant. Nam ראש, *Roſc caput* ſignificat: ſed Phiſon & Gehon per Huetium brachia ſunt: ergo &c. Deinde diverſa flumina ſunt Tigris & Euphrates: ergo Phiſon & Gehon. Quod ait Huetius, Phiſon dictum a פשה, *phaſa, creſcere* & *augeri*, recte convenit Phaſidi, qui plurium fluminum aquis augetur. Ad IV. neg. conſ. Hevilath enim eſſe Cholchidem auro gemmiſque copioſum cenſet Sanſonius. Ubertas autem agrorum omnium placitis convenit: ergo &c.

Ob. II. Paradiſus in India ſitus erat: ergo non in Armenia. Prob. ant. 1. Hæc regio eſt proprie orientalis. 2. Auro optimo abundat. 3. Apud veteres Phiſon eſt Ganges: ergo &c.

R. neg. ant. Ad 1. prob. neg. conſ. Nam omnes regiones Palæſtinæ orientales, ut Arabia, Media, Perſis &c. *oriens* dicuntur ab Iſaia, Ezechiele &c. Ad II. diſt. ant. Invenitur ibi tantum, neg.; etiam alibi, conc. Nam in Colchide aurum, & copioſum, & optimum invenitur. Ad III. diſt. ant. *Phiſon* eſt Ganges appellatione, conc.; vere, & proprie, neg. Forte ab aquarum copia Ganges ab aliquibus

Phiſon eſt dictus, ſed proprie non eſt *Phiſon*, quia nimis diſtat a Tigride, & Euphrate (1).

Ob. III. Paradiſus in Meſopotamia erat: non ergo in Armeniæ montibus. Prob. ant. I. enim hæc regio orientalis eſt Palæſtinæ, & Euphrati proxima. II. Ibi habitarunt Adæ poſteri: ergo &c. R. neg. ant. Ad prob. neg. conſ. Fruſtra enim ibi quatuor fluminum capita exquiruntur. Ad II. diſt. ant. Ibi tantum, neg.; etiam, conc. Patriarchæ enim Aſſyriam, & Babyloniam coluere, & ab ingreſſu Eden eos vetitos fuiſſe cenſemus.

Quæres: cur arbores Paradiſi *lignum vitæ, & ſcientiæ boni & mali* dicerentur? R. *Lignum vitæ* dictum eſſe, quia hominem conſervabat, eique dabat *mirabili Dei gratia*, ut ait S. P., *ſtabilitatem contra vetuſtatem*; quam virtutem naturalem fuiſſe ligno vitæ, nonnulli defendunt. Arbor vero *ſcientiæ boni, & mali* dicta eſt, non quod eis ineſſet vis intelligentiæ, ut cenſet Joſ. 1. Antiqu., ſed ob experientiæ conſequentiam; nam *per experimentum pœnæ novit Adam, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum.* Fuit autem interdicta, ait S. P., *propter commendandum obedientiæ bonum.*

CA-

(1) Cur Ganges a nonnullis ſcriptoribus pro Phiſone fuerit acceptus; cur in *Kaſchar* Scythiæ ad *Tibeti* fines ab antiquis conſtitutus fuerit terreſtris Paradiſus; cur denique a Strabone ibi dicatur Meſopotamia (Scythica nempe ad Syriacæ differentiam, omnigenæ eruditionis copia nuperrime declaravit in ſuo *Alphabeto Tibetano* noſtri hujus ævi ſcriptor clariſſimus, qui ea de re celeberrimam Archelai Epiſcopi cum Manete diſceptationem in *Kaſchar* Scythicæ Meſopotamiæ, non Syriacæ conſtituit. Idque ut contra Beauſobrium Actorum laudati Epiſcopi vindicaret germanitatem.

CAPUT V.

Quo anni tempore mundi creatio peracta sit?

MUNDUM æstivo tempore cœpisse, putarunt Ægyptii: autumnali vero Talmudistæ, & Cabbalistæ, nec non Lyranus, Tostatus, Picus, Scaliger, Usserius, Alexander &c. Patres autem, Theologi, Poetæ, Astronomi, Historici, & Critici clarissimi verno tempore conditum fuisse communiter docent. Sit itaque

PROPOSITIO. Deus mundum verno tempore condidit.

Prob. I. scripturis. Genes. I. ait Deus: *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum.* Atqui herba germinat verno tempore, & plures plantæ fructus faciunt, cum autumno nullæ germinent, & fructus intra mensem Octobris collecti sint: ergo &c. II. Si nulla arbor initio temporis germinasset, hortus *Eden* non fuisset Paradisus voluptatis; plures enim plantæ sese steriles primis parentibus obtulissent, & plurium vidissent instante hyeme ariditatem, quam germen: atqui verno tempore viderunt flores fructusque; annus enim incœpit, quando dies noctibus sunt longiores, regnat splendor lucis, agrorum feracitas, hortorum amœnitas: ergo &c.

Prob. II. ex PP. Cyrillus Catech. 14. *Aprili instante ver est. Hoc tempus est creationis mundi.* Ambrosius 1. Hex. *In hoc ergo principio mensium cœlum & terram fecit: ubi erat opportuna omnibus verna temperies.* Damascenus l. 2. de Fide Orth. 7. *Prima quidem verna est; in ipsa enim Deus fecit universa:* ergo &c. (a)

Prob. III. ex mundi reparatione. Nam Christum verno tempore passum fatentur omnes: atqui PP. eodem anni tempore statuunt mundi ortum, ejusque

(a) *Vide alios PP. apud Salian. Annal. 1., & apud Ger. Voss. Isag. Chron. diss. II. c. 7.*

que reparationem: *Tunc enim*, ait Aug. q. 54. *voluit mundum redimere, quando eum & creaverat, ideſt in æquinoctio.* Idem docent Ambroſius, & Cyrillus (*a*), Leo Magnus (*b*), aliique: ergo &c.

Prob. IV. ratione. Moyſes enim præcipiens, ut Hebræi annum ſupputarent a Niſan, non novam induxit, ſed veterum Patriarcharum conſuetudinem, ob longam in Ægypto ſtationem prætermiſſam revocavit in uſum: ergo &c. Prob. ant. ex egreſſu Noe de arca: ſed hanc narrat Moyſes factam eſſe menſe 2. poſt Niſan, non poſt Tiſri: ergo &c. Prob. min. I. enim columba detulit ad arcam *ramum olivæ virentibus foliis*, ſive, ut vertunt 70., *naſcentem oleæ feſtucam* (*c*), eaque ex PP. evangelii exprimebat prædicationem, quæ eodem tempore eſt inſtituta: ergo &c. II. Cum paſſio Chriſti acciderit die 15. *Niſan*, ejus reſurrectio die 17., & Aſcenſio 27. menſis ſecundi accidit; ſic enim typus rei perfecte convenit. Aquæ imminutæ ſunt primo menſe, & egreſſio de arca accidit die 27. menſis ſecundi: atqui aquarum imminutio ſignificat mundi reparationem, & egreſſio Noe reditum Chriſti ad Patrem: ergo &c. III. Si menſis ſecundus, in quo egreſſus eſt Noe, reſpondeat 23. Octobris, nulla alimonia extra arcam animalia vixiſſent, cum diluvium omnia deſtruxiſſet. Contra, ſi vere ineunte egreſſus eſt Noe, nulli defuere neceſſaria alimenta: ergo &c.

Ob. I. cum Lyrano, & Abulenſi. Exod. 12. de menſe *Niſan* habetur: *Menſis iſte vobis primus erit in menſibus anni*: ergo antea non erat primus. II. Cap. 23. & 24. indicitur Hebræis ſolemnitas *in exitu*

(a) *Locis ſup. cit.* (b) *Serm. 9. de Paſſ. Domini.*

(c) *Symmachus habet* θαλλον, *ramuſculum pullulantem, a* θάλλω vireo, Pullulo, floreo, *apud Schrevel.*

exitu anni, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur: ergo &c.

R. Ad. I. neg. conf. Hebræi enim diu in Ægypto commorati ex gentium more annos inchoabant; ab initio autem, & Patriarcharum ævo non fuit fic. Redite ergo, ait Moyfes, ad inftituta majorum, & menfis ifte fit vobis in pofterum principium menfium, ficut illis fuit. Eruitur hic fenfus ex hebræo & græco; ille enim habet ראשון הוא *Rifcion hu, initium ipfe*, hic autem πρῶτος ὑμῖν ἐςαι: *Primus vobis eft* non *primus erit*. Ad II. dift. ant. In exitu anni georgici, & civilis, qui incipit a fatione, & defìnit in meffe, conc.; in exitu anni veri & proprii, neg. Eft utique Hebræis etiam annus georgicus, eoque utuntur in annis Sabbaticis, & Jubilæis; quia in iis reditur ad poffeffionem prædiorum inter fementem & meffem: fed hunc annum vetuftiorem effe vero & proprio, qui oritur a Nifan, non probant adverfarii.

Ob. II. cum Scaligero. Ægyptii, qui a filiis Noe mundi exordia accepere, annos fupputant ab autumno: ergo &c. II. Diluvium defiit die 27. menfis fecundi: fed ex Jofepho (*a*) menfes numerantur ab æquinoctio autumni: ergo &c. Hinc Hieronymus (*b*) ait, Octobrem effe primum menfem; & idem docet Tullius (*c*), & Lactantius (*d*): ergo &c. IV. In autumno eft Hebræis *Te-Kuphà* (*e*), & tunc eorum incipit Lectionarium: ergo &c.

R. ad I. dift. maj. A filiis Noe, ideft a Chami pofteris impiis, & refractariis, conc.; a pofteris Semi Dei cultum, & PP. inftituta fervantibus, neg. Illi ergo Dei cultu deferto, de vera creationis hiftoria nihil follicìti, ob agros locandos ab anno georgico fupputarunt (*f*). Ad II. dift. min. Et Jofe-

(a) *L* 1. *antiq. c.* 4. (b) *In* 1. *Ezech.*
(c) *L.* 2. *de Nat. Deorum* (d) *L.* 1. *inft. c.* 7.
(e) *Ideft anni refolutio.*
(f) *Vide* ℞. *ad* 1., & *Prob.* 4.

Josephus loquitur de anno civili, conc.; de vero & proprio, nego. Ad III. eodem modo dist. ant. Reapse Ægyptii, non in autumno mundi ortum statuebant, sed ineunte Canicula. Ad IV. neg. conf. Quadruplex est enim Judæorum *Te-kuphà*, inter quos est etiam *Te-kuphà Nisan*. Lectionarium autem incipit mense *Tisri*, ex Deuter. 31.; ubi præcipitur lectio legis coram populo in solemnitate tabernaculorum.

Ob. III. Arias Montanus. Deus condidit mundum perfectum, statimque providit orituris animalibus escam. Atqui arbores fructus etiam hyemæ durabiles ferunt autumno, non vere: ergo &c. R. neg. min. Constat enim (*a*), verno tempore mundi perfectionem magis ostendi; tunc enim germinant herbæ, pariunt jumenta, aves nidificant, florent plantæ &c. ergo &c.

DISSERTATIO II.

De mundi ætate, ac duratione.

MUNDUM æternum existimarunt, præter Aristotelem, plures Platonici. Itaque demonstrabimus I. Omnia a Deo condita esse in tempore, nec potuisse mundum produci ab æterno. II. De illustrioribus mundi epochis sermo erit. III. De ejus conflagratione, atque interitu.

CAPUT I.

An mundus aspectabilis conditus fuerit, aut condi potuerit ab æterno?

NOT. Conveniunt omnes, nullam creaturam esse Deo coæternam: censent tamen nonnulli, Deum potuisse mundum ab æterno producere. Habet ergo quæstio partes duas: ac prima est de creatione actuali, secunda de possibili. Sit ergo

PRO-

(a) *Vide Prob. I.*

Propositio I. Non præteriere infinita durationis ſpatia (1), ſed omnia in tempore condita ſunt.

Prob. I. ſcripturis. Prov. 8. ſic ait Dei ſapientia: *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: necdum fontes eruperant* &c.: ergo creaturæ non ſunt æternæ, ſed creatæ initio temporis, ut habetur I. Geneſ., ubi vox בראשית, *Bereſith*, ſignificat quamcumque operis inchoationem, & durationis primordium Chaldaica בקדמין, *Bechadmin*. Hinc Later. Conc. definit (*a*), omnem crea-

(1) De mundi primordiis tam abſurda effutiunt Buffonius, Telliamedus, Monteſquieus, Leybnitius ipſe, ac Wiſtonius, ut mirum ſit, *ſpiritus*, ut vocant, *fortiores* in nugis hujuſmodi tempus atque operam miſerrime detriviſſe. Buffonius enim globum terraqueum e ſolis particulis, quas Comedes in eum impetu perniciſſimo incurrens abraſit, conflatum fuiſſe commentus eſt. Quod contigiſſe ait, ante annos ad minus 100. m. Telliamedus vero, terram e mari progenitam autumavit, ſed fœtum adeo immanem nonniſi poſt plurima centena annorum millia in lucem prodiiſſe. Qua de re Monteſquieus annos mundi non ſecus ac maris arenam innumerabiles ſtatuit. Quid vero Leybnitius, & Wiſton? *Riſum teneatis amici.* Ille quidem terram, quam incolimus, ſolem fuiſſe primitus opinatus eſt, qui poſt longa temporum ſpatia paulatim obſtructus, denique extinctus eſt. Ille vero Cometem fuiſſe ait primo inhabitabilem, ſubinde vero amœnam, & jucundiſſimam homini aliiſque animantibus ſtationem præbuiſſe. *Sed gerræ iſtæ ſunt, gerræ germanæ*, atque, ut ait Comicus, *lyræ lyræ*; quæ cum hiſtoriæ Moſaicæ, & ſacrarum ſcripturarum oraculis directe adverſentur, eadem facilitate exſufflantur, qua proponuntur.

(a) *Sub Innoc. III. c.* 1.

creaturam *ab initio temporis* conditam esse: ergo &c.

Prob. II. ratione. I. Si mundus ab æterno fuisset, nec valles essent, nec montes; nam illæ repletæ essent per assiduas alluviones, hi vero solo essent æquati: atqui falsum cons.: ergo & ant. II. Literarum usus, & artium commoda sunt in tempore: ergo & mundus. III. Tribui nequit igni, aut diluviis, quod vetera absumpserint monumenta. Nam vel cuncta absumpsere, vel aliqua. Si primum, quis præteritam cladem nuntiavit? Si secundum, cur præterita sæculorum millia non numerant? Cur artes, & scientias ad nos non transmisere? ergo &c.

Ob. I. Nisi mundus esset æternus, I. Deus esset mutabilis de actu in actum: ergo &c. II. tempus factum fuisset in tempore, & antequam tempus esset. III. Deus infinito tempore otiosus fuisset. IV. In anteriori æternitate vel Deus dormiebat, vel vigilabat. Non primum, quia æternus somnus non cadit in Deum. Si secundum, aut beatus erat, aut non: sed hoc est absurdum: ergo si beatus erat, ad quid nova creaturæ molitio? ergo &c. Ita Plutarchus.

R. ad I. neg. ant. In Deo enim nulla est mutatio, sed ea est solius termini. Sic sol corpora calefacit, nec sol mutatur, sed res calefacta. Ad II. neg. ant. Mundus enim est creatus in tempore, prout initium habuit suæ durationis, & semper cogitari potest aliquod momentum, in quo non fuerit, quod de re sempiterna dici nequit. Tempus enim, quod a rerum corporalium mutatione pendet, fuit una cum ipsis productum. Ad III. neg. ant. Cum enim nullum tempus fuerit, priusquam Deus cælum, & terram condidisset, dici nequit, per anteacta sæcula otiosum fuisse. *Cur enim quæritur*, ait S. P. l. 12. de C. D. 15., *quid tunc faciebat? non erat tunc, ubi non erat tempus.* Ad IV. respondetur, Deum perpetuo vigilare, nec

novam

novam capere delectationem ex molitione creaturarum; *non ergo in ejus vacatione cogitetur ignavia, ſicut nec in ejus opere labor, conatus, induſtria*, ait S. P. ib. c. 17.

Propositio II. Mundus condi non potuit ab æterno.

Prob. I. ex PP., qui contra Arium hoc argumento Verbi divinitatem comprobarunt. Quod eſt æternum, nequit eſſe creatum: ſed Verbum eſt æternum: ergo &c. Nec dicas, PP. argumentari de facto. Nam Athanaſius Or. 2. contra Ar. ait: *Tametſi Deus poſſit ſemper facere, at res creatas æternas eſſe non poteſt, quippe non erant, antequam fierent: hæc autem, quinam poterant cum Deo, qui ſemper eſt, exiſtere?* Sed ibi Athanaſius loquitur de poſſibili, ut notum eſt: ergo &c. Et Or. 3. ait, *proprium eſſe creaturarum non eſſe, antequam fiant.* In ep. ad Afric. inter dotes divinitatis æternitatem enumerat & immutabilitatem, quas creaturæ habere non poſſunt. Sicut ergo immutabilitas creaturis non convenit, ita nec æternitas: hinc patet, æternitatem participatam eſſe merum commentum, quod creaturam naturæ repugnat.

Prob. II. ex confutatione dogmatum Ariſtotelis. Lactantius l. 7. de Vit. Be. 1. probat, mundum non extitiſſe ab æterno, quia quod eſt productum, debuit aliquando habuiſſe principium; nec poteſt eſſe, niſi cœperit. Juſtinus Confut. 31 ait: *Omne quod fit, antequam fieret, non erat*. ergo &c. Prob. III. ex ideis rerum. Idea creationis eſt, rem eſſe ex non extantibus: ſed hoc neceſſe eſt, ut aliquando non fuerit: ergo &c. Ita PP. contra Ar. II. Idea temporis eſt, quod mutabilitate tranſcurrat: atqui creatura ſubſiſtere nequit, niſi mutabiliter: ergo &c. III. Idea creaturæ eſt, habere perfectionem finitam: ſed infinitam haberet, ſi haberet durationem æternam, qua perfectior fingi non poteſt: ergo &c.

Ob. I. Creatura æterna haberet interminabilem vitam,

vitam, sed non perfectissimam vitæ suæ possessionem: ergo non repugnat creaturam esse ab æterno; hæc enim æternitas, cum sit mutabilis, non est Dei attributum rei creatæ incommunicabile. Unde Philosophi, qui materiam æternam fecere, illam tamen Deum non fecere. II. Ex quo solus Deus sit immortalis, non repugnat animam esse immortalem participatione: ergo a pari. III. Deus ab æterno erat omnipotens, & mundus possibilis: ergo neque ex parte caussæ, neque ex parte effectus repugnat orbis æternitas. IV. Sol, aut pes æternus ab æterno illuxisset, aut vestigium fixisset in pulvere, & tamen lux a sole, vestigium a pede distingueretur: ergo & Deus a creatura distingueretur.

R. ad I. dist. ant. Et hæc interminabilis vita creaturæ repugnat, ut immutabilitas, conc.; secus, neg. Duplex est ergo æternitatis character; primus quod principio ac fine careat, secundus quod sit immutabilis: *Quod semper est, procul debet esse ab omni temporis vicissitudine*, ait Plato in Tim. 2.: quia nisi daretur principium temporis, concipi non posset initium durationis mutabilis. Illi ergo Philosophi, licet ore tenus perfectam æternitatem mundo non tribuerent a Boethio definitam, tribuebant tamen necessitate consequentiæ: merito refellendi, quia docebant, quod rationi repugnat. Ad II. neg. cons. Nam immortalitas creaturæ non tollit ejus essentiam, quam destruit æternitas, cum res creatæ necessario fieri debeant ex nihilo. Creatura autem mutabiliter agit vitam, licet non moriatur. Nec tenetur Deus creaturam redigere in nihilum, sed debet creaturam producere ex nihilo, quia ratio creationis hoc postulat. Ad III. neg. cons. Ex quo Deus ab æterno sit omnipotens, creatura vero possibilis, sequitur, condi potuisse creaturam quovis momento distributive accepto, quod tamen debet ab aliis in infinitum præcedi, alias æternitas infinita

non esset. Idem dicendum de potestate semper agendi in æternitate. Ad IV. neg. conf. Lux enim est essentialis proprietas substantiæ solis, vestigium vero pedis modificatio: ergo nec illa a sole, nec istud a pede in pulvere infixo secerni potest: atqui creatura neque est Deo consubstantialis, nec proprietas, aut modus divinitatis: ergo &c.

CAPUT II.

De mundi epochis illustrioribus.

Qui sacris historiis, & chronologiæ operam dare voluerint, mundi tempora in certas epochas distribuere debent, queis postulata quædam præmittenda sunt, quæ ut vera ab eruditis communiter amplectuntur, licet non omnes iis assentiantur.

I. Insistendum sacrorum librorum chronotaxi, atque explodenda est fabulosa scriptorum Ægyptiorum antiquitas; quorum alii, Diodoro teste (a), ab Osiride ad Alexandrum 10. m., alii 23. m. annorum numerabant. Deinde fuerunt etiam apud Ægyptios anni lunares unius, duorum, trium, & quatuor mensium, ut docet Aug. (b): Dynastias autem in annos implicitos numerarunt, ut in Europa numerantur anni Imperatorum, Regum, & Pontificum, quemadmodum demonstrat Vossius l. 1. Idol.

II. Cum versio LXX. longe ab hebraica discrepet, hebraicam chronotaxim sequendam esse censemus. I. Quia S. P. l. 15. de C. D. 13. hoc discrimen non tribuit malitiæ Judæorum, sed errori scriptoris, qui de bibliotheca Ptolomæi codicem describendum primus accepit, II. Cum Hebræorum chronotaxis statuat Messiæ adventum circa an. 4000. ex majorum traditione, cui bono illam annorum seriem e suis codicibus abrasissent? III. Vulgata, quam Ecclesia

(a) *L. 1. Hist.* (b) *L. 12. de C. D. 10.*

clesia consecravit, hebraicam sequitur chronotaxim. IV. Hebræi codices vocibus numeralibus descripti sunt, non arithmeticis notis, unde difficilius in iis potuit error iste irrepsisse; jure ergo hebraicam sequimur chronotaxim cum Tirino, Petavio, Usserio, Scaligero, aliisque.

III. Dicimus Patriarcharum annos non fuisse nostris breviores; in iis enim menses, diesque numerantur. Nam, si verá esset quorundam opinio, decem annos illorum æquivalere nostrorum uni, sequeretur Cainan genuisse Malaleel anno septimo vitæ suæ: sed *quis generat homo septennis?* ait S. P. 15. de C. D. 12. Neque incredibilis est tanta longævitas, cum Patriarchæ cibis usi fuerint nondum aquarum illuvione vitiatis. Si quæras, cur ante 70. annum non genuerint? R., non omnes eorum filios recenseri, sed eos tantum, *quos successionis ordo poscebat.*

IV. Cum incertum sit, an Abraham natus sit ann. Thare 70. an vero 130., licet id sit probabilius, opportunius est ejus epocham figere anno vocationis suæ, nempe mundi 2083. Periodi Julianæ 2793., ante Æram Vulgarem 1921.

V. Sequitur epocha legis Mosaicæ, quæ lata est an. mundi 2513. Per. Jul. 3223. Nam Apostolus Gal. 3. a promissione Abraham ad legem annos enumerat 430., quibus additis anno mundi 2083. pervenitur ad an. mundi 2513.

VI. Utuntur subinde historici epochis sæcularibus, a Troja capta, ab institutione Olympiadum, ab Urbe condita. Trojanum excidium contigit anno m. 2820. Hinc ad I. Olympiadem enumerat Eusebius annos 408.; institutæ sunt ergo Olympiades an. mundi 3228., Periodi Juliani 3938. Romanam Urbem ex Varroniana supputatione, qua illam conditam refert anno 3. sextæ Olympiadis, cum Panvinio aliisque ad annum mundi referimus 3250., numerando a Palilibus, idest a die 21. Aprilis.

VII. Epo-

VII. Epochas Augusti, Herodis, & Romanorum Consulum in libris de Incarnatione trademus. Interim nota, Augustum natum an. U. C. 691., 4. Kal. Octobris, mortuum an. 767., 14. Kal. Septembris; sed regni ejus initium non unum statui. A Julii Cæsaris nece an. U. C. 710., a Triumviratu 711., ab Actiaca pugna 723. Herodem regnum obtinuisse an. U. C. 714. obiisse 751. Fastus consulares inchoatos an. U. C. 246. creatis primo Bruto, & Collatino. Christi nativitatem contigisse an. U. C. 749., mundi 4000., ut censent Usserius, Capellus, Tirinus, aliique.

VIII. Verum juxta æram Dionysianam Christus natus est an. U. C. 754., & mundi 4004., Periodi Juliani 4714., Olymp. 195., Coss. C. Cæsare Augusti Filio, & Æmilio Paullo. Verus ergo Christi natalis æram vulgarem integro quadriennio antevertit. Duplex ergo Christi natalis dies cum Pagio distinguendus est: proprius nempe, & Dionysianus ab Eugenio IV. probatus. Constat enim ex Norisio, qui omnium primus scripsit de nummo Herodis Antipæ, Dionysium Exiguum serius, quam par erat, statuisse Christi nativitatem. Ea tamen necessario nunc utimur, ne historiarum ordo turbetur.

IX. Facile est ex præmissis omnem mundi ætatem in certas partes distribuere. Augustinus sex mundi ætates enumerat. Damascenus, aliique recentiores septem. Vossius decem. Duodecim Bossuet, cujus partitionem amplectimur. Series ergo omnium temporum hæc est.

Distributio Augustini in sex ætates ita se habet. I. Ab Adamo ad Noe annorum 1056. II. A Noe ad Araham an. 952. III. Hinc ad David an. 911. IV. A Davide ad captivitatem Babylonicam an. 479. V. Ab ea ad Christi nativitatem an. 606. qui simul juncti annos faciunt 4004. VI. Quæ nunc agitur ad judicii diem.

Distributio Damasceni, Vitre, Usserii, Calmet &c.

est hujusmodi. Prima mundi ætas a creatione ad diluvium an. 1656. II. Inde ad vocationem Abrahæ an. 426. III. Hinc ad Legem an. 430. IV. A Lege ad Templum an. 479. V. A. Templo ad finem captivitatis an. 476. VI. Subinde ad Christum an. 537. Ex quibus exurgit annus 4004. æræ Christianæ.

Postrema distributio, quam sequimur, est Bossuetii in XII. epochas illustriores.

Epocha.	*Period. Jul.*	*Ante U. C.*	*Ante Ær. V.*	*An. Mund.*
I. Adami.	710	3250	4004	1
II. Diluvii.	2366	1594	2348	1656
III. Abrahami	2793	1167	1921	2083
IV. LegisMoysis	3223	737	1491	2513
V. Trojæ expugnatæ.	3530	430	1184	2820
VI. Templi perfecti.	3710	250	1005	3000
VII. Urbis conditæ.	3960	*Ab U.C.* 1	754	3250
VIII. Cyri.	4178	218	536	3468
IX. Carthag. devictæ.	4512	552	202	3802
X. Natal. Xpi Dionys.	4714	754	*Anno Xpi* 4	4004
XI. Constantini	5206	1066	*Æræ V.* 312	4316
XII. CaroliMagni.	5514	1554	800	4804

Agitur ergo nunc annus Æræ Vulgaris 1767., a Creatione Mundi 5771., a Diluvio 4115., a Vocatione Abraham 3688., a Lege Moysis 3258., a Trojano excidio 2951., ab Institutis ludis Olympicis 2543., a Templi ædificatione 2802., ab Urbe condita 2521., a soluta captivitate Babylonica 1771., a Constantino, & pace Ecclesiæ 1455., a Carolo Magno, seu fundatione novi imperii 967.

CA-

CAPUT III.

De mundi conflagratione, ac mortalium omnium interitu.

NOT. Quatuor ea de re ſunt ſententiæ. I. Mathematici quidam ajunt, futurum mundi interitum, cum planetæ omnes ad idem cæli ſignum remeabunt, ubi principio ſimul fuere. II. Qui redemptionem mundi in medio temporum peractam eſſe opinantur, docent, futurum ejus interitum octavo millenario exeunte. III. Eſt eorum, qui mundi ætatem contrahunt ad annos 6000. IV. Eſt Auguſtini ſcite docentis, importune homines in hac quæſtione verſari.

Propositio. Non eſt mortalium noſſe finem mundi.

Prob. I. Act. 1. ait Chriſtus: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Hinc Aug. 18. de C. D. 53. ait: *Fruſtra annos, qui huic ſæculo remanent, computare conamur, cum hoc ſcire non eſſe noſtrum, ex ore veritatis audiamus.* II. Matth. 23. 36. habetur: *De die autem illa & hora nemo ſcit, niſi ſolus Pater.* III. Apoſtolus 1. Theſſ. 5. ait: *Dies Domini ſicut fur in nocte* (a): ergo &c.

Prob. II. ex aliarum opinionum confutatione. I. Opinio per ſe corruit; nam annum illum maximum fictitium putant Aſtronomiæ peritiſſimi, & incertum eſt quando futurus ſit. Ariſtarchus enim illum ponit poſt annos 2484. Dyracchinus poſt 5552.: Linus poſt 100800.: alii putant eſſe infinitum: ergo &c. II. Opinio nititur Pſ. 89., & 1. Petr. 3., ubi mille anni ante Deum computantur ut dies una: ſicut ergo, ajunt, ſex diebus mundum perfecit, ita ſex mille annis eſt duraturus: ſed hæc, ait Beda, ex Millenariorum errore prodiere, qui

(a) *Vide Bedam de Ratione Temp. c. 66., Anaſt. Sin. l. 7. in Hexam.*

qui ſuo loco refutatus eſt. Ubi nota, Hieronymum, aliosque Patres, qui mundi ætatem 6000. annis definiunt, non ſentire cum Millenariis, quia in Sabbato non ſtatuunt regnum Chiliaſtarum in terris, ſed beatorum in cælis. Horum tamen argumentis reſpondetur, mille annos deſignare maximum numerum indefinite, ut l. 3. probatum eſt. III. Opinio infra refutabitur: conſtat ergo mundi finem incertum eſſe.

Ob. I. Traditionem Eliæ prophetæ in Thalmud. *Sex millia annorum mundus, ac poſtea interitus. Duo millia inanitatis, duo millia legis, duo millia annorum Meſſiæ:* ergo &c. Addunt Cabaliſtæ in primo verſu Bibliorum, & ultimo Paralip. ſexies haberi notam millenarii א. Rabbi Iſaac oſtendit, ſeptimum millenarium ſpectare ad alium mundum; nam ſeptimo die vetitum eſt opus ſervile, ſeptimo Patriarcha ſervatus eſt, ſeptimo menſe Arca requievit, & muri Jericho corruerunt. II. Eadem docet apud Galatinum (*a*) Rabbi Salomon, Lactantius (*b*), Juſtinus (*c*), Irenæus (*d*), Hieronymus (*e*) &c. III. Eliæ traditio confirmatur ex Chriſti nativitate, quæ ad annum mundi 4000. communiter refertur: ergo &c.

R. Ad I. neg. conſ. Hæc enim traditio non eſt Eliæ prophetæ, ſed Rabbini Cabaliſtici ejuſdem nominis, qui floruit anno a reſtituto ſecundo Templo 154., ut obſervavit Genebrardus, Voſſius &c. Deinde quod ait: 6000. *annorum mundus*, innititur falſæ interpretationi Pſ. 89., de qua ſupra, ubi mille anni, nedum comparantur diei heſternæ, ſed etiam vigiliæ noctis: ſed 24. ſunt vigiliæ noctis: ergo ætas mundi erit annorum 24000. Deinde ab Adamo ad Legem anni 2513. fluxere, a Lege ad Chriſtum 1491.: incertum eſt ergo, an dies Meſſiæ pares

(a) *L.* 4. *c.* 20. (b) *L.* 7. *Inſt. c.* 71.
(c) *Q.* 71. (d) *L.* 5. *c.* 28.
(e) *Ep. ad Cypr.*, & *in* 4. *Mich.*

pares diebus Legis futuri ſint. Neque ſex primi Patriarchæ æqualem ætatem duxere: ergo nec paria erunt decantata ſex millenaria. Ad II. R. Lactantium ibidem ſentire cum Millenariis, nec librum Quæſtionum eſſe Juſtini. Adde in hujus ſententia, & Græcorum, qui ſequuntur chronologiam LXX., 6000. annos a pluribus ſæculis eſſe tranſactos. Hieronymus autem annos mille comparat etiam uni vigiliæ noctis: ergo per Hieronymum erunt anni mundi 24000. Ad III. neg. ant. Superant enim anni Chriſti annos Legis, & hæc præcedentibus ſæculis non æquatur.

Ob. II. Habac. 3. habetur: *Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud:* ergo &c.

R. neg. conſ. Verba enim prophetæ reddidere LXX.: *In medio duorum animalium cognoſceris:* ideſt inter duo teſtamenta, vel in medio Moyſis & Eliæ, vel in medio latronum, ut exponunt S. P. A., & Hieronymus in Hab. Deinde hebraica phraſis, *in medio annorum*, ſignificat *interea temporis*, ideſt in tribulationibus paulo ante prædictis. Tandem literaliter propheta de captivitate Hebræorum eſt exponendus. De mundi interitu egregie cecinit Ovidius 1. Metamorph.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

L I B E R XII.

De hominum protoparentibus Adamo, & Eva.

PRÆSTANTISSIMUM divinæ dexteræ opificium contemplandum aggredimur, hominem ſcilicet, qui innumeris naturæ, & gratiæ donis fuit a Deo cumulatus. Hujus itaque exiſtentiam, atque eſſentiam primo loco inveſtigabimus. II. Proprietates, & dotes. III. Tranſgreſſionem, & pœnam.

DISSERTATIO I.

De existentia, & essentia primi hominis.

De hoc argumento agemus sex capitibus, quorum I. erit de productione Adæ. II. De corporeo ejus plasmate, & formatione mulieris. III. De natura animæ. IV. De ejus origine. V. De immortalitate. VI. De Pythagorica metempsycosi, ac de Platonica animorum revolutione.

CAPUT I.

De Adami productione.

Ante Adamum alios homines extitisse, & hunc Hebræorum tantum, non omnium fuisse parentem, primus omnium effutiit Isaac Peyrerius, qui tamen hunc errorem una cum Calviniano dogmate ejuravit. Cum tamen illum recoquere nonnulli ausi fuerint, sit

Propositio. Adam fuit primus hominum parens.

Prob. I. Gen. 1. narratur, Deum *in principio*, hoc est in exordio temporis, ante omnem creaturam fecisse *cælum, & terram &c.*, & sex diebus cuncta perfecisse, sexta autem die Adamum creasse: ergo nulli fuerant Præadamitæ, si nullus antea prodierit: ergo nullibi erant, si antea nec cælum erat, nec terra, nec locus alius corporeus. Nec dicas, 2. capite productionem describi hominis ab Adamo diversi; nam post illas sex dierum generationes, requievit Deus ab omni opere. Cur autem hominis creatio iterum describatur, dictum est c. 2. l. 11. II. Gen. 3. Eva dicitur *mater cunctorum viventium*: fictitii ergo sunt Præadamitæ, quorum mater non est Eva. III. Gen. 10. narratur, a Noe posteris ab Adam exortis divisas esse gentes in terra: ergo Ægyptii, Chaldæi, & gentes omnes sunt post Adam, & ab ejus sanguine procreatæ. IV. Act. 17. habetur: Ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος, *ex unius sanguine gens omnis*

omnis. V. Rom. 5. *Per unum hominem intravit in mundum peccatum, & mors.* Atqui fabulosi Praeadamitae mortui sunt: ergo &c.

Prob. II. ex PP., quos tamen, cum sibi eos adversari ingenue fateatur Peyrerius, producere supersedemus.

Prob. III. ratione. Diluvium Noeticum fuit universale; nam ex Gen. 7. *Aquae praevaluerunt super terram, opertique sunt omnes montes excelsi, consumptaque est omnis caro bestiarum, reptilium, & homines universi, & remansit solus Noe, & qui cum eo erant in Arca*: ubi hebraicum כל, *Col*, rerum universitatem exprimit. Hinc Josephus, & S. Cyrillus probant ex scriptoribus antiquissimis, ad omnes nationes diluvii famam pervenisse. Neque Deucalionis, & Ogygis diluvium a Noetico differre, ostendit hoc loco clariss. auctor, & universale fuisse, ex Herodoto probat, Luciano, aliisque. Sed, si diluvium fuit universale, perierunt homines universi, excepto Noe ejusque familia: ergo nationes, quas Peyrerius advocat in testes fabulae praeadamiticae, Noachi aetatem non antevertunt. Vide Auctorem.

Prob. IV. ex antiquissimis gentium historiis. Nam Etrusci aliis occidentalibus antiquiores exorti sunt a Vandimone, qui a Syriis Noa vocatus, post aquas relictis in Armenia & Syria Sem, & Cham apud Nilum, una cum Japete in hanc regionem advenit, ut constat ex Volaterranis fragmentis (*a*). Latinos Deum habuisse Saturnum, tradit Herodianus (*b*). In illo autem Adamum cum Scobarto, aut cum Vossio Noachum agnoscimus, cui veteres Rabbini tradunt Cham exsecuisse pudenda, unde nata est Saturni fabula. Nullus ergo Noacho antiquior apud Latinos, aut Etruscos. Ægyptiorum vetustatem alibi refutavimus. Nam ex Genes. 6. *Mis-*

(a) *Scarith*. 9. 25. & 2. (b) *L*. 1. *Hist*.

Misraim, (unde Ægypto nomen) fuit filius Cham. Assyriis nomen dedit Assur filius Semi. Cæteris nationibus alii Noachidæ: ergo nulla gens est Adamo vetustior.

Prob. V. ex gentium, locorumque vocabulis, quæ ex hebræo derivasse demonstrat H. Grotius. Reapse Hebraicam linguam omnium primam esse, contendunt eruditi (*a*).

Prob. VI. ex Poetarum fabulis. Nam in Prometheo, qui in cælum conscendere ausus est, latet Adamus divinæ sapientiæ cupidus, omniumque malorum auctor. Pandoram Evam esse ostendit Origenes (*b*), eaque dicitur a Pausania Γυνὴ πρώτη, *mulier prima*, quæ ex Plutarcho *disseminavit omne malorum in terras*: ergo &c.

Ob. I. Gen. 4. ait Dominus Caino: *Nonne, si bene egeris, recipies; sin male, statim in foribus peccatum erit?* II. Ibi dicitur de ipso ac fratre: *Fuit Abel pastor ovium; Cain autem agricola*: fuerunt ergo & artes, & judices ante Caini flagitium. III. Cain accepit uxorem ædificavit urbem, & cum latronum manu grassatorem fecisse traditur. Atqui nullam fœminam tunc genuerat Adam, neque tot homines, ut urbibus incolas suppeditarent, & peregrinorum catervas conflarent: ergo in orientali plaga uxorem, cives, & prædones aliunde progenitos adscivit.

R. ad I. dist. ant. *In foribus*, ideſt *in ostio cordis*, ut habet Targum, nempe in synderesis stimulo, conc.; ideſt in forensi judicio, neg. Significat ergo Dominus, culpam consequi pœnam, torquente animum conscientia, & Deo puniente criminum reos. Ad II. dist. ant. Fuit &c. ex necessitate, conc.; ex arte neg. Fuit enim Abel pastor, & Cain agricola eo modo, quo potuere, ex necessitate, absque aratro, vomere &c. Nam fabrilem artem & pasto-

(a) *Apud Walton. in Polygl. Angl.*
(b) 4. *contr. Cels.*

paſtoritiam Jabel invenit. & Tubalcain. Ad III. neg. min. Nam incredibile eſt, Adamum & Evam ſolos mares genuiſſe. Hinc Joſ. 1. Ant. ait: *Natæ ſunt eis etiam filiæ* ; & Aug. 15. de C. D. 16. ait, initio mundi *viros ſorores ſuas conjuges accepiſſe*. De conſtructa urbe Henoch dictum ſupr. cap. 1. l. 11. Unde patet reſponſio etiam ad ultimum.

Ob. II. Ap. Rom. 5. ait : *Peccatum non imputabatur, cum lex non eſſet, ſed regnavit mors etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ* : ex quo ſic arguitur. I. Mors dominata eſt uſque ad legem etiam in eos, qui non peccaverunt in Adam : ergo præter Adæ poſteros, alii ſunt homines aliunde geniti. II. Ex Ap. ante legem peccatum non fuit imputatum: atqui imputatum eſt Caino &c.: ergo Ap. loquitur de lege Adamo indicta de fructu non comedendo, adeoque ante Adamum alii peccatores fuere.

R. ad I. diſt. ant. *Qui non peccaverunt* actualiter, & poſt latum præceptum, conc. ; originaliter, neg. *Regnavit itaque mors etiam in eos, qui &c.*, ideſt etiam in pueros, *qui non peccaverunt in ſimilitudinem Adæ, cum nec ratione uterentur, qua ille utebatur, nec præceptum accepiſſent, quod ille tranſgreſſus eſt, ſed ſolo originali vitio tenerentur obſtricti*, ait S. P. ep. 157.: ergo non ob actualia peccata mors dominata eſt, ſed propter originale, quod contrahitur ex Adam. Ad II. diſt. ant. *Non imputabatur, hoc eſt non redarguebatur, ſive per legem rationis in parvulo, ſive per legem literæ in populo*, ut ait Aug. ep. 157.; conc.; hoc eſt non conſtituebat reos, neg. ant. Nam præadamitæ fuiſſent homines, adeoque naturali ſaltem lege fuiſſent obſtricti: ergo peccatum fuiſſet iis imputatum. Quod dicitur, mors regnavit uſque ad legem, ſignificat, nec legem Moſaicam potuiſſe auferre peccatum. Denique, ſi ex unius Adæ peccato cœpit mors dominari, & omnes reapſe moriuntur: nullus ergo mortalium fuit ante Adæ lapſum.

Ob. III. Antiquiores Adam sunt Chaldæi, & Synenses: ergo &c. R. neg. ant. Nam Chaldæi orti sunt a Saturno Babylonico, quem alibi ostendimus fuisse Nembrod, & eorum tempora supputari ab anno 131. *ab aquis*, idest a diluvio, nempe an. m. 1788., scribit Berosus. Synenses non esse vetustiores anno 200. post diluvium, scribit Cupletus Jesuita, eorumque religionem a Mosaicis libris fluxisse, demonstrat Huetius.

Ob. IV. Americani non sunt ex Adam: ergo &c. Prob. ant. Nam debuissent ejus posteri ex Asia in Americam transmeare, atque ita America cognita fuisset multo ante Columbum & Americum, ejusque meminissent Plinius & Ptolomæus, nec Zacharias, & Aug. negassent antipodas: ergo &c.

R. I. neg. ant. Ad prob. neg. min. Nam America cognita non est antiquis, quia naves ex Europæ, aut Africæ oris intra Tropicos delatæ, ventorum vi, & maris cursu ab ortu in occasum feruntur expedita navigatione in Americam. Inde autem regredi nequeunt, nisi venti petantur circa 27. gradum ab Æquinoctiali. Phœnices ergo, aut Europæi in Americam delati vi ventorum, cum Tropicos transgredi tentassent, redire non poterant, nisi casu illuc abriperetur navarchus, qui ventorum conversiones calleret. Aliunde qui illuc appulerunt, partim terrarum ubertate allecti, partim ex contrarietate ventorum, vel reditum non tentarunt, vel naufragio periere. Sicque America a Phœniciis, Europæis, vel aliis Adæ posteris populis aucta, usque ad an. Christi 1492. nobis delituit.

R. II. Americam esse insulam Athlantidem, quam Plato scribit fuisse ultra columnas Herculis. Idem tradunt Proclus, Ficinus, aliique. Phœnices etiam in regionem fertilissimam asportatos, scribit l. 5. Diod. Et Senec. Act. 2. Med. ait, quod *venient annis sæcula seris, quibus ingens pateat tellus, Tiphysque novos detegat orbes &c.* Non fuit ergo America antiquis prorsus ignota. PP. vero de ea dubita-

bitarunt, quod nulla esset ea de re certa historicorum fides.

CAPUT II.

De corporeo Adæ plasmate, & formatione mulieris.

NOT. I. Hominis creatio spectari potest secundum caussalem rationem, sive in primordiis seminariis, vel in propria corporis plasmatione, atque animæ inspiratione. Docet id Aug. l. 6. de Gen. ad lit. 15.: *De limo formari oportebat secundum caussalem rationem, in qua primitus factus erat. Nam si aliter factus est, non illum Deus in sex dierum operibus fecerat, in quibus cum dicitur factus, ipsam caussam fecerat Deus.* Per Aug. ergo formatio corporis Adæ de limo terræ, de qua 2. Gen., ad opera sex dierum non pertinet. Nam Adam & Evam secundum *causalem rationem* jam creati erant una cum rebus aliis c. 1. 27.

Not. II. Adæ corpus *formavit Deus de limo terræ*, non de fumo, aut vapore, sed de humore crassiori, aut terra aqua permixta, fulvi rubidique coloris ex Josepho 1. Antiq.: unde Adam ab אדמה, *adama*, dictus est, quasi *rubicundus & rufus.* Censent nonnulli, corpus Adæ infantilibus membris, alii statura gigantea efformatum fuisse. Eva ab חוה, *Chava, viventium parens* dicta est, eamque una cum viro membris omnibus perfectam, & latere lateri media una ex costis conjuncto censuit Eugubinus. Cajetanus autem mulieris formationem ex costa allegorice exponit. Sit itaque

PROPOSITIO I. Adami corpus neque infantili ætate, neque statura gigantis perfectum est.

Prob. I. pars ex Aug., qui l. 6. de Gen. ad l. 13. exemplo aquæ statim in vinum conversæ probat, Deum statim formasse hominem adultum, & juvenili robore præditum. Erat enim Adæ formatio opus solius Dei, qui, ut omnipotentiam suam ostenderet, nulla mora usus est. Neque enim Adæ geni-

genitrix præſto erat, quæ illum exciperet bajulans, nutriens, ut in infantibus uſuvenit, aut infirmæ ætatis curam gerens.

Prob. II. pars. Nam Gen. 6. gigantes orti ſunt a connubiis filiorum Dei cum filiabus hominum: ergo non fuerunt a principio gigantes illi *viri famoſi*. Nec obſtat quod ait Joſue c. 14. *Adam maximus inter Enacim ſitus eſt*. Nam Adam maximus dicitur 1. ob ſolam originem & auctoritatem; 2. quia nomen Adam non proprium eſt loco citato, ſed appellativum, ut conſtat ex præfixo ה, quod nomini proprio *Adæ* nunquam additur, ut ſcribit R. Kimki, & Buxtorfius in Theſ. Gram. l. 2.

PROPOSITIO II. Corpus primorum parentum non fuit Androgynum, ut cenſuit Eugubinus.

Prob. I. In ea ſententia Adam & Eva de limo terræ ſimul formandi erant: ſed ex Ap. 2. Tim. 13. *Adam primus formatus eſt, deinde Eva*: & ex Gen. 5. *Adæ non inveniebatur adjutor ſimilis ejus*: ergo &c. II. Adam formatus eſt de limo terræ, Eva ædificata ex una de coſtis ejus; unde Eccli. 17. dicitur: *Creavit ex ipſo adjutorium ſimile ſibi*: ergo mulier de oſſe, non de limo producta eſt. III. Ex Ap. 1. Cor. 11. homo eſt caput mulieris: atqui in Eugubini ſententia Eva æque eſſet viri caput, ac Adam mulieris: ergo &c.

Ob. Eug. Gen. 1. habetur: *Maſculum & fœminam creavit eos, creſcite & multiplicamini*: ergo &c. R. neg. conſ. Nam in Aug. ſententia in 1. Gen. deſcribitur creatio Adæ ſecundum *rationem cauſſalem*, in qua Adam & Eva continebantur. Dies autem 2. Geneſ. ad varias perceptiones angelorum referendæ ſunt, quibus illi res productas vel in propria ſpecie, vel in rationibus ſeminariis viderunt. Hic autem quæſtio eſt de formatione hominis de limo terræ, quæ c. 2. narratur, nec ſpectat ad opificium ſex illorum dierum. Vid. c. 2. l. 11.

Propositio III. Productio Evæ litteraliter, non figurate exponenda est.

In Evæ productione latuisse mysterium, constat ex Apost. Eph. 5. Negamus tamen, mulierem vere non esse de latere viri detractam, & c. 2. Gen. parabolam narrari, non veram historiam. Itaque pr. I. ex verbis Adæ, qui oblata sibi a Domino uxore, ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* sed hoc falsum esset in Cajetani sententia: ergo &c. II. Falsum esset, mulierem a viro אִישׁ, *Isc*, appellari אִשָּׁה, *Iscia, Viraginem, quia de viro sumpta est.* III. Nec verum esset, Adamum de limo terræ, Evam de Adamo esse formatam, ut Prop. 2. probatum est. IV. Nec vir esset caput mulieris: ergo &c. V. A literali sensu recedendum non est absque ratione & auctoritate: atqui utrumque deest Cajetano: ergo &c. VI. Tenenda est Augustini regula l. 3. Doctr. 10., proprie, non figurate accipiendum, quod fidei, & moribus congruit: atqui literalis sensus hoc loco utrique congruit: ergo &c. VII. Hieron. infidelitatis illum redarguit, qui non credit *Adamum ex Deo plasmatum, Evam ex costa illius e latere fabricatam:* ergo &c.

Ob. Cajetanus. Ex nostra sententia sequitur, I. Adamum aut monstrum fuisse ante Evam, aut postea sublata costa imperfectum, & mancum. II. Si literaliter accipiatur versus 20., *Adæ non inveniebatur adjutor similis ejus*, videtur quæsitam inter fœmellas animantium Adamo uxorem. III. Sequitur, duplicem esse formationem mulieris: prima est simul cum viro, secunda, cum ex ejus latere educta est. IV. Quomodo dictum est, *Crescite &c.*, cum nondum esset fœmina? V. Quomodo masculum & fœminam fecit eos? VI. Quomodo Deus adduxit eam ad Adam, si eo dormiente formata est? ergo parabolica est narratio Geneseos, nec *humano* more accipienda, ut ait Chrys. hom. 15.

R. neg. ant. Costa enim illa non erat redundans, cum

cum impares nunc inveniantur: ne vero Adam mancus remaneret, *replevit*, Deus, *carnem pro ea.* Ad II. neg. ſequelam ant. Nam illud *non inveniebatur* ſignificat, *nondum fuerat productum.* Adde hac phraſi ſignificari, quod Adam non inveniebat *ipſe ſibi.* Inquiſitio ergo in Adam cadit, non in Deum. Ad ea, quæ ſequuntur, reſpondetur cum Aug. diſt. ant. Duplex eſt formatio mulieris, & prior eſt inviſibiliter, potentialiter, cauſſaliter, quomodo fiunt futura, altera viſibiliter in propria ſpecie, conc.; utraque viſibiliter, & in ſua ſpecie, neg. Duplex ergo eſt creatio mulieris per Aug.: prima ſexta die, qua *creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, maſculum & fœminam creavit eos;* ſecunda extra ſex dies, cum educta eſt de coſta Adam. Ita Aug. l. 6. de Gen. ad lit. 6.

Dices: Quomodo fœmina extitit ſexta die, ſi tantum homo conditus eſt cauſſaliter; & quomodo factus eſt ad imaginem Dei nondum anima informatus, in qua hæc imago relucet?

R., ex Aug. ſententia angelos participatione lucis æternæ vidiſſe in Verbo quidquid in involucris illis primordialibus latebat. Viderunt ergo limum terræ, & perficiendum ex illo corpus Adæ, cui Deus inſpiraturus erat animam, atque hæc etiam in ſe ipſis extra cauſſas viderunt, quando viſibiliter facta ſunt: talis eſt diſtinctio ſecus, animæ creatio, & alia 2. c. narrata, quæ ad ſimultaneam creationem non ſpectant. Chryſ. vero hom. 15. in Gen. monet, ne *adeo verbis addicti ſimus, ut minime de Deo, ut par non eſt, ſentiamus,* quaſi Deus os, manus, pedeſque habuerit corporeos, cum inſufflavit, coſtam tulit, adduxit ad Adam: ergo &c.

CAPUT III.

De natura animæ humanæ.

ANIMAM rationalem cum re ſimpliciſſima & immutabili comparatam, qualis eſt Deus, abſolute

late incorpoream dici non posse, observat Augustinus, idque ad intelligendas veterum sententias plurimum confert. Nunc autem corpus dicimus, quod extensum est, & partes habet: quo sensu soli Athei, aut Epicuræi autumant, animam esse corpoream: Manichæi autem illam divinæ substantiæ portionem esse putarunt.

Propositio I. Anima incorporea est & spiritalis.

Prob. I. scripturis, in quibus spiritus sæpe pro re subsistente usurpatur. Apost. 1. Cor. 2. ait: *Quis scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis* &c.? Ubi Apostolus spiritum hominis rem subsistentem, & incorpoream significat. Nam in græco tam spiritus Dei, quam hominis ponitur cum articulo τὸ πνεῦμα: atqui spiritus Dei est res subsistens: ergo & spiritus hominis. II. Plura sunt scripturæ loca, quibus ostenditur subsistentia animæ sejunctæ a corpore: sed quod vivit extra corpus, corpus esse non potest: ergo &c. Prob. II. ex Patribus, S. P. ep. 28. ad Hieron. ait: *Incorpoream esse animam fateor*: & in Ps. 145. *Res spiritalis est, res incorporea est, vicina substantiæ Dei.* Hinc Concilium Lat. IV. hanc propositionem aperte definiit. Prob. III. ratione. I. Si mens humana esset corporea, non posset percipere veritatem, sapientiam, unitatem, aliaque Dei attributa, quæ absque sensuum subsidio apprehendi possunt (sensus enim & corpus sola corporalia attingit): ergo &c. *Si corporea*, ait S. P., *corporeis oculis cernuntur, oportet animum, quo videmus incorporalia, corporeum non esse.* II. Mens hominis est substantia cogitans: atqui in idea substantiæ cogitantis nullà occurrit materiæ perceptio: ergo mens est spiritalis.

Ob. I. Licet in idea justitiæ non reluceat misericordia, sunt tamen unum & idem: ergo a pari. R. neg. cons. Nam idea justitiæ non exhibet rem in se, sed objectum extrinsecum: at idea mentis exhi-

exhibet rem cogitantem, ſicut idea corporis rem extenſam: ideoque diverſa corporis ac mentis perceptio infert inter illa diſcrimen.

Ob. II. Mens adoleſcit in pueris, viget in juvenibus &c.: ergo &c. R. diſt. ant. Adoleſcit &c. per ſe & natura ſua, nego; per ſenſus, quorum tendines ætate dureſcunt, aut laxantur, conc. Vide Auctorem c. 3. l. 1.

Propositio II. Anima non eſt portio divinæ ſubſtantiæ.

Prob. ex Auguſtino 7. de Gen. ad l. 2. *Nos credimus Dei naturam incommutabilem: atqui animæ naturam commutari poſſe nemo ambigit: ergo ſacrilega opinio eſt, eam & Deum unius eſſe ſubſtantiæ.* Et ep. 28.: *Deum nefas eſt, niſi vere incommutabilem credere; non eſt igitur anima pars Dei.* Vide Aug. l. 2. de An. 3.

Ob. I. Act. 7. nos dicimur *genus Dei*: ergo ex ejus ſubſtantia. R. neg. conſ. Nam ex Ap. genus Dei ſumus, quia *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus*: & ſenſus eſt, poſſe homines ad Deum accedere ſe ipſos contemplando, & charitate filii Dei nuncupari. Deinde Apoſtolus his verbis Idololatriam inſectatur dicens: nos genus Dei ſumus, non debemus ergo adorare ſculptilia, quæ cum ſint opera hominum, ſunt ipſo homine ignobiliora, qui genus Dei eſt.

Ob. II. Deus creavit animam Adæ inſpirando ſpiraculum vitæ: ſed hoc ſpiraculum, ſive halitus Dei ex ejus ſubſtantia eſt: ergo &c. II. Subſtantia Dei non diſcerpitur inſpirando, ſicuti nec lumen lucernæ, cum ex illo aliud accenditur, vel cum Eliſeus flando puerum ſuſcitavit: ergo &c.

R. Ad I. diſt. maj. Et hoc ſpiraculum eſt ex nihilo, conc.; eſt halitus naturæ Dei, neg. maj. Similiter diſt. min. Hoc ſpiraculum ex Dei ſubſtantia eſt, ſi ſit ſpiritus creatus, neg.; ſi ſit ſpiritus datus a Deo, conc. min.; & neg. conſ. *Quid eſt*, ait

ait Aug. 3. de Orig. An., *quod dicis eum particulam esse quandam halitus naturæ Dei? Numquidnam ipsum halitum negas ejusdem, cujus Deus est, esse naturæ? Si negas: ergo de nihilo & istum halitum fecit Deus, cujus halitus animam vis esse particulam; si de se ipso: ergo ipse est, quod absit, materies corporis sui.* Solus ergo spiritus datus, hoc est Spiritus sanctus, ex Dei substantia est; nam anima ex ipso Dei halitu ex nihilo producta est, alioquin, nedum portio Dei esset, sed Deus ipse, sicut Spiritus sanctus Deus est. Ad II. neg. ant. Ad exemplum ignis respondetur, hunc alterius naturæ saltem numero esse a lucernæ lumine: erunt ergo Deus & anima plures dii. Ad III. respondet Aug. *Itane flatum Elisei fuisse putas animam pueri?* Hæc enim a corpore abierat.

CAPUT IV.

De animarum origine.

DUO inquiremus hoc loco: I. An anima fuerit ante corpus, & in ipsum ob patrata crimina ex altissimo domicilio depressa, ut ait Origenes? II. An sit ex corporali semine propagata, aut saltem per traducem fiat, ut plures ex PP. dubitarunt?

Propositio I. Animæ creatæ non sunt extra corpora, neque in ea ob crimina detrusæ.

Prob. I. scripturis. Ap. Rom. 5. ait: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit:* ergo animæ extra Adam non peccaverunt, nec in Adam, idest in carnem, quæ ex Adam propagata est, ut in carcerem fuerunt intrusæ. Ita S. P. ep. 28. ad Hier. II. Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona:* atqui valde bona non fuissent, si corporibus alligatæ fuissent animæ sceleribus inquinatæ: ergo &c. Ita S. P. 11. de C. D. 23. Prob. II. ex Can. 6. Conc. Bracharensis, & ex Vienn. sub Clem. V., ubi definitur, animam esse suapte

natura formam corporis: ergo non propter crimina in corpus detruditur.

Prob. III. rationibus Augustini. Dæmones gravius peccarunt, quam animæ: atqui dæmones in corpus aereum, animæ vero in terrenum per Origenem detrusæ sunt: ergo graviori culpæ levior pœna injuste rependeretur.

Ob. I. Sap. 8. habetur: *Puer eram, & sortitus sum animam bonam, & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum:* ergo &c. R. I. neg. cons. Si enim bona erat anima, cur in corpus detrusa est, quod ex Origene ob crimina tantum velut carcer animæ destinatur? Sensus ergo citato loco est, Salomonem adhuc puerum optimæ indolis fuisse, cumque esset magis bonus, gratiæ auxiliis diu munditiam ita servasse, ut in mortali corpore caste viveret. R. II., ea verba accipienda esse de Filio Dei, cujus Salomon typum gerebat, ut ait Aug. 10. de Gen. ad lit. 17.

Ob. II. S. P. 7. de Gen. ad lit. 24. ait, animam latuisse *in operibus Dei, donec eam corpori insereret:* ergo &c. R. I. neg. cons. Non enim cum Origene ait S. P., Adæ animam ob patrata crimina venisse ad corpus invitam, sed eo fine creatam, ut corpus statim formandum sponte subiret, cujus erat forma.

R. II. dist. ant. Ait S. P., animam latuisse in aliorum sententia, quam tolerabiliorem vocat, conc.; in propria, neg. Disputat ergo ibi S. P., an simul cum rebus aliis anima producta sit? Cumque ostendisset, animam non fuisse conditam secundum *caussalem rationem*, cum sit spiritalis, nec latuisse in angelorum natura, cum non sit filia angeli, ait, *tolerabilius videtur*, si dicatur, animam latuisse in operibus Dei, donec eam corpori insereret: quam opinionem lectorum arbitrio relinquit. At l. 12. de C. D. 23. in eam propendet sententiam, quæ docet, animam creatam esse homine jam formato; ait enim: *Cum virum formasset ex pulvere; eique ani-*

animam, ſive quam jam fecerat, indidiſſet, ſive ſufflando feciſſet &c. Neque hoc adverſatur ſimultaneæ creationi. Nam creatio animæ ad alteram ſpectat creationem hominis, nempe in ſua ſpecie, ut alibi dictum eſt.

Ob. III. Origenis ſententia traditur ab Ethnicis. Nam in Paneg. Theodoſii Imp. legimus: *Divinus animus venturus in corpus dignum prius metatur hoſpitium.* II. A Judæis, qui Jo. 9. Chriſtum rogarunt: *Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* III. A PP. Nam Hieron. hanc ſententiam recitat, non improbat in ep. ad Eph. &c.: Aug. vero dubitavit, an ſol, & ſidera ſint animata: ergo Origeni omnes conſentiunt.

R. neg. ant. Falſum eſt enim intelligibilia corporalibus præceſſiſſe ut archetypa. Quid enim opus erat ſapientiſſimo artifici exemplari & archetypo, ut mundum conderet? Falſa eſt ergo Ethnicorum opinio de præexiſtentia animarum. Ad II. neg. ant. Judæis enim impoſſibile videbatur, poſſe hominem ante nativitatem peccare; rogabant ergo cujuſnam peccati pœna eſſet cæcitas illa nativa? Quibus reſpondit Jeſus: *Neque is peccavit, neque parentes ejus*, actuali quidem peccato, cujus ſuſpicabantur pœnam fuiſſe cæcitatem: ergo anima cæci nati non fuit ob aliquod crimen detruſa in corpus. Ad III. reſpondetur, Hieronymum ibi ſatis oſtendere, ſe recedere ab ea Origenis ſententia: Auguſtinus vero dubitavit tantum, an aſtra a ſuis rectoribus ſpiritibus vitaliter inſpirentur, quod retractavit in c. 7. Vide Noriſ. Vind. c. 4.

Ob. IV. Anima non moritur moriente corpore: ergo nec producitur cum corpore. R. neg. conſ. Anima enim, cum ſit incorporea, non poteſt diſſolvi cum corpore, cum eo tamen producitur, quia eſt ejus forma.

Propositio II. An anima creetur ex nihilo, difficillima quæſtio eſt, de qua jure dubitavit Augu-

ſtinus; ſed de fide eſt, eam ex corporali ſemine non propagari.

Prob. I. pars. Hæc enim quæſtio neque ex ſcripturis, neque ex Patribus, neque rationibus theologicis reſolvi poteſt: ergo &c. Prob. min. Nam ex ſcripturis producitur illud Pſal. 32. *Qui finxit ſingillatim corda eorum.* Iſ. 42. *Qui fingit ſpiritum hominis in eo.* Eccli 12. *Spiritus redeat ad eum, qui fecit illum.* Jo. 5. *Pater meus uſque modo operatur:* ſed hæc loca dubia ſunt: ergo &c. Pr. min. ex Bellarmino, qui ex Auguſtino ait, nullum inveniri ſcripturæ locum, in quo perſpicue doceatur, animum non fieri ex propagine, ſed creari. Deinde ad I., & II. R. Auguſtinus: *Sed unde eum fingat, hoc quæritur: nam & corporalem oculum, quis niſi Deus fingit?* Ad III. R. Auguſtinus, *de anima, cum conſtet ab illo fieri, unde ea faciat, an ex propagine, an inſufflando, adhuc requirendum eſt.* Ad IV. R., Jo. locum de orbis conſervatione, vel de Chriſti miraculis accipi poſſe. Nec obſtat Hebr. 12. dici Deum *Patrem ſpirituum*; nam Deus etiam ſpiritus eſt opifex, & *Pater ſpirituum* dicitur, quia ſolus dat ſpiritus dona: quod ergo ſpectat ad loca ſcripturarum, dicam cum Auguſtino, an anima ſit ex propagine ſui generis, *ego nec defendo, nec refello, ſed perſpicuis, non ambiguis teſtimoniis id agendum eſt.*

Ex Pp. plurima proferri ſolent pro creatione animarum. Verum Eucherius Lugd., PP. Africani, Fulgentius, Greg. M. Prudentius, Hugo a S. Victore &c. ſcribunt, hanc quæſtionem eſſe inſolubilem, dubiam &c.: ergo &c. Vide Noriſii Vindic. 4. §. 3., ubi obſervat, in ipſa ad Optatum epiſtola adhuc dubitare Auguſtinum: Tertulliani vero ſententiam ab eo damnari, quia cum crederet animam eſſe corpoream, gigni putabat ex ſemine corporeo.

Dices: S. Leo in ep. ad Thur. ait: *Catholica fides prædicat, quod animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere.* R. hæc contra

Ori-

Origenis & Eutychetis perversa dogmata dicta esse, ut demonstrat ibidem Norisius.

Ex ratione plura proferuntur de animi incorporea natura; non desunt tamen, qui materiam spiritalem defendunt: deinde in sententia de creatione animarum difficilius exponitur peccati originalis transfusio. Verum est, S. Thom. opinionem de propagine animarum hæresim appellare, sed S. Th. eorum sententiam notat, qui putant, animam propagari per semen corporeum. Ex quibus sic arguitur: controversia de animarum origine nec scripturis, nec traditione, nec rationibus definiri potest: ergo recte de ea dubitavit Augustinus.

Quæres: an sententia, quæ docet, singulas animas de novo creari, spectet ad fidem? R. Estius (a) negative: quod probat I. Auctoritate Augustini, Gregorii, atque aliorum Patrum, qui sane de fidei dogmate non dubitassent. II. Quod neque scripturis, neque traditione, neque Ecclesiæ decreto fuerit definita. III. Addit Victorini, a Castro, & S. Thomæ sententiam, quibus nos quoque subscribimus. Nec tamen, nisi temere, defendi potest opinio de animarum traduce adversus communem Theologorum consensum, præsertim cum objectio de transfusione peccati originalis, etiam non admissa animorum propagine, ex doctrina Augustiniana diluatur. Ut enim ait Augustinus l. 3. contra Julianum, *Aut utrumque* (idest anima, & caro) *vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero, tamquam in vitiato vase, corrumpitur.*

Prob. secunda pars. Anima spiritalis est: sed spiritale nequit decisione seminis propagari: ergo &c. II. Aug. (b) ait: *Ego autem inter utrosque ambigo, salvo eo, ut vel corpus esse animam, vel aliquam corpoream qualitatem, seu coaptationem non credam.* III. Spiritalis substantia contineri nequit in re corporea,

(a) *Dist.* 17. *l.* 2. §. 4.
(b) *L.* 10. *de Gen. ad lit.* 21.

porea, tanquam in ratione cauſſali: ſed contineretur: ſi anima fieret ex ſemine: ergo &c. Simile eſt S. Thomæ argumentum (a); qui ergo corporali ſemine animam traduci affirmaret, eſſet ex S. Thoma hæreticis accenſendus.

Ob. I. Anima non fit ex nihilo: ergo non creatur, ſed propagatur. Prob. ant. Si anima fieret ex nihilo, a corpore non penderet: atqui anima pendet a corporis temperie, alias quævis anima in quodlibet corpus ingredi poſſet: ergo &c. II. Si eſſet a corpore independens, nec doleret ex ejus paſſionibus, nec eo diſſoluto invita recederet. Diruta enim domo, vel navi, nauta, & hoſpes recedunt, quoniam corporei corporibus indigent: at ſpiritalia non ſic: ergo &c.

R. neg. ant. Ad prob. diſt. maj. Non penderet quoad ſe, conc.; quoad corpus, cujus eſt forma, neg. maj. Similiter diſt. min., & neg. conſ. Anima ergo non pendet a corpore, quoad ſe, ideſt ut ſit, neque ut res ſpiritales percipiat: adeoque liberum non eſt ei quodlibet corpus ingredi, quia ex lege conditoris hujus eſt forma. Ad II. retorqueo argumentum. Sæpe enim mens dolet abſque paſſione corporea, ex. gr., ex contritione cordis: ergo non ſemper pendet a corpore: ſæpe tamen ab eo pendet ex lege conditoris, eoque anima utitur veluti inſtrumento in vitæ functionibus, quo vitiato, aut male affecto, etiam anima ſe male habet: ut male ſcribimus, vitiato calamo. Exemplum nautæ eſt ad rem noſtram. Is enim, ut homo eſt, non indiget corpore, ſed eo indiget ut forma, nam illud regit, & dirigit. Fracto navigio, cogitur nauta aut miſeram vitam agere in littore, aut feliciorem in portu: ſic diſſoluto corpore anima pro meritis vitam agit, ſive miſeram in gehenna, ſive beatam in cælis. Quod vero a corpore anima recedat invita, eſt pœna peccati.

Ob.

(a) 1. p. q. 118.

Ob. II. Anima est forma corporis: ergo educitur de potentia materiæ, II. Hæc forma inducitur ab agente naturali ex dispositione materiæ: ergo non creatur. R. dist. ant. Est forma corporea, neg. ant.; forma spiritalis, conc. ant., & neg. conf. Nam sola forma corporea educitur de potentia materiæ. Ad II. dist. ant. Educitur ex dispositione materiæ, ut subsistat, neg.; ut peragat vitæ corporalis officia, conc. Corporis itaque dispositio non confert ad animæ subsistentiam, sed ad corporalia officia; nam sejuncta a corpore cogitat, vult, amat &c. Deinde anima Adæ producta est, formato prius corpore de limo terræ: ergo materiæ dispositio non importat per se corporalem generationem.

Ob. III. Roccus. Aug. ep. ad Hieron. 28. ait, parvulos originali peccato non obstringi in nostra sententia: ergo falsa est. Prob. ant. Nullum accidens absque subjecto potest existere: atqui subjectum peccati originalis est anima: ergo, si anima non propagatur, peccatum non diffunditur.

R. neg. ant. Nam S. P. non de propagatione animæ per semen corporale, sed solum de spiritali.. nceps est: immo citat. lib. ait, se nolle discutere illam opinionem, quod ex una fiunt omnes animæ. Unde l. 5. contra Jul. 3. ait: *Aut utrumque vitiatum ex homine trahitur* (propagine nempe spiritali, quam unice agnoscit) *aut alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur.* Salvatur ergo in utraque sententia peccatum originale. Ad prob. neg. maj. Transeunt enim, ait Estius, de uno in alterum absque subjecto errores, morbi &c.: & concessa min., neg. conf.

Ob. IV. Hæc sententia Deum facit injustum, qui purum spiritum corruptæ carni permiscet: ergo &c. R. neg. ant. Nam peccatum ex vi creationis non traducitur, sed ex Adami malitia, per quem corporeo vase polluto, quod Deus absque sorde formavit,

mavit, non debet Deus naturæ ordinem immutare, ut ait S. Profp. ad IV. Obj. Vinc.

Ob. V. Fœcunditas humani feminis attingit terminum *formalem* generationis: fed is eft anima: ergo &c. Prob. min. Nam femen canis canem producit: ergo a pari. II. Si educta anima fenfitiva de potentia materiæ, non crearetur anima rationalis, quidnam ex homine nafceretur? III. Omne animal generat fui fimile: ergo & homo.

R. neg. min. Homo enim hominem gignit, non quod ejus femen productionem animæ attingat, fed quia difponit materiam, cui Deus ex naturæ lege inferit animam, ficut beata Virgo Verbi perfonam genuit fubminiftrando materiam, cui fubftantialiter unitus eft Filius Dei. Ad prob. neg. conf. & parit. Nam canis canem gignit, quia ejus anima eft fenfitiva: aft anima hominis eft fpiritalis: nec fequitur, hominem inferiorem effe ipfo cane; cum enim fit mente præditus, præftat viventibus ceteris, & ejus generatio generationibus brutorum. Ad II. R. Difpofitio corpore teneri Deum, in hac providentia, ei animam conjungere; unde fi animam non crearet, irrationale animal nafceretur, non homo. Ad III. R. Hominem gignere fui fimilem, quatenus materiam difponit, cui Deus animam infundit.

Ob. VI. In homine eadem eft anima rationalis, ac fenfitiva, & vegetativa: fed hæ gignuntur: ergo & illa. R. Tranfmiffa maj., quæ a pluribus negatur, dift. min. Gignuntur, quoad corporea membra, ad quorum concuffionem anima fenfibilia percipit, conc.; quoad fubftantiam a corpore, ejufque modificatione fejunctam, nego.

Ob. VII. De ratione animæ eft informare materiam, eique aptari adæquate: fed anima materiam informat: ergo refpondet partibus formæ, & partibus conftat, & corporaliter propagatur. II. Anima tota eft in quavis corporis parte: ergo abfciffo brachio tota divellitur, & tota remanet. R. dift. maj. De ratione animæ

mæ &c., quæ eſt *forma* materialis corporis, conc.; de ratione animæ, quæ ſit *forma* ſpiritalis, neg. maj. Similiter diſt. min., & neg. conſ. Duplex in homine eſt forma, materialis, ideſt humani corporis figuratio, & ſpiritalis, quæ ope ſenſuum ſenſibiles functiones exercet. Ad II. neg. conſ. Sciſſo enim brachio non anima divellitur, ſed nervi, venæ, aliaque filamenta, per quæ ab anima movebatur.

Ob. VIII. Gen. 2. non legitur, Deum in faciem Evæ inſpiraſſe ſpiraculum vitæ: ergo ejus anima ex Adæ anima facta eſt, unde dicitur virago, quia de viro ſumpta eſt. II. Cap. 12. memorat *animas, quas* Abraham fecerat in *Haran*, & c. 46. recenſentur *cunctæ animæ, quæ egreſſæ ſunt de fœmore Jacob*: ergo per traducem corporalem. III. Apoſt. Hebr. 7. ait, quod Levi adhuc in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchiſedech: ſed Levi erat in lumbis Abrahæ ratione etiam animæ, non ſolius carnis, alias etiam Chriſtus decimatus eſſet, cum natus ſit ex Abraham ſecundum carnem: ergo &c.

R. ad I. neg. conſ. Ibi enim corporalis Evæ productio deſcribitur, non ſpiritalis; hinc ergo non probatur nec creatio, nec propagatio animorum. Dicitur autem virago, quia eſt os de oſſe viri, non anima de anima. Vide Auguſtinum ep. 28. ad Hieronymum. Ad II. neg. conſ. Filii Jacob animæ vocantur figurate, ſumpta re contenta pro continente. Ad III. neg. min. Chriſtus enim cum Levi decimatus non eſt in fœmore Abrahæ, quia abſque ſemine corporali de Virgine conceptus eſt.

CAPUT V.

De immortalitate animorum.

Præcipua animæ dos eſt immortalitas, quam a Catholicis nonnullis negari, calumniantur Oſiander, & Claſſenius. Negant utique, qui ani-

mam in quadam materiæ dispositione constituunt, quamvis non desint, qui materialem animam putant, & immortalem. Sit itaque

PROPOSITIO. Anima perpetuo vivit.

Prob. I. scripturis. Sap. 3. de justorum animabus habetur: *Non tanget illos tormentum moris. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Jo. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Matth. *Justi autem in vitam æternam.* Prob. II. ex Patribus apud Coccium in Thes., & Suarez l. 2. de op. 6. dierum: unde Origenes ait l. 7. contra Celsum, quod *tam Græci, quam barbari persuasum habent, quod vivat anima humana post discessum a corpore.* Nam, præter Pythagoram, & Platonem, idem sentiunt Thraces ex Mela, Chaldæi, & Indi ex Pausania: ergo &c. Prob. III. ratione. I. Anima incorporea est, ut alibi probatum est: ergo est immortalis: *Quomodo enim dissolvi potest*, ait Nyss., *quod non est compositum?* II. Nisi anima sit immortalis, nec bonis merces, nec improbis poterit rependi supplicium: sed hoc Dei providentiæ, ac sapientiæ repugnat: ergo &c. Hoc argumentum, quod extat Job. 21., & Ps. 72., urget Chrysostomus hom. 4. de Provid., & Tull. de Senect. Hinc Epicuræi, atque impii, ut suis cupiditatibus indulgerent, animæ immortalitatem negarunt. III. Insitus cuique est amor beatitudinis, & sollicitudo de iis, quæ post mortem futura sunt: sed hic naturæ instinctus frustrari nequit, alias melior esset brutorum, pecudumque conditio: ergo &c.

Ob. I. Eccles. 3. ait: *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, & nihil habet homo jumento amplius:* ergo &c. R. dist. ant. *Unus est interitus* &c. quoad vitam corpoream utrisque communem, conc.; quoad spiritalem, neg. ant. Nam quoad corpus & vitam animalem nihil habet homo jumento amplius, & cuncta ad eandem ter-

ræ

ræ conditionem redeunt; ſiquidem peccanti Adamo ait Dominus, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Anima ergo, quæ pulvis non eſt, in pulverem re-verti non poteſt. Verum nos alteram manere vitam, in qua pro ratione meritorum merces æqua rependitur, docet Eccl. ibidem v. 17.; *Et dixi in corde meo, juſtum & impium judicabit Deus.*

Ob. II. Ex 1. Tim. 6.: *Deus ſolus habet immortalitatem*: ergo anima non habet. II. Levit. 17. *Anima omnis carnis*, ideſt hominum, *in ſanguine eſt*: ergo &c. R. ad I. diſt. conſ. Non habet natura, & immutabiliter, conc.; nullo modo, neg. conſ. *Solus ergo Deus*, ait auct. q. ad Orth., *immortalitatem dicitur habere, quod non ex alterius voluntate eam habet, ſicut cæteri immortales*, ſed de ſuapte natura, & eſſentia. Vide l. 10. c. 3. Ad II. R. cum Aug., animam in ſanguine eſſe, quatenus in hac vita vivitur, dum ſanguis per venas corporis diffluit: vel cum aliis reſpondetur, animam omnis carnis, ideſt brutorum, qui ſuper altare immolantur, eſſe ſubtiliores ſanguinis partes, non vero animam hominis, quæ eſt ſpiritalis.

CAPUT VI.

De Pythagorica metempſychoſi, ac de Platonica animorum revolutione.

NOT. I. Animarum de uno in aliud corpus tranſmigrationem, ſeu μετεμψύχωσιν, ut Græci vocant, primus dicitur tradidiſſe Pythagoras, ſed eam ab Ægyptiis ad Pythagoram promanaſſe, ſcribit Photius in Biblioth. p. 1004. In eodem luto hæſiſſe Stoicos omnes, ait Lactantius, Germanos Appianus, & Indos Juſtus Lipſius. Plato etiam (a) animas revolvi poſt mortem cenſuit ad corpora beſtiarum. Tandem Manichæi eodem errore imbuti ſunt, teſte Aug. (b).

Not.

(a) *In Tim. &c.* (b) *Hær.* 46., *& contr. Adim.*

Not. II. Platonici quidam, præter transmigrationem, defendunt etiam animarum reditum ad astra; non tamen conveniunt, an exacto anno magno debeant ibi remanere, an infinitis revolutionibus iterum ad corpora redire.

Propositio I. Non datur Pythagorica metempsychosis.

Prob. I. Script. Eccli. 12. *Revertatur pulvis ad terram suam, & spiritus redeat ad Deum.* Atqui non rediret ad Deum, si in aliud corpus migraret: ergo &c. II. Ap. Rom. 7. ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et Phil. 1.: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo:* sed posita metempsychosi, esset transitus de corpore mortis in aliud: ergo &c.

Prob. II. ratione. I. Ex Irenæo (a). Nemo enim reminiscitur eorum, quæ in alio corpore gessit: ergo &c. R. Platonici, animas, priusquam intrent in corpora, oblivione potari. Sed puerilis elusio. *Si enim oblivionis poculum potest omnium abliterare memoriam, hoc ipsum unde scis, o Plato, cum sit nunc in corpore anima tua?* Sic Platonem perstringit Irenæus loc. cit. II. Si permixtio corporis posset præteritorum delere memoriam, dum quis e somno vigilat, non reminisceretur eorum, quæ vidit in somniis: sed hoc experientiæ adversatur: ergo &c. III. Licet corpus animam aggravet, non efficit tamen, ut substantia cogitans omnem reminiscentiam deperdat: ergo &c. Vide Iren. loc. cit.

II. Ex Tertul. de An. 3. Si animabus ea corpora deputantur, quæ eorum meritis congruunt, e. g. porcorum immundis, asinorum socordibus, debent ipsæ etiam suorum scelerum reminisci, quibus talia corpora meruere: atqui nemo torquetur conscientia præteritorum factorum: ergo &c.

III. Ex Aug. I. Homo est imago Dei in anima hominis potissimum sita: atqui posita metempsychosi,

(a) *L.* 2. 33.

chosi, etiam corpora brutorum essent habitaculum animæ: ergo etiam bruta essent imago Dei, quod absurdum est. *Non enim dabit Deus imaginem suam cani, & porco*, ait S. P. in Ps. 146. II. Jumenta, quæ hominum usui deserviunt, absque ulla crudelitatis nota vapulant, onerantur, mactantur: at posita metempsychosi, jumentis honos habendus esset: ergo &c. III. Cum Manichæi, & Indi docerent, in minutissima animalcula, ut publices &c. animas non revolvi, instat ib. S. D. *Cur autem in vulpeculam revolvi anima humana possit, & non possit in mustelam? cur in murem non potest, in apem, in muscam, in cimicem, & pulicem pervenire?*

Propositio II. Non datur Platonica revolutio.

Prob. ex Aug. 10. C. D. 30. & 12. c. 20. Anima purgata, & beatitudinem consecuta, juxta Platonicos, revolutis sæculis ad secundam vitam redit, optione cuique proposita, ut corpus eligat, quod lubet, e. g. anima Orphei corpus cycni, Ajacis leonis &c., ut ait Plato in Phædro: atqui absurdum est in ea vita *desiderari corporum labem, & inde ad ista remeare, tamquam hoc agat summa purgatio, ut inquinatio requiratur*, ut ait ibi Aug.: ergo &c. II. Animæ juxta hanc doctrinam numquam beatitudinem consequuntur, cum sciant, se iterum ad terrenam calamitatem redituras, aut, si ignorant, beatæ esse non possint.

Opp. Matth. 11. de Jo. Baptista ait Christus, *Ipse est Elias*: ergo Eliæ spiritus revolutus fuerat in Joannem. II. Ps. 146. Deus dat escam *pullis corvorum invocantibus eum*: atqui non invocarent corvi Dominum, nisi in eos animæ transmigrassent: ergo &c.

R. ad I. neg. conf. Rogantibus enim Levitis, an ipse esset Elias? respondit Jo. *Non sum*: ergo figurate, non proprie, Joannes est Elias. *Si figuram Præcursoris advertas*, ait Aug. Tr. 4. in Jo., *Joannes*

nes est Elias; quod enim ille ad primum adventum, iste ad secundum erit; si proprietatem personæ, Joannes Joannes, Elias Elias. Ad II. neg. min. Pulli corvorum Deum invocant metaphorice, crocitando, unde vertit Hieronymus. *Filiis corvi clamantibus;* non proprie, ut homines solent.

DISSERTATIO II.

De proprietatibus primi hominis.

PRÆCIPUA primi hominis proprietas est imago Dei, quæ, præter substantiæ intelligentis naturam, dona virtutum, & gratiarum munera complectitur: deinde originalis justitia, gratia actualis, immortalitas, libertas, & naturæ propagatio.

CAPUT I.

De imagine Dei, & originali justitia.

RATIO imaginis requirit, ut rem, cujus imago est, peculiariter repræsentet: eaque ex Augustino in anima sita est, tum in amore virtutis, innocentia, justitia &c.

PROPOSITIO I. Homo ad imaginem Dei secundum animam factus est, idque intellectum, voluntatem, & arbitrium complectitur.

Prob. I. scripturis. Genes. 1. habetur, hominem ad imaginem Dei creatum esse, *ut præesset piscibus maris &c.*: atqui homo præest animantibus, non viribus corporis, sed animi facultatibus: ergo &c. Prob. II. ex Aug. l. 24. contra Faust. 2., qui ait, *Deum hominem ad imaginem suam non fecisse, nisi secundum id, quod interius est rationale:* & l. 7. de Trin. Trinitatis imaginem in anima, ejusque intellectu, & amore expressam demonstrat. Prob. III. ratione Augustini, qui l. 83. q. 51. ait, inter creaturas, *quæ sapiunt, Deo similitudine proximæ sunt,* cum aliæ aut non cognoscant, ut bruta, aut non vivant,

vivant, ut lapides. Ex quibus sequitur. I. Angelum peculiariter ad imaginem Dei fuisse creatum. II. Etiam mulierem; nam 1. Gen. habetur, *ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.* III. Hominem peccando imaginem Dei penitus non amittere, quia in eo non extinguitur lumen rationis, nec perit libertas. IV. Hominem ad Dei imaginem *factum* dici, ut distinguatur a Verbo, quod est perfectissima divinæ substantiæ imago, *non facta*, *sed genita.*

PROPOSITIO II. Imago Dei etiam gratiarum dona complectitur.

Prob. I. script. Apost. Eph. 4., & Coloss. 3. hortatur nos ad virtutes, ut spiritu renovemur *secundum imaginem Dei:* ergo præter naturam, quæ imago Dei est naturalis, extat in nobis per gratiam imago supernaturalis, qua filii Dei nominamur, & sumus. Prob. II. ex PP. Irenæus l. 5. 6. ait: *Imaginem haberi in plasmate, similitudinem vero assumi per spiritum.* Hieron. ad 28. Ezech. ait, Dei similitudinem compleri *in baptismate;* August. contra Adim. 5., *in dilectione inimicorum* ex Matth. 5. Bellarminus c. 2. de Gr. I. Hom. notat, *imaginem ad naturam, similitudinem ad virtutes pertinere.* Prob. III. ratione. Nam similitudo addit ad rationem imaginis rectitudinem, ac perfectionem, quæ in homine est ordo dilectionis, adeoque peccando, non imaginem perdidit homo, sed similitudinem.

PROPOSITIO II. Adam cum gratia sanctificante productus est: id tamen ab Ecclesia non est definitum.

Prob. I. pars ex lib. 10., ubi de gratia angelorum sermo est: producta namque ibi argumenta sunt homini, angelisque communia. Ad hominem peculiariter spectat locus Apost. Eph. 4.: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate:* ergo &c. Accedit Trid. Syn., quæ sess. 5. can. 1. definit, *primum hominem, per peccatum, sanctitatem, & justitiam, in qua con-*

constitutus fuerat, amisisse. Est etiam hæc sententia Augustino, aliisque PP., & rationi conformis, ut cit. loco probatum est: ergo &c.

Prob. II. pars contra nonnullos, qui hoc ad fidem spectare putant ob allatam Trid. Syn. definitionem. *Verum aliud est creatum esse in sanctitate, aliud in ea constitutum. Constitui enim in ea potuit Adam post creationem.., unde liquet, PP. Conc. Trid. studio voluisse abstinere a definienda quæstione inter catholicos disputata, an homo fuerit creatus in gratia?* Hæc Estius in 2. dist. 25. Addit Juenin, Synodi jussu fuisse deletam vocem *conditum*, quam illius canonis editores inseruerant. Idem testatur Pallavicinus l. 7. Hist. Conc. Trident. 10. Nec obstat Arauxicanus canon 19., quem urgent Bellarm., & Bellelli; nam verba illa, *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret*, necessitatem tantum gratiæ actualis contra Pelagianos important, argumento, ut ajunt, a *fortiori.* Neque ex Aug., aut Fulgentio satis firmum ea de re argumentum conficitur, dum ille lib. 1. de lib. Arb. c. 2. ait, *hominem perfecte a Deo conditum*, iste de Fid. 25. scribit, *primos homines bonos, & rectos creatos esse;* R. enim Scholastici, ex iis locis tantum evinci, Adami naturam absque ullo vitio, & cum bona voluntate, & gratiæ sufficientis adjutorio creatam esse, ut posset habitualem gratiam, & beatitudinem consequi. Nulla ergo censura Scholastici illi inurendi sunt.

Ob. I. Ap. 1. Cor. 15. ait: *Factus est primus homo in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem:* ergo Adam sine gratia, Christus in sanctitate justitia creatus est. II. S. P. 2. de Gen. 8. hoc testimonio probat, tunc spiritalem Adam esse factum, *cum in beata vita constitutus præceptum perfectionis accepit:* ergo &c. III. In Quæst. N. T. q. 123. negat, Adamum Spiritum S. in sua conditione accepisse: ergo &c.

R. ad

R. ad I. dist. ant. *In animam viventem*, ideft in corpus animale vita præditum, sed natura mortale, licet non moriturum, nisi peccasset, conc.; ideft absque gratiæ donis, & rectus perfectione naturæ, neg. *In eo ergo*, ait Aug. 13. de C. D. 23., *quod scriptum est, factus est homo in animam viventem, voluit Apost. intelligi, corpus hominis animale; spiritale autem quodammodo intelligendum esse ostendit addendo: Novissimus autem Adam in spiritum vivificantem, Christum significans, qui ita resurrexit, ut mori deinceps non possit.* Apost. ergo loquitur de resurrectione mortuorum, in qua corpus, quod seminatur animale, surget spiritale. Ad II. neg. conf. Nam Aug. illud retractavit l. 1. Retract. 10. his verbis: *Nec illud Apost., Factus est primus homo in animam viventem, sicut ille voluit, intellexi.* Hinc l. 6. de Gen. ad lit. 21. opinionem de homine creato prius animali, postea spiritali impugnat, & eodem modo exponit, quo nos supra exposuimus. Ad III. R. 1., librum Quæst. N. T. non esse Aug. ex Bellarmino, Alexandro, PP. Maurinis, Caveo, & Oudino; habetur enim ibid., mundum a Deo conditum ob diaboli præsumptionem; fœminam non esse ad imaginem Dei, Melchisedech esse Spiritum S. &c. R. 2. S. Thom. in q. 95. Spiritum sanctum fuisse in Adam, non tamen ut est nunc in fidelibus, qui statim post mortem capiunt hæreditatem.

Ob. II. Gavardus. Si Adam in gratia sanctificante creatus esset, quantum ad spem attinet futuri boni, fuisset magis beatus, quam justus in statu naturæ lapsæ: sed hoc est falsum: ergo &c. II. Adversatur hæc sententia Augustino, qui l. de Corr. & gr. 10. ait: *Erat adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ut magna per Spiritum sanct. data abundantia charitatis &c.*: sed hæc abundantia est gratia habitualis: ergo hæc iis deerat. III. Ib. c. 11. habetur: *Prima gratia est, qua fit, ut habeat homo justitiam, si velit*; poterat ergo Adam eam habe-

re, ſed non habuit. IV. Ibid. ait S. P., Deum primo homini dediſſe *adjutorium*, *ſine quo non*: ſed hoc eſt gratia actualis: ergo &c. V. L. 12. de C. D. 9. *De ſanctis angelis dici poſſe*, ait, *quod caritas Dei diffuſa ſit in eis*: ergo in angelis malis diffuſa non eſt. VI. Appetiit homo Dei naturam: ergo non habuit.

R. ad I. diſt. maj. Fuiſſet magis beatus, quatenus ignarus erat futuræ miſeriæ, quam poterat ſuo arbitrio vitare, conc.; quatenus iis data ſit & poteſtas & felicitas perſeverantiæ, neg. Cum enim juſtis conferatur gratia per Chriſtum, qua & poteſtas, & felicitas perſeverantiæ donatur, quis neget eſſe in homine lapſo vividiorem ſpem, dum non lætiore, ſed potentiore gratia fulcitur? Ad II. neg. ant. Non enim ait Auguſt., angelos ſanctos per liberum arbitrium promeruiſſe Spiritum S., ſed majorem abundantiam caritatis, & plenitudinem beatitudinis, qua cadere ulterius non poſſent, & hoc certiſſime ſcirent: ergo non gratia, ſed gloria iis merces futura erat; ſi in veritate ſtetiſſent. Ad III. neg. conſ. Ibi enim S. P. diſcrimen aſſignat inter gratiam actualem Conditoris, quæ dat poſſe, & Redemptoris, quæ dat etiam velle. Ad IV. diſt. maj. Dedit adjutorium, *ſine quo non* tantum, neg.; etiam, conc. *Dederat ergo homini bonam voluntatem*, ait Aug. ib., *in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat & adjutorium ſine quo &c.* Porro illa bona voluntas, ea rectitudo eſt gratia ſanctificans. Ad V. neg. conſ. Nam, cum angeli mali a bona voluntate ſponte defecerint, non habent charitatem, habuerunt tamen ex Aug., quia ſimul ac facti ſunt, amore, cum quo facti ſunt, Deo adhæſerunt. Ad VI. neg. conſ. Nam gratia ſanctificans non efficit, quin poſſit homini irrepere ſuperba præſumptio.

CA-

CAPUT II.

De gratia actuali primi hominis.

OMNEM actualem gratiam Adæ innocenti Gregorium Arim. denegaſſe, cenſent noſtrates. Poteſt tamen Arim. intelligi de ſola gratia efficaci, qua Adamum non indiguiſſe, Bellarminus, aliique opinantur. Quidquid ſit de mente Ariminenſis, nos præter habitualem, etiam actualem Adamo gratiam collatam eſſe, non tamen prædeterminantem, contendimus. Sit ergo

PROPOSITIO I. Adam habuit etiam gratiam actualem.

Prob. I. ex Aug. in Ench. c. 106., ubi ait: *Juſtitiæ retinendæ non ſufficiebat liberum arbitrium, niſi divinum adjutorium præberetur.* Et ep. 106. ad Paul. *Natura humana, ſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam, creatore ſuo non adjuvante, ſervaret*: ergo &c. Et c. 11. de Corr. & gr. ait: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem ... dederat & adjutorium, ſine quo non poſſet permanere &c.* Ubi expreſſe bona voluntas ab auxilio *ſine quo* ſecernitur: ergo &c.

Prob. II. ratione Auguſtini. *Sicut oculus ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi luce juſtitiæ adjuvetur, recte non poteſt vivere.* II. Habitus, ut exerant actus, ſunt excitandi: ergo & habitus charitatis.

Hanc actualem gratiam Adami quidam in ſola mentis illuſtratione conſtituunt. S. P. Aug. contra Pelag. gratiam Chriſti prædicat, cui tribuitur bona voluntas, ſancta delectatio, & talis inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus. An vero Deus hanc dilectionem inſpiret præmotione indifferenti, an congrua, an efficaci ab intrinſeco, controvertitur inter catholicos. Nos poſtremam ſententiam admittimus, ita tamen, ut in hoc ſtatu etiam gratiam ſufficientem, ſeu ineſficacem, quæ

dat vincendi virtutem, sed a duris corde respuitur, admittamus. Qui ergo gratiam victricem negant, non aliud invenire possunt discrimen inter gratiam Conditoris, & Reparatoris, nisi quod illa mentem illustraret, hæc vero etiam corda inflammaret blanda delectatione. Nos vero in eo discrepantiam invenimus, quod in hoc statu gratia præmovet ad hoc, vel illud peculiare bonum, v. g. ad orandum &c., inspiratque determinatam delectationem, quæ modo effectum consequitur, & est gratia efficax, modo frustratur, & est inefficax, seu sufficiens. Auxilium ergo Adæ collatum erat illuminatio mentis, & quædam inclinatio voluntatis ad bonum in communi.

Opp. Aug. de Nat. & Gr. 51. ait, Pelagii sententiam, quæ docet possibilitatem non peccandi esse in arbitrii potestate, utcumque *acceptari posse, si loqueretur de inculpata natura:* ergo &c. R. neg. conf. Non enim sentit Aug., Pelagianam doctrinam locum habere in statu innocentiæ, sed eam tolerabiliorem esse, quam in hoc statu, in quo ratione infirmitatis & concupiscentiæ necessaria est gratia victrix.

Propositio II. Adamo ad perseverandum non opus erat gratia prædeterminante (1).

Prob.

(1) Ex libris de Corr. & gr. suam de adjutorio in statu naturæ integræ prædeterminante sententiam, non solum non everti, sed confirmari, pluribus momentis post Serrium demonstrare conatus est cl. Chignolius Prælect. 15., & 16. Part. 2. *de Gratia*, ubi Auctori nostro succenset, quod, *cum in manibus, oculisque non habere non posset authentica monumenta a doctissimo instituti sui viro literis consignata*, posthabitis inconcussis S. Thomæ principiis, ad Moliniana castra defecerit. Id vero quam præter rem Bertio, aliisque nostratibus Chignolius objiciat, ad calcem hujusce capitis

Prob. ex Aug. de Corr. & gr. 11., ubi habet: *Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt: Video aliam legem &c.*: atqui adjutorium, quod Adæ posteri implorant, est gratia efficax: ergo &c. R. adversarii, Adamum indiguisse hoc adjutorio, non ratione concupiscentiæ, sed ut actu perseveraret, & ex capite dependentiæ. Sed contra est. Nam I. S. P. Aug. gratiæ medicinali tribuit, quod potentior sit, & faciat, *ut homo velit*, cum aliud adjutorium Adæ *tale esset, quod desereret, cum vellet, non quo fieret, ut vellet*: atqui fatentur adversarii, Adamum non indiguisse gratia medicinali: ergo nec adjutorio, *quo* fieret ut vellet, indiguit. II. Aug. admisit gratiam, quæ dat etiam velle ratione infirmitatis: sed hæc in eo statu nulla erat: ergo &c. Maj. prob. ex Aug. c. 12. ejusdem lib. *Si in tanta*, inquit, *infirmitate ipsis relinqueretur voluntas sua, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet*: ergo &c. III. Aug. ibidem ait, sanctos angelos stetisse per liberum arbitrium, & beatitudinem in iis fuisse mercedem meriti, cum post lapsum utrumque sit gratiæ donum: atqui ex Augustino stare per liberum arbitrium est perseverare solo adjutorio *sine quo*: ergo hoc solum adjutorium erat Adamo innocenti necessarium. Maj. prob. ex c. 11. *Dederat adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset bonum tenere, quod vellet; sed quia noluit permanere, ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi &c.* Min. est Aug. ibid. Nam stare per liberum arbitrium non est stare sine gratia; nam si *hoc adjutorium angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuis-*

capitis planum fiet, ubi illius animadversionibus occurremus, quemadmodum pag. 166. jamdudum per nos fuerat constitutum.

defuiſſet, non utique ſua culpa cecidiſſent, adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent: ergo ſtare per lib. arbitrium eſt ſtare cum adjutorio *ſine quo*, ſeu gratia verſatili.

Dices cum Boucat: Hoc argumentum nimis probat, nam ſub gratia etiam victrici quilibet ſtat per liberum arbitrium, nec ea infert neceſſitatem. II. Adam per Auguſtinum *habuit gratiam magnam, ſed diſparem:* ergo &c. III. Trid. Syn. ait, liberum arbitrium diſſentiri poſſe: ergo &c. R. ad I. neg. ant. Licet enim ſtet ſub utraque gratia libertas, gratia tamen primi hominis erat adjutorium, *ſine quo* ſtare non poſſet, nunc autem eſt adjutorium, *quo* fit, ut velimus. Ad II. R., hanc gratiæ diſparitatem in eo ſitam eſſe per Auguſtinum, quod per illam *habeat homo juſtitiam, ſi velit; ſecunda vero plus poteſt, qua etiam fit, ut velit:* teneamus ergo hanc diſparitatem. Ad III. R. Tridentinæ Synodi canonem contra Calvinum ſtatuiſſe, liberum arbitrium non eſſe inanime quoddam, nec mere paſſive ſe habere; nos vero ſub gratia etiam victrici indifferentiam judicii, & diſſentiendi poteſtatem defendimus, licet ad reprimendam concupiſcentiam, quam Tridentina Synodus etiam agnoſcit, neceſſariam eſſe gratiam efficacem aſſeramus.

Ob. I. Hæc ſententia nova eſt, & Janſeniana, & uno, vel altero tantum Auguſtini teſtimonio de Corr. & gr. roboratur: ergo falſa eſt.

R. neg. ant. Hanc enim ſententiam ex Bellarmino tuentur Scholaſtici omnes. Quidam in eo tantum a nobis diſcrepant, quod Adæ auxilium actuale in ſola mentis illuſtratione conſtituunt, & gratiam Chriſti in ſancta caritatis inſpiratione. Nos in utroque ſtatu ſanctam delectationem admittimus, ſed diſparem, in ſtatu innocentiæ, ut poſſet homo perſeverare, ſi vellet, in hoc ſtatu, *ut velit:* nam *Adæ voluntas illuſtrabatur, ut videret, accendebatur, ut amaret*, ex Auguſtino 14. de C. D. 13. Ad II. neg. ant. Nam damnata dogmata nobis, niſi impudenter,

denter, objici non possunt, cum non dicamus cum Novatoribus, victricem delectationem trahere liberum arbitrium inevitabili necessitate, neque gratiam semper tali impulsu voluntatem impellere, ut nunquam homo dissentiat, sed gratiam inefficacem, & libertatis indifferentiam in statu naturæ lapsæ defendamus. Ad III. neg. ant. Etsi enim in lib. de Corr. & gr. magis perspicue tradidit S. P. utriusque status discrimen, in omnibus tamen operibus contra Pelagium ostendit, necessariam esse gratiam Christi etiam ad impertiendam caritatem, ut in libro de Gratia Christi, de Pecc. mer., de Sp. & lit. &c.

Ob. II. S. P. de Corr. & gr. 12. ad omnes spectare ait illud Ap. *Qui gloriatur* &c.: Atqui Adam gloriari potuisset, quod a se haberet perseverantiam: ergo &c.

R. dist. maj. Spectat omnes eodem modo, neg.; diverso modo, conc. Pertinet ad innocentem, quia habuit adjutorium, *sine quo* &c., unde si stetisset, gloriari debuisset in Domino, a quo illud accepit: spectat ad lapsum, qui a gratia habet, ut perseverare possit, & velit; quare neg. min. & cons., & retorqueo argumentum. Ut enim gloriari non possit homo, se in hoc statu habere illud robustum libertatis arbitrium, in quo conditus est primus homo, *Virtus in infirmitate perficitur: quæ virtus? nisi ut qui gloriatur in Domino glorietur?* ait Augustinus loco citato: ergo Apostoli dictum in hoc statu peculiarem vim habet, quia gratia Christi non solum dat posse, ut in Adam, sed etiam velle: adeoque non eodem modo ad utrumque statum spectat. Nam in statu innocentiæ evincitur necessitas adjutorii *sine quo*, in hoc statu adjutorii *quo*, sive gratiæ victricis; nam, si illud in hoc statu sufficeret,

ret, possset infirmus gloriari (1), se nempe habere virtutem, quam perdidit Adam.

Ob.

(1) Instat Chignolius. Si Adam actu stetisset per liberum arbitrium solo adjutorio *sine quo* sufful-tum, partim in Deo gloriari potuisset, a quo acceperat posse, partim in se ipso, *qui operam suam innata sua libertate ad standum contulisset*: imo in se potius quam in Domino gloriari debuisset, quo præstantius est stare, quam posse, quorum prius a se, posterius a gratia habuisset: ergo &c. R. neg. seq. Nam actualis Adæ perseverantia in eo casu, non ab innata illius libertate, ut perperam contendit Chignolius, sed a gratia antecedenti originalis justitiæ repetenda esset, quæ quidem non fuit in Adamo *naturalis conditio*, ut Bajus effutiit, sed *indebitum beneficium*, de quo in Deo unice gloriari debuisset. Certe si Adam conditus esset sine originali justitia, non potuisset absque efficaci adjutorio actualiter perseverare; per eam tamen liberum hominis arbitrium ita perfectum est, adeo sanum & robustum evasit, ut solo versatili adjutorio ad actu perseverandum indigeret, non adjutorio efficaci, quod implorant Ss. cum dicunt, *Sentio &c.* Si ergo Adam actu stetisset, nec partim, nec ex integro in se gloriari potuisset: non enim stetisset ex vi *innatæ suæ libertatis*, sed originalis justitiæ virtute, quæ donum Dei est, atque adjutorium, sine quo nullo modo stetisset, nihil itaque a se, totum a Deo accepisset. Nunc autem gloriari quis posset in seipso, si originali justitia destitutus, fractis viribus, & concupiscentiæ fluctibus undique jactatus id præstitisset, quod primus homo in tanta non peccandi facilitate non præstitit? Hæc si sedulo ab iis perpendantur, *qui velint non ad præjudicia animum revocare* (lubet enim cl. adversarii verbis uti) *multa ne contentione opus habent, ut clare perspiciant,* etiam

Ob. III. Angeli sancti habuere *majorem abundantiam caritatis*: sed hæc est perseverantiæ donum: ergo &c. R. neg. min. Illa enim *major abundantia* non est donum perseverantiæ, sed præmium, quod *merito permansionis* accepisse sanctos angelos, docet ib. Aug. *Angeli enim, etsi beati erant, erat tamen quod eorum adderetur beatitudini*, ait Aug. ib., *donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis acciperent, idest, ut magna per Spir. S. data abundantia caritatis cadere ulterius non possent.*

Ob. IV. cum Boucat. Adversatur hæc sententia sacris litteris. Nam Jer. 30. habetur: *Applicabo eum, & accedet ad me.* Ezech. 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & operemini.* Phil. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate;* & 1. Cor. 12., *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu S.*: atqui applicare aliquem, facere ut ambulet, ut operetur, ut velit &c. est illum efficaciter præmovere: ergo &c. R. neg. ant. Hæc enim loca de homine lapso accipienda sunt. Jeremias enim ait, *Obducam cicatricem tuam, & a vulneribus tuis sanabo te*: atqui nullum erat vulnus in statu naturæ integræ: ergo &c. Ezech. vero ait, *Auferam cor lapideum de carne vestra*: atqui primus homo in justitia creatus est: ergo &c. ad Phil. monet Apost., *Ut cum tremore salutem operemur*: atqui in eo statu non erat metus: ergo &c. Locus vero 1. Cor. 12. urget pseudo-prophetas, qui non confitentur Dominum Jesum, unde evincitur eos, qui prophetarunt de Christo, fuisse Spiritu S. afflatos, adeoque non est ad rem.

Ob. V. Aug. l. 3. de Tr. 4. ait, omnia, quæ fiunt per corporales motus, operari a Deo. II.

etiam *in statu innocentiæ* huic *Apostoli effato*, Qui gloriatur *&c. ut illud* *Aug. explicat*, satis amplum *fuisse locum?*

l. 12. de C. D. 9. ait, voluntatem, qua angeli sancti meliores facti sunt, eos non habuisse, *nisi operante adjutorio creatoris*, quod repetit Ep. 106. c. 11.: ergo &c. R. neg. conf. Deum omnia operari, & sanctis angelis bonam voluntatem inspirasse, non negamus; negamus tamen in ea perseverasse per gratiam efficacem; non enim omnis gratia præmovens est victrix, alias non daretur auxilium inefficax, ab efficaci distinctum, quod est hæreticum; hinc S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 10. ait, quod homo in primo statu accepit donum, per quod posset, non ut perseveraret reapse.

Ob. VI. Boucat. Prima motio (*a*) præcedere debet motum mobilis: ergo &c. II. Deus est prima caussa universalis: sed talis non esset, nisi operaretur & velle: ergo &c. III. Ex S. Thom. Deus caussa est, non solum voluntatis, sed etiam volendi: ergo &c. IV. Non salvatur ratio primæ caussæ per solum concursum simultaneum, qui non in caussam influit, sed in effectum. V. Omnis caussæ secundæ operatio in Deum refundenda est: ergo &c.

℟. ad I. neg. conf. Nam in nostra sententia Deus esset primum movens, præcedens motum cujusvis mobilis; etenim, præter naturam, & agendi facultatem, quam confert, etiam adjuvat, ut possint operari. Ad II. neg. min. Nam, ut ait S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 6. *Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad bonum in communi, & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle:* ergo Deus est caussa universalis, & operatur etiam velle, quatenus voluntas creata vi hujus genericæ præmotionis se se determinat per rationem ad volendum hoc, vel illud bonum, ut ibid. docet S. Thom. Ad III. neg. conf. Cum enim *sine universali motione homo non possit aliquid velle*, non solum voluntas, sed etiam *volitio* a prima caussa repe-

(a) *Ex S. Thom. l. 3. c. Gent.*

repetenda est. Ad IV. neg. conf. Nam, præter concursum, etiam præmotionem agnoscimus, generalem in statu innocentiæ, & specialem in hoc statu. Ad V. neg. conf. Constat enim, operationes nostras in Deum refundendas esse, qui voluntates nostras ad bonum vel generaliter, vel specialiter præmovet. Scio nonnullos moleste ferre, a nobis *ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur*, ait Hil. ep. ad Aug. 226., sed hoc discrimen accepimus ab ipso Augustino.

Ob. VII. idem Boucat. Habuit Adam gratiam habitualem scientiæ, ac virtutum plenitudinem, summum amorem &c.: ergo habuit gratiam præmoventem, eamque efficacissimam. R. neg. conf. Ex quo enim Adam fuerit tot gratiarum muneribus cumulatus, non indiguit ad perseverandum adjutorio efficaci. Deus enim Adamo, utpote tot donis *fortissimo, permisit facere quod vellet;* Adam enim *tale adjutorium* accepit, *quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Ait Aug. de Corr. & gr. c. 11.

APPENDIX

Ad Propositionem II. Capitis Superioris.

Ubi ostenditur, cl. Nicolai Augustini Chignolii animadversionibus in c. 11., & 12. de Corr. & gr. Augustinianam de gratia Adæ *sententiam non infirmari.*

Hæc momenta, quæ extant Præl. 15. & 16. de Gr. part. 2. alia extrinseca dici possunt, alia intrinseca; atque illa quidem ex actis authenticis celeberrimæ Congreg. de Auxiliis: hæc autem ex pluribus Augustini locis ex eodem lib. de Corr. & gr. depromptis petuntur. Sit ergo

Prop. I. ex Actis Congregationis de auxiliis osten-

ostenditur, ex Augustini locis de Corr. & gr. Augustinianam de gratia Adæ sententiam firmari potius, quam infirmari.

Prob. I. ex denunciatione disputationum, quæ in ipsa Congregatione discutiendæ erant, quam Paulus V. edixit, postquam die 26. Septembris hanc controversiam reassumpsit, quæque ex Serrio ipso l. 4. Hist. Congregationis de Auxil. c. 9. ita se habet: *Futurarum disputationum argumentum per Secretarios Congregationis Theologis denuntiari jussit die 26. Septembris: An Deus sua efficaci gratia moveat hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non solum interius suadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo, sed etiam vere, & active, proprie, salva tamen humana libertate? Et an talis efficax gratia convenienter ab aliquibus Scholasticis physica prædeterminatio dicatur?* Ex eo autem *indictæ disputationis themate* concludit Serrius, *in hoc uno stetisse controversiæ summam: num gratia ex se se, & ab intrinseco esset efficax? Alterum vero de physicæ prædeterminationis vocabulo ad gratiæ victricis energiam exprimendam usurpando, accessione tantum, ac veluti de mera quæstione nominis, modo res ipsa foret in tuto, tractatum esse. De gratia itaque per se, & ab intrinseco efficaci novies ex instituto disputatum est.*

Ex quibus evincitur, merito a sacra Congregatione statutum esse, *persistendum in sententia* de gratia seipsa efficaci, *non obstantibus ex adverso productis* (a Moliniano Theologo Ferdinando Bastida) *testimoniis S. Augustini de Corr. & gr. c. 12., quo potius firmatur conclusio explicata, quod Deus sua efficaci gratia moveat hominis voluntatem* &c. Cum enim, Serrio teste, in eo posita esset totius controversiæ summa; *Num* scilicet *gratia ex se esset, & ab intrinseco efficax?* satis liquet ex productis a Moliniano Theologo Augustini locis potius firmare hanc sententiam, quam infirmari: præsertim in Augustiniano, imo in ipso Moliniano systemate, in quo gratia

gratia Adæ innocentis non fuit prædeterminans, *sed in ejus libero relinquebatur arbitrio, quippe tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil ei ex seipso concupiscentialiter resistebat, ut digne tantæ bonitati, & bene agendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium*, ut eodem c. 11. de Corr. & gr. a Chignolio producto afferit Augustinus. Si ergo Adæ innocentis arbitrio gratia commissa est, quia *nihil ei concupiscentialiter resistebat*, quis non videt, homini lapso, in quo *caro concupiscit adversus spiritum*, validiori adjutorio opus esse, quo carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat? ut loco citato tradidit S. D. his verbis: *Nunc vero, postquam est illa magna peccati merito amissa libertas, Sanctis suis non solum dat Deus adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint, sed in eis etiam operatur, ut velint.*

Ex quibus sic arguitur: Adamo integro, ex laudatis Augustini locis, non opus fuit adjutorio efficaci, quia nullis concupiscentiæ fluctibus jactabatur: ergo homini lapso, cujus per peccatum est sauciata voluntas, & caro *concupiscentialiter resistit* &c., necessaria est gratia ab intrinseco efficax: ergo ex productis Augustini locis de Corr. & gr. Augustiniana de gratia ex sese efficaci sententia non evertitur, sed confirmatur, ut a sacra Congregatione fuit definitum. Hinc sequitur, magis premi adversarios in Augustinensium, quam in Thomistarum systemate; in eo enim ex ipsis eorum principiis, atque, ut ita dicam, gladio suo jugulantur. Quid enim huic argumento Molini ani reponant, quod cordato Theologo satisfaciat, plane non video. Coguntur enim ex productis a se Augustini lucis utriusque status discrimen agnoscere: atqui admittunt ex suis principiis in statu naturæ integræ gratiam versatilem; ergo efficacem in hoc statu gratiam ex iisdem Augu-

Auguſtini locis, velint, nolint, coguntur admittere; alias nullum omnino foret ab Auguſtino ſæpe laudatum ſtatus utriuſque diſcrimen.

Jam vero opponant Thomiſtæ, & Chignolius ſententiam ſuam de phyſica prædeterminatione in quolibet ſtatu ad quemlibet actum, ut putant, neceſſaria. Reponent Mediſtæ, hanc loco citato ab Auguſtino refelli, nec ſolum a Janſenio, quem *audacter, atque injuſte eam ab Auguſtini ſenſibus remotiſſimam* pronunciaſſe, ſcribit Chignolius, ſed a Noriſio etiam, Lupo, Bertio, a Maurinis Patribus, &c. ab Auguſtinenſibus ferme omnibus repudiari. Opponant iidem S. Thomæ doctrinam, *perpetuis* (ut Chignolii verbis utar) *ejuſdem Auguſtini principiis conſtitutam*; eam de generali præmotione, non vero de ſpeciali ac *prædeterminante*, quam nullibi, neque in ſelectis a Chignolio locis memorat S. D., commode exponi poſſe, poſt Bertium &c. reſpondere poterunt Moliniani Theologi. Cumque in utroque ſtatu gratiam prædeterminantem ex titulo dependentiæ invexerint S. Thomæ diſcipuli, ſub ſola generali præmotione perfectiſſimam hanc dependentiam ſalvari, oſtendent cum Auguſtinenſibus memorati Theologi: cogentur ergo Thomiſtæ utriuſque ſtatus diſcrimen ex duplici titulo, dependentiæ nimirum, & infirmitatis, repetere. Verum, niſi validiorem illam fuiſſe gratiam, quæ ſecundo Adam collata eſt, quam quæ primo, cum Auguſtino ejuſque diſcipulis agnoſcant, nil plane conficient contra ſolertiſſimos adverſarios. Reponent enim cum Bertio ipſo, gratiam ſive ex uno, ſive ex duplici titulo neceſſariam non majorem præſeferre efficaciam, neque id *gratiam reddere potentiorem, ſed ſolam indigentiam in ſubjecto majorem.* Quis enim vel fando audiit, potionem medicam dici *potentiorem*, eo quod in ægroto & vitam nutriat, & morbos depellat, in ſano autem afferat ſolummodo nutrimentum?

Con-

Contendent ergo adversarii, in utroque statu gratiam fuisse versatilem, sicque nullus controversiæ finis erit. Contra vero in Augustiniano systemate, nedum salvatur perfectissima dependentia caussæ secundæ a prima, sed insuper gratia, quæ non diffitentibus adversariis in Adami integri relinquebatur arbitrio, eratque versatilis ex productis Augustini locis, esse debet ab intrinseco efficax in hoc statu, in quo illa magna peccati merito est amissa libertas, & sola remansit libertas, quæ ad peccandum valet, ad bonum autem non valet, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quo fit, ut ex productis Aug. locis a Ferdinando Bastida de gratia ab intrinseco efficaci sententia, ex ipsis Medistarum, atque Augustini principiis (qui non aliam, quam versatilem gratiam ab perseverandum Adamo integro necessariam fuisse contendunt) potius firmetur, ut a Patribus Congregationis de Auxiliis sub Paulo V. celebratæ an. 1605. statutum est.

Prob. II. ex Actis 8. Congregationis ab eodem Serrio relatis, ex quibus constat, Ferdinandum Bastidam, non ut suam firmaret Molinianam sententiam, sed ut gratiam efficacem impugnaret, prout a Thomistis exponi consueverat sub physicæ prædeterminationis titulo, idest, *ut necessariam caussæ secundæ subordinationem tueantur, ut creatæ libertatis ab increata dependentiam adstruant, ut certam demum actuum liberorum cognitionem Deo vindicent*, celebres Augustini locos de Corr. & gr. produxisse, in quibus S. D., statuum distinctione constituta, in primo homine & in angelis gratiam prædeterminantem non agnovit.

Respondit quidem hisce argumentis doctissimus Lemosius; sed prætermissis, aut leviter admodum Augustini locis expensis, ad S. Thomæ auctoritatem confugit, ubi S. D. ait, hominem in hoc statu indigere Dei auxilio duplici ratione &c. Agnovit enim vir eru-

eruditus, cum productis a Bastida August. testimoniis sententiam suam *de divina motione applicante ipsum hominem ad operandum* in illo primo statu nullo modo posse consistere, unde ait, Augustinum in iis locis constituere differentiam inter hominem sanum, & lapsum, quod ille non *indigebat ad perseverandum alio auxilio dante majores vires*, iste vero *indiget auxilio dante efficaciores vires.* Ex quibus id plane conficitur, quod S. Congregatio sibi unice proposuerat, nempe necessariam esse in hoc statu gratiam per se efficacem, nec sat esse versatilem, quae solum in statu naturae integrae, ubi nulla erat pugna concupiscentiae, sufficere potuisset.

Quod vero addit Lemosius, non negare Augustinum, hominem in illo primo statu indiguisse divina motione applicante ipsum ad operandum &c., id quidem, utpote a scopo Congregationis alienum, qui erat gratiam per se efficacem in hoc statu ab Augustino propugnatam adstruere, neque Augustini testimoniis conforme, qui *divinam motionem applicantem* in statu naturae innocentis nullam agnoscit, a laud PP. probari non potuit. Reapse de tribus illis antecedentibus disputationibus in ea Congreg. discussis hoc judicium emisit Congregatio die 29. Novembr. 1605. : *Persistendum in sententia non obstantibus ex adverso productis scripturis . . . aut testimoniis S. Augustini de Corr. & gr. c. 12., quo potius firmatur conclusio explicata, quod Deus sua efficaci gratia moveat hominis voluntatem &c.* Caeterum de physica praemotione ne verbum quidem. Constat ergo, S. Congreg. nil aliud in iis disputationibus probasse, praeter ea, quae sibi proposuerat definienda, controversiam nempe de gratia ab intrinseco efficaci: proindeque aliena ab hoc scopo Lemosii argumenta consulto praetermisisse.

Opp. Chignolius. Ea Lemosii responsione ita permotos celebris conventus PP., ut decreverint, persistendum in sententia

tentia de gratia per se efficaci, non obstantibus testimoniis Augustini: ergo probavit Congregatio Lemosii doctrinam de gratia præd. in statu naturæ innocentis. R. dist. ant. Probavit, quoad aliqua, nempe quoad necessitatem gratiæ efficacis in hoc statu, qui erat scopus Congr., conc.; quoad gratiam Adæ, de qua non erat ibi controversia, neg. Solutio patet ex dictis, & ex ipso Congreg. Decreto supra relato, ubi de physica prædeterminatione altum est silentium.

Opp. II. Serrius. In Bullæ specimine extat caput 6., in quo agitur de physica præmotione; ergo & hæc in eo decreto de gratiæ efficacia comprehensa est. R. Caput illud non fuisse auctoritate PP. Congr. insertum, sed privata cujusdam Theologi auctoritate: quare in duobus originalibus illius Bullæ non extat in corpore, sed extat sejunctim, estque Armacani, unde postea desumpsit Serrius, qui illud specimini inseruit. Alienissima ergo fuit Congregatio a consecranda physica prædeterminatione, quam noverat a pluribus Scholasticorum non probari, sed rejici, neque eam necessariam existimavit ad stabiliendam doctrinam de gratia per se efficaci, quam sine ipsa optime norat salvam posse consistere.

Prob. I. Augustini loca a Chignolio deprompta ex l. de Corr. & gratia Augustinianam sententiam confirmant, non evertunt.

Pr. In iis locis Augustinus ait, Deum gratiam suam in libero hominis arbitrio reliquisse: *Datum ei fuisse adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo perseverare non posset. Tales quippe vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, ut digne tantæ facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Nunc autem postquam est illa magna amissa libertas, majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Sed ex his verbis perspicue evincitur, homini integro necessarium non

non fuiſſe auxilium prædeterminans: ergo &c.

R. Poſt Alvarez Chignolius, ex laud. Auguſt. locis inferri, quod ab iis ultro conceditur, nempe Adam ſolo adjutorio *ſine quo* ſtare potuiſſe; *ſi tamen revera perſeveraſſet, id non ſolum tribuendum adjutorio ſine quo, ſed ſpeciali adjutorio, quod liberum Adæ arbitrium ad perſeverandum determinaſſet, eique non ſolum poſſe, ſed etiam velle perſeverare contuliſſet.* Verum in hac reſponſione refellenda, quam *ad nutum* excogitatam ait cl. Bertius, quamque idem jamdiu rejecerat, nempe l. 4. c. 8., non opus eſt immorari diutius; ne enim actum agamus, omnia jura clamant. Itaque ad alia, quæ ex cit. Aug. locis inſtaurat, argumenta recta via procedamus.

Ob. I. Aug. loc. citato ait, Adamo datam eſſe *ſolam perſeverandi poſſibilitatem*, ſanctis vero *& poſſibilitatem*, *& voluntatem donari:* atqui nullibi ait S. D., Adamum, præter illud poſſibilitatis adjutorium, non alio indiguiſſe, quo fieret, ut actu perſeveraret: ergo &c. R. I. retorq. argum. Nullibi ait Aug., Adamum alio indiguiſſe adjutorio, præter adjut. *ſine quo:* ergo eo tantum indiguit ex Auguſtino. R. II. neg. min. Nam c. 11. lib. laud. ait Aug., quod Adam opus non habebat eo adjutorio, quod implorant ſancti, cum dicunt, *Video aliam legem &c.* Sed ſancti implorant adjutorium *quo*, ſeu gratiam efficacem: ergo per Aug. Adam eo adjutorio non indiguit.

Ob. II. Ideo Adam, teſte Auguſtino, non perſeveravit, quia non habuit adjutorium, quo vellet perſeverare: ergo ut vellet, & perſeveraret reapſe, indiguit adjutorio efficaci. Prob. ant. ex Aug. l. laud. c. 11.: *Fit in nobis per hanc Dei gratiam non ſolum poſſe, quod volumus, ſed etiam velle, quod poſſumus, quod non fuit in homine primo, qui, ut permaneret, egebat adjutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet:* ergo &c. R. neg. ant. Adam enim

per

per Augustin. non perseveravit reapse, quia noluit; nam actu perseverare in ejus relinquebatur arbitrio, quo sano, & originali justitia exornato plane stetisset, si voluisset, *sicut fecerunt angeli S., qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* Ad prob. neg. conf., & retorq. argum. Si enim ex Aug. loco cit., *ut permaneret, egebat homo adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset:* ergo non egebat adjutorio *quo*, seu gratia, quæ non solum dat posse, sed etiam velle.

Ob. III. Ait ib. S. D., Adam accepisse a Deo posse, non velle, *nam si habuisset, perseverasset* reapse: ergo non ad actu perseverandum censet Aug. Adamum indiguisse gratia efficaci, quæ dat etiam velle. R. neg. conf. Nam ex Aug. illud *posse* per liberum arbitrium sanum & robustum, originali justitia exornatum, & versatili adjutorio suffultum nullo negotio ad actum reduci poterat, ut de sanctis angelis dictum est. Vide not. 2. c. 2.

Ob. IV. S. P. ib. ait, Adamum, *ut in bono permaneret, præter bonam voluntatem, indiguisse adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset:* ergo &c. R. neg. conf. & retorq. argum. Ut Adam permaneret, per Aug. egebat adjutorio *sine quo:* sed hoc non est efficax & prædeterminans: ergo &c.

Ob. V. Adam per Aug. ib. *non habuit gratiam, qua nunquam vellet esse malus, non habuit velle quod posset, nam si habuisset perseverasset:* ergo &c. R. neg. conf. & retorq. argum. Adam non habuit velle &c.: ergo non habuit gratiam efficacem, quæ dat velle, sed tantum versatilem, quæ dat posse: ut autem vellet in ejus arbitrio relictum est.

Ob. VI. Aug. ib. ait: *Voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliore non perseveravit habens virtutem liberi arb., quamvis non defuturo auxilio, sine quo non posset perseverare:* ergo per Aug. Adam actu non

perseveravit, quia caruit adjutorio, *quo in illo Deus operaretur ut vellet.* R. neg. conf. Nullibi enim S. P. caussam non permansionis Adæ refundit in carentiam adjutorii *quo*, seu gratiæ efficacis, quod passim Adamo integro necessarium non fuisse deprædicat, dicens, eum *opus non habuisse adjutorio, quod implorant sancti, cum dicunt: Sentio &c.*: sed ubique refundit in liberum arbitrium, quod in tanta non peccandi facilitate deseruit, & desertus est, cum stare nullo negotio potuisset: sicuti *per idem liberum arbitrium steterunt angeli sancti &c.* Scopus ergo responsionis Aug. ibi est, opponere adjutorio Adami efficaciam adjutorii, *quo subventum est infirmitati voluntatis humanæ*, quo factum est *ut voluntas hominis invalida perseveraret per virtutem Dei, cum voluntas hominis* fortis, & sana non perseveraverit habens virtutem lib. arb. versatili adjutorio *sine quo* suffulta, per quod actu stare utique potuisset, sicut steterunt reapse angeli sancti. Cæterum efficaci adjutorio *quo* Adamum ad perseverandum indiguisse, ex laud. Augustini libris de Corr. & gratia neque Chignolius, nec Serrius, nec ullus Thomistarum hactenus demonstravit.

Ob. VII. Si Adam efficaci adjutorio non indiguisset, habuisset a seipso quod optimum est, nempe ipsum velle, & perseverare reapse, a Deo autem solum posse: ergo &c. R. neg. ant. Licet enim velle perseverare in Adæ relinqueretur arbitrio, cum tamen arbitrium ipsum sanum & robustum, originali justitia donatum, una cum gratia versatili a Deo solo receperit, non a seipso, recte dicitur, non solum posse, sed ipsum velle, quod *optimum est*, & actualem ejus perseverantiam, magnum donum futurum fuisse *descendens a Patre luminum.* Vid. not. pag. 416., & not. 2. c. 2.

Sunt alia quædam in auctore laud., quæ tamen vel quia a cl. Bertio in antecessum fuere soluta, vel ex laud. cap. de Corr.

Corr. & gratia, cujus loca cum sententia nostra concilianda suscepimus, deprompta non sunt, consulto omisimus. Hæc tamen proferre duximus, *ut veri amatores intelligant, in laudatis Augustini testimoniis* satis superque esse, unde Augustinenses *suam possint opinionem substentare*, quidquid in contrarium post Serrium aliosque doctissimos S. Thomæ discipulos novissime scripserit cl. Chignolius, cujus tamen exquisitissimas lucubrationes theologicas plurimi facimus.

CAPUT III.

De primi hominis immortalitate.

IMMORTALITATEM primi hominis non gratiæ beneficium, sed naturalem conditionem fuisse Bajus effutiit. Sit itaque

PROPOSITIO. Adam ex gratia, non natura fuit immortalis.

Prob. I. ex Augustino l. 6. de Gen. ad lit. 20. *Aliud est enim non posse mori, aliud est posse non mori; secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ*: ergo &c. Prob. II. ratione. Cum corpus humanum elementis compactum esset, ne dissolveretur, conservari debuit sine ulla pugna: sed hoc supernaturaliter fit ex Augustino, *si corpus animale est, utique mortale*, unde Adæ immortalitatem comparat cum vestimentis Israelitarum in deserto, quæ supernaturaliter a corruptione servata sunt, dicens, eum *de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem* habuisse.

Quæres I. An hæc virtus ligni vitæ esset naturalis?

R. Calmet, aliique, affirmative. Deus enim ejecit Adam de paradiso, *ne de ligno vitæ comedat, & vivat in æternum*, ex Gen. 3. Verum cum satis esset lignum vitæ ea virtute expoliare, non opus erat e paradiso Adamum ejicere. Quare respondent

dent alii Scholaſtici, quibus præivit Auguſtinus, negative; nam hic *ſtatus de ligno vitæ mirabili Dei gratia præſtabatur*, ait S. D. 13. de C. D. 20. Cum enim immortalitas primi hominis ſit donum ſupernaturale, non poterat ſola naturali vi cibi perenniter conſervari. II. Auguſtinus occultam illam ſalubritatem ex ligno vitæ repetit, *non ſicut ex alio cibo*, qui corpus naturali virtute alimenti reficiebat: ergo &c. III. Cibos paradiſi fuiſſe corporeos, conſtat ex Aug., qui l. 4. contra Julianum 14. ait, ſe ſentire cum iis, qui illud Geneſ. 1. *Creſcite* &c. *ſecundum ſexum corporalem intelligunt; ita etiam quod ſequitur: Ecce dedi omne lignum vobis in eſcam, non aliter accipiunt, niſi quia ille uterque ſexus his alimentis corporaliter utebatur, licet modo quodam immortali.* Accedit ratio. Ea verba *Creſcite* &c. ſunt proprie accipienda: ergo & ſequentia, *Ecce dedi vobis univerſa ligna, ut ſint vobis in eſcam.*

Quæres II. An Adam perennem vitam conſecuturus eſſet, ſi de ligno vitæ ſemel comediſſet? Quidam cum S. Thoma opinantur, virtutem ligni vitæ fuiſſe finitam, atque a corruptione ad tempus præſervaſſe, quo elapſo, aut homo in vitam ſpiritalem translatus eſſet, aut de ligno vitæ iterum debuiſſet comedere. Ex quo non ſequitur, ejus virtutem naturalem fuiſſe, ut Eſtio viſum eſt; nam etiam virtus Sacramentorum eorum uſu quodammodo inſtauratur, illorum tamen virtutem nemo dixerit eſſe naturalem.

Opp. Immortalitas naturaliter appetitur, imo exigit anima perpetuam cum corpore vitam, alioquin deſiderio compartis ſuæ torqueretur: ergo non eſt ſupernaturalis. R. neg. conſ. Quamvis enim rationalis anima vitam naturaliter appetat, eam tamen abſque ſupernaturalibus auxiliis aſſequi non poteſt: hanc autem eſſe hominis conditionem, & quidem perfectiorem, quam ſit natura quælibet irrationalis, theologi docent. Vide Auctorem.

CA-

CAPUT IV.

De libertate primi hominis.

LIBERUM arbitrium est voluntas ipsa rationalis substantiæ, quæ pro lubitu suo, quod ei a ratione proponitur, eligere potest, vel rejicere. Constituitur ergo libertas voluntate, & ratione, non tamen ex æquo: sed voluntas est ipsa potestas, quæ potest in utramque partem inclinari: ratio autem vis intelligendi, qua voluntati objectum proponitur, & sine qua non potest libere in bonum propendere. Ut enim, ait S. P., *nemo amare potest incognitum* (unde propensio, qua quis natura fertur in bonum absque ductu rationis, non potest opus voluntatis appellari, alioquin etiam bruta essent arbitrio prædita), ita neque in sola ratione liberum arbitrium consistere potest. *Nemo enim*, ait S. P. de Sp. & lit. 34., *in potestate habet, quod ei veniat in mentem, sed consentire, & dissentire proprie voluntatis est.* Cum ergo ratio motum voluntatis præcedat, in illius judicio *radicem* liberi arbitrii statuunt theologi, unde ad bonum in communi, & ad Deum visum in se non datur indifferentia judicii, nec vera libertas, quæ est potestas ad utrumque.

Nota, voluntatem appellari liberam tripliciter: a necessitate, a peccato, a miseria. Dicitur libera a necessitate suapte natura, unde quidquid ex necessitate agitur, dici nequit opus arbitrii. Errant proinde Novatores, qui libertatem putant cum indeclinabili necessitate consistere. Itaque libertatis essentia sita est in potestate eligendi hæc vel illa media relate ad debitum finem, unde a S. Thoma definitur, *Vis electiva mediorum, servato ordine finis:* quod ergo voluntas possit ad malum flecti, id non est essentia libertatis, sed creaturæ defectibilis conditio, cujus liberum arbitrium a S. P. Augustino definitur: *Media vis, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Hanc libertatem habuit

habuit per Auguſtinum primus homo, qui *potuit non peccare, non mori* &c.

Eadem a neceſſitate libertas etiam in hoc infirmitatis ſtatu perſeverat, cum hoc diſcrimine, quod in prima conditione arbitrium erat liberum a *neceſſitate, & a peccato,* homo enim creatus eſt ſine vitio, & cum originali juſtitia; nunc autem eſt ſervus peccati, niſi gratia liberetur. Cum ergo ait S. P. diſputans adverſus Pelagianos, *amiſſam peccati merito libertatem*, non de libertate a neceſſitate accipiendus eſt; hæc enim etiam poſt Adæ prævaricationem in hominibus perſeverat, ſed de libertate a lege peccati, & concupiſcentiæ. Nam l. 1. ad Bonif. 2. non abſolute libertatem periiſſe ſcribit, ſed illam magnam, *quæ fuit in paradiſo:* & l. de Grat. & Arb. 15. ait, *Semper eſt in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona. Gratia vero Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit malæ.* Quare S. P. non negat in hoc ſtatu libertatem indifferentiæ, ſed libertatem a peccato; de illa enim lis nunquam fuit cum Pelagio; ſed de libertate expedita a prava cupiditate, quam in hoc ſtatu Pelagius admiſit. Perperam ergo Auguſtini patrocinio gloriantur Novatores, vel ut arbitrii hoſtem eum ſugillavit Phereponus.

Liberamur ergo a peccato per gratiam, non a *miſeria*, cum in juſtis remaneat concupiſcentia ad luctam, & mors ſtipendium peccati; a quibus erit penitus liber, qui a ſummo bono viſo facie ad faciem ad illud rapietur, non ſolum reddita primæva libertate, ſed illa etiam, qua Deo fruens non poterit amplius ſervire peccatis. *Prima etiam libertas erat poſſe non peccare, noviſſima erit multo major non poſſe peccare.* ait S. P. de Corr. & gr. 12. ubi non loquitur S. P. de libertate indifferentiæ, quæ ad meritum requiritur, ſed de libertate *a miſeria. Triplex enim eſt libertas, a neceſſitate, a peccato, a miſeria: primam contulit nobis Deus in* conditione naturæ,

naturæ, & omnibus communis est; *secunda in pristinam restauramur a gratia*, & hæc justis convenit; *tertia reservatur in patria*, & datur electis. Ita Bernardus de gr. & arb.

Arbitrium primo modo acceptum quidam in quodam habitu a ratione diverso male constituunt. Habitus enim ad unum specie actum inclinat, e. g. ad caritatem &c., at arbitrium ad plures etiam oppositos ferri potest. Nec satis apte dicitur *actus*, cum maneat voluntas libera, tametsi nihil agat. Definiri ergo potest liberum arbitrium: *Facultas rationalis creaturæ agendi, & non agendi, prout lubet, positis omnibus ad actionem requisitis.*

Porro cum ejusdem potentiæ sit velle, & eligere, liberum arbitrium a voluntate non distinguitur: unde voluntas est liberæ operationis principium efficiens ex Aug. 3. de libero arb. 1., ubi motum culpabilem esse in voluntate libere, non necessario movente, demonstrat exemplo lapidis, qui deorsum fertur, *Quia sicut iste, motus, proprius est lapidis, sic ille animi; veruntamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, animus vero, dum non vult, non ita movetur, & ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius. Nisi enim esset voluntarius, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus, cum ad inferiora detorquet, quasi cardinem voluntatis.* Motus ergo liber erit, ubi sit in voluntate potestas illum cohibendi; nam Augustinus voluntarium pro libero usurpavit. Verum ad evitanda Novatorum sophismata, inter voluntarium, & liberum, sive inter libertatem voluntatis, & arbitrii, distinguendum est; illa enim *coactioni*, hæc necessitati opponitur.

Cum voluntas non feratur ad incognita, etiam ratio, & judicium ad voluntarium, & liberum requiruntur, unde libertate carent bruta. Eadem docet S. Thom. 1. p. q. 82. dicens: *Intellectus ex necessitate inhæret primis principiis, & voluntas ultimo fini.*

Sunt quædam intelligibilia, quæ non habent necessariam connexionem ad prima principia, sicut contingentes propositiones, & talibus non ex necessitate assentit. Quædam propositiones sunt necessariæ, & his intellectus ex necessitate assentit, non autem ex necessitate antequam hujusmodi necessitatem conclusionis per demonstrationem cognoscat. Similiter ex parte voluntatis. Sunt enim quædam particularia bona, quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, & hujusmodi voluntas non de necessitate inhæret: sunt quædam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus homo Deo inhæret, sed antequam per certitudinem divinæ visionis necessitas hujusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhæret, nec his quæ Dei sunt, sed voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhæret Deo, sicut nunc ex necessitate volumus esse beati. Hactenus S. Thom.

Cum autem arbitrium conflatum dicimus, ex ratione & voluntate, unum ab alio non discerpimus. Nam humana mens intellectus dicitur & voluntas, prout vult, aut apprehendit, & tamen illum necessariam facultatem dicimus, hanc indifferentem ex diversa terminorum connotatione. Mens enim, prout recipit rerum imagines, ratio dicitur & intellectus, prout eligit, voluntas vocatur: ergo vox ista *intellectus* significat animam, ejusque operationem, quæ est verum cognoscere. Hæc autem *voluntas* eandem animam significat, & illius virtutem aut actum eligendi bonum. *Sensus* animam denotat, ejusque ordinem ad sensibilia, quæ omnia præstat una & eadem mens.

CAPUT V.

De propagatione status innocentiæ.

HANC in statu innocentiæ negarunt Damascenus, Nyssenus, Chrysost., & aliquando Augustinus,

nus, qui l. 1. de Genes. c. 19. ait, nuptias filiis sæculi tantum convenire. Hæc tamen retractat S. P. 1. Retr. 13., ubi ait, *Cognationes & affinitates futuras, etiamsi nullus delinqueret, nullusque moreretur.*

Propositio. Fuisset in statu innocentiæ per copulam conjugalem filiorum propagatio.

Prob. I. scripturis. Gen. 1. habetur: *Masculum. & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini &c.* ergo fœcunditas est benedictio primæ hominum institutioni conveniens, non a peccato superinducta. *Quisquis enim dicit non fuisse coituros, nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem sanctorum necessarium hominis fuisse peccatum?* ait S. P. 14. de C. D. 23. II. Mulier Gen. 2. vocatur viri *adjutorium, propter filios procreandos*, ait S. P. de Gen. ad lit. 3. III. Adam adhuc innocens ait Gen. 2., *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ &c.*, ex quibus probat Christus Matth. 14. matrimonium esse indissolubile: fuissent ergo in prima conditione connubia. Ita S. P. 4. de C. D. 22. IV. Genes. 5. legitur: *Non est bonum esse hominem solum: atqui viro culpæ auctor est mulier*, ait S. P. contra Jul. l. 2. 7.: *Ergo nonnisi generandi causa mulier est instituta, & quia ex viro solo non poterat esse humani generis propagatio, pronuntiavit Dominus, non esse bonum esse hominem solum.* Ex quibus constat, conjugium ad propagationem prolis fuisse primitus institutum.

Opp. Primi parentes ante culpam procreandis liberis operam non dedere: ergo &c. II. Aut proles infantilibus membris exorta esset, aut ætate integra: sed si primum, fuisset miserrima; si secundum, quomodo eam caperet, vel emitteret uterus muliebris? III. Generatio libidine perficitur, & seminis abscissione: sed illa pœna peccati est, hæc mortalitatis indicium, unde Luc. 20. solis filiis hujus sæculi res uxoria dicitur convenire: ergo &c.

R. ad I. dist. ant. Operam non dedere, vel quia

mox

mox creata muliere facta est illa transgressio, unde tempus defuit, vel *quia nondum Deus jusserat, ut coirent*, conc.; secus, neg. *Cur enim ad hanc rem non divina expectaretur auctoritas, ubi nulla concupiscentia carnis urgebat? Ideo autem non jusserat Deus, quia eorum casum præsciebat, unde mortale genus esset propagandum.* Ita S. P. 9. de Gen. ad lit. 3., ubi de peculiari mandato exponendus est S. D., quo protoparentes jure nobiliori, quam belluæ suo obedirent auctori. Ad II. neg. sequelam min. *Poterat enim omnipotentia creatoris mox editos grandes protinus facere, sicut, quamvis exigua sit costa, non tamen Deus parvulam viro conjugem fecit. Poterat etiam, quod multis pecoribus præstitit, quorum pulli etiam minutissimi currunt, nec sugendis uberibus cura, & ope admoventur aliena*, idipsum Adæ filiis in eo statu præstare, ut ait S. P. de Pec. mer. Ad III. R. dist. maj. In hoc statu, conc.; in statu innocentiæ, neg. *Cur enim non creditis*, ait S. P. 4. contra Jul. 5., *hominibus in paradiso constitutis ante peccatum divinitus potuisse concedi, ut sine ulla libidine filios procrearent, aut libido talis esset, cujus motus nec præcederet, nec excederet voluntatem?* Eadem habet 14. de C. D. 24., & 26.

DISSERTATIO III.

De Adæ transgressione, pœna, ac resipiscentia.

AGEMUS hoc loco I. De mandato Dei, de tentatione serpentis, & de hominis transgressione. II. De pœnis ejus inobedientiæ. III. De Adami resipiscentia & salute.

CAPUT I.

De mandato Dei, tentatione serpentis, & Adæ culpa.

PRÆCEPERAT Dominus Adamo & uxori, ne de ligno scientiæ boni & mali comederent, facta copia

copia arporum cæterarum. Serpens mulierem decepit, mulier virum, hic nos etiam in cumulum miseriarum dejecit.

PROPOSITIO I. Æqua fuit lex Adæ lata de ligno non comedendo.

Prob. ratione Aug. Postulat enim ratio æquitatis, ut creatura suo auctori subjiciatur, eique pareat: atqui Deus levissimo illo mandato, *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas*, se esse Dominum commonebat, ut ait S. P. 14. de C. D. 15. &c.: ergo &c. II. Cum maximum sit obedientiæ bonum, sapientissime constituit Deus, ut aliquo præcepto suam exerceret obedientiam: ergo &c. Ita S. P. 2. de Pec. mer. 21.

Quæres, cujusnam speciei fuerit arbor scientiæ boni, & mali? R. incertum esse. Nam, quod traditur in Alkorano, fuisse triticum septem spicarum, falsum est; ex Genesi enim *Quod lignum esset non est dubitandum*, ait S. P. 8. de Gen. ad lit. 6. Inverisimilis etiam videtur opinio Theodoreti, qui ex illo Gen. 3., *consuerunt folia ficus*, putat fuisse ficum, unde iidem fructum, & folia collegerint. Quis enim sibi persuadeat, ad illam exitialem plantam eos denuo accessisse?

Ob. Videtur lex nimis rigida tam levi culpæ tantam pœnam irrogare: ergo &c. R. neg. ant. Nam Adæ culpa fuit gravissima. I. Ex maxima non peccandi facilitate, & natura integra. II. Ex magna inobedientiæ pœna. III. Quia in illa lege omnia legis præcepta continebantur, ut ostendit Tertullianus contra Jud. 2.

PROPOSITIO II. Suasor primi peccati fuit diabolus, usus vero serpente tanquam organo, aut instrumento.

Prob. I. Scripturis. Gen. 3. habetur, *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus*, ubi Hebræus habet, נחש, *nachasc*, genus quoddam reptilium. Deinde huic vocabulo præfigitur ה, *he*, quæ

quæ hic neque articuli, neque pronominis, neque interrogationis nota eſt: ergo ſignificationis propriæ & literalis. Poſtremo comparatur ibidem ſerpens cum aliis animantibus terræ: ergo eſt terrenum animal. In colubro autem latuiſſe diabolum, conſtat ex Sapientiæ 2. *Invidia diaboli mors introivit in mundum.* Et Apoc. 12. dicitur *ſerpens antiquus.* Quomodo enim animal ratione carens mulierem alloqui potuiſſet, ac tanta vafritie illam ad exitium impellere? Hinc patet, quantum a vero aberraverint Ophitæ, ita dicti, quia ſerpentem ſpiritum Dei bonum eſſe opinati ſunt, & per eum viſum, mulieris cognitionem, nuptias, & alia bona in nos derivaſſe. Sed quomodo ſpiritus bonus culpam, & mortem intuliſſet? Nuptiæ autem ante ſuggeſtionem ſerpentis erant inſtitutæ. Aperti ſunt autem oculi poſt culpam, non quod antea non viderent; nam lignum viderunt, quod *eſſet ſpecioſum oculis ad videndum, ſed quia nihil, unde confunderentur, in membris ſenſerant, quæ videbant,* ait S. P. l. 1. de Nupt. 5.

Ob. cum Aben-Ezra. A naturali ſerpente Evam fuiſſe tentatam, conſtat ex 3. Geneſ., *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes:* atqui Satanas nec ventre graditur, nec veſcitur pulvere: ergo ſerpens ille non erat Satanas. Alii hoc argumento probant, ſerpentem illum Satanam fuiſſe. Nam ſerpenti repere eſt a natura: ſed ſerpenti illi in pœnam datum eſt repere &c.: ergo non fuit verus ſerpens. Confirmatur. I. enim Gen. 2. dicitur *callidus,* a Hieronymo *nequam, & verſipellis,* in pluribus codicibus *ſapientiſſimus:* ſed hæc vero ſerpenti non conveniunt: ergo &c. II. Inveriſimile eſt Deum cum irrationali ſerpente locutum, & in eum tot probra ac maledicta invexiſſe: ergo &c. III. Satanas in animal formæ venuſtioris eſſet ingreſſus, ne mulier paveret: ergo &c.

R. ad I. neg. maj. Nam præfata ſententia ad diabolum ſpectat. Hinc S. P. l. 11. ſupra Gen. 36. ait,

Tota

Tota ista sententia figurata est. Scio viros doctos reponere, esse historicam narrationem: verum & nos literaliter omnia explicabimus, ita tamen, ut conditiones serpentis, ad quas fit allusio, sint veluti cortex parabolæ, & maledictio cadat in diabolum, qui sub anguis exuviis seducta Eva, pœna etiam in naturalibus serpentum proprietatibus expressa multandus erat. Nam & calcaneo insidiatur diabolus per sensuum illusiones, & pugnas cum eodem describit Apostolus Eph. 6. Illa ergo sententia diabolum appellat spiritaliter puniendum supplicio expresso in proprietatibus inditis naturæ serpentis: sicut colloquium fallax, & tentatio fuerat solius diaboli, reapse tamen per lubricum animal tortuosis anfractibus mobile, ut ait S. P. 14. de C. D. 11.

Ad argumenta, quæ contendunt, diabolum verum serpentem non assumpsisse, R. Ad I. dist. min. Non conveniunt proprie, conc.; metaphorice, nego. Serpens enim prudentiæ laude commendatur, ut columba ob simplicitatem; unde Christus discipulos monet, ut sint *prudentes sicut serpentes*, & *simplices sicut columbæ.* Ad II. neg. ant. Nam Deus etiam rebus inanimatis imperat in summæ auctoritatis testimonium. Deinde ea reprehensio ad seductorem spiritum principaliter directa erat. Assumpsit vero Satanas corpus serpentis, ut *per naturam serpentis significaretur generi hominum omnis diabolicæ tentationis similitudo*, ut ait ibidem S. P. A. Ad III. neg. ant. Eva enim non timuit, non quia tunc temporis animalia loquebantur, ut ait Jos. 1. Ant. 2., sed quia timere non debuit, ubi cuncta ejus nutui subjiciebantur, ait Chrysostomus hom. 60. in. Gen. Nec mirata est ex S. Thoma putans, serpentem loquelam supernaturaliter accepisse: sed nil vetat, si dicamus, Evam tam novæ rei eventu fuisse miratam, ut scribit Jans. in Gen.

Propositio III. Evæ, & Adæ peccatum plura alia complectitur, sed omnium radix est superbia.

Prob.

Prob. I. pars. Eva enim fuit *ſuperba*, Dei ſcientiam affectans: *inobediens*, Dei mandatum tranſgreſſa: *curioſa*, fructum contemplans: *impœnitens*, malitiam propriam excuſans: *ſcandaloſa*, virum perdens: ſed præſertim eam tentavit Satanas 1. infidelitate, ne crederet ſe morituram, 2. cibi aviditate, ut de ligno vetito comederet, 3. inani gloria, cum ait: *Eritis ſicut dii*. Adam vero peccavit etiam amore inordinato in mulierem, eo iniquior, quo ſapientior, & fortior. Prob. ſecunda pars. Eccli. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*. Aug. 14. de C. D. 13. *Malæ voluntatis initium, quid potuit eſſe, niſi ſuperbia?* Primo ergo præceſſit ſerpentis interrogatio, inde timoris expulſio, poſtea ſuggeſtio, & divinitatis promiſſio, tum mulier cœpit Dei ſimilitudinem appetere, ſuperbire, averti a Deo, in pœnam præſumptionis decipi, fructum comedere, exhibere marito. Ita conciliantur Patres, quorum aliqui primum peccatum infidelitatem, alii inobedientiam, alii inanem gloriam putant. Nam infidelitas in ſermone ſerpentis, inobedientia in eſu fructus, ſuperbia radix omnium malorum eſt. Adam vero appetens & ipſe divinam ſapientiam, neve uxorem contriſtaret, fructum, quem porrigebat, comedit, magis deceptus benevolentia mulieris, quam fraude ſerpentis.

CAPUT II.

De pœnis tranſgreſſionis Adæ.

NOT. Adami culpam innumeræ calamitates ſubſequutæ ſunt. Primo enim æterna morte mulctatus eſt, a qua nonniſi Dei gratia eſt liberatus. II. Cupiditatibus noxiis abreptus eſt. III. Hinc pudor, & verecundia una cum lege peccati, de qua Ap. Rom. 7. IV. Corpus etiam miſeriis plurimis afflictum eſt, fame, ſiti, exilio &c. Nos quatuor præcipue numerabimus: Mortem Ignorantiam, Concupiſcentiam, & Pudorem.

§. I.

§. I. *De Morte.*

Not. Faustus Socinus, non solum hominem natura mortalem fuisse contendit, quod etiam Catholici asserunt, verum nec in ipsa creatione tali gratia donatum, qua posset a morte immunis servari: ad eum itaque revincendum notandum est ex Augustino l. 6. de Gen. ad l. 20., aliud esse *non posse mori*, aliud *posse non mori*, aliam esse immortalitatem naturalem, quæ solis spiritibus convenit, aliam, quæ est beneficium creatoris, & potest etiam rei corporeæ concedi, sublato supernaturaliter corruptionis defectu, ut eveniet post generalem corporum resurrectionem. Deinde discrimen est inter mortale, mortuum, & moriturum. Mortale est, quod mori potest, mortuum, quod vita caret, moriturum, quod mori debet. Potest autem corpus mortale esse, licet non sit moriturum; non recte ergo distinguit Socinus inter mortale, & immortale, quod illud sit morti subjectum, non istud; quod enim morti subjicitur, non est mortale tantum, sed moriturum.

Propositio. Mors est pœna peccati.

De fide est, & a Palæstina, Carthaginensi, & Tridentina Synodo definita. Et prob. scripturis I. Gen. 2. ait Dominus Adamo: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas; in quacunque die comederis, morte morieris.* Hebræus & Itala habent *moriendo morieris*, quæ reduplicatio mortem Adamo inevitabilem pronuntiat. Vertit Targum, *eris reus mortis*, Symmachus & Hier. & Græcus, *mortalis eris*, Vatablus, *morti eris obnoxius*: ergo ex consensione Hebræorum, Latinorum, Græcorum, atque Syrorum, cum primum Adam peccavit, se se obstrinxit moriendi necessitate: ergo poterat ante non mori. De morte animæ, & corporis exponit verba illa Aug. 13. de C. D. 12. sed de corporea morte præcipue accipienda esse constat; nam Deus hominem puniens ait: *Terra es,* &

& in terram ibis, quod, nisi de morte corporis, quomodo intelligi possit ignoro, ait S. P. 1. de Pecc. mer. 3. Deinde pœnam ibi Deus comminatur: atqui mors animæ est culpa: ergo &c. Alioquin verba illa, *qua die comederis, morte morieris*, hunc sensum redderent, *cum peccabis, peccabis*. Ex quibus sic arguitur. Ex Gen. 2. constat, Adamum mortalem esse factum, quia mandatum Dei fregit: ergo non fuisset morti obnoxius, si legem servasset.

R. Socinus, ex Gen. 2. solum evinci, hominem morti subjectum esse, prout hæc naturæ humanæ erat consentanea; nam Gen. 3. Adamo peccatori dixit Deus: *In sudore vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es &c.* Deinde cum mortem alicui minamur, non de morte naturali, quæ vitari non potest, sed de violenta intelligimus: ergo hoc etiam sensu locus Gen. 2. intelligi debet.

Sed nugæ istæ sunt; excurrit enim Socinus de 2. ad 3. caput Gen. In 2. autem Deum mortem minitari, supra probatum est. & Socinus ea verba, *morte morieris*, significare *certissime morieris*, ex hebraica phrasi fatetur: & hominem ante lapsum, licet natura mortalem, non tamen necessario morti obnoxium esse pronunciat: ergo moriendi necessitas pœna est, ut sterilitas terræ &c., quæ extant c. 3. Licet itaque humanæ naturæ consentanea sit dissolutio (erat enim homo immortalis, non natura, sed gratia) cum tamen plantaverit Deus in paradiso lignum vitæ, tribuens *stabilitatem contra vetustatem*, ut ait Aug., quod tam mirabili cibo homo privatus sit, pœna peccati est, non naturalis conditio. Neque de violenta morte cit. locus Gen. 2. exponi potest; non enim Adamo dictum est, morieris veneno, aut laqueo, quod ei non accidit, sed *morte morieris*, idest *certissime morieris*.

II. Sap. 1. 13. legitur: *Deus mortem non fecit; & c. 2. Creavit Deus hominem inexterminabilem: invidia*

invidia autem diaboli mors introivit in orbem : ergo &c.

Inst. Socinus, I. Sapientiæ librum non esse canonicum. II. loc. cit. loqui de morte violenta; nam c. 5. hortatur ad evitandam mortem, quam *impii manibus, & verbis accersierunt:* atqui mors naturalis vitari non potest: ergo &c. Sequenti c. Sapientiam loqui de impiis, qui exemplo diaboli mortem aliis inferunt, constat ex seq., *imitantur autem illum &c.* R. ad I. neg. ant. Nam Sapientiæ librum ut canonicum habent Carthaginensis, & Trid. Syn., Innocentius, & Gelasius, eumque laudant *etiam temporibus Apostolorum egregii tractatores;* ex Augustino de Præd. SS. 14. Ad II. R. retorq. argum. Qui enim necem corporalem proximo machinantur, diabolum imitantur, qui occidit hominem a Deo creatum integrum, & incorruptum: atqui diabolum non imitarentur, nisi ille mortem homini intulisset, qui a Deo *inexterminabilis* creatus est: ergo mors Adæ non fuit naturæ conditio, sed pœna peccati, diaboli fraude commissi. Nec homo *inexterminabilis* a Deo dicitur ob animi incorruptionem, quam significat græcum vocabulum ἀφθαρσία; nam ex comparatione supradicta liquet, etiam in corpore hominem a Deo *inexterminabilem* conditum: cum diabolus non solum animæ, sed etiam corpori Adami necem intulerit, & Græcum vocabulum ἀφθαρσία, *non minus pro integritate, quam pro immortalitate usurpari,* fatetur Socinus.

III. Rom. 8. ait Ap. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Hinc S. P. de Pecc. m. 4.: *Corpus,* inquit, *mortuum est, non propter fragilitatem terrenam, quia de pulvere factum est, sed propter peccatum.* Nec est cur dicas, S. P. Adæ corpus ante peccatum dixisse *mortale;* nam mortale appellat, quatenus mori poterat, non quatenus

morti foret obnoxium, aut moriturum, *nisi propter peccatum.*

IV. Idem Ap. Rom. 5. ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors:* & 1. Cor. 15. 21. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum &c.* Atqui S. P., non de animæ, sed de corporis morte hunc locum intelligi probat, *Quia de resurrectione corporis agebatur, quæ morti corporis est contraria*, ait S. D. 1. de Pecc. mer. 8. : ergo mors corporis Adæ culpa intravit in mundum.

R. Socinus, Apost. non loqui de naturali morte, I. Quia Adami corpus appellat *animale*, idest vile & infirmum: ergo ante culpam fuit morti obnoxium. II. Ait Apost., corpus nostrum, utpote terrenum, esse destruendum: sed etiam *primus homo erat de terra terrenus*, ex eodem Apostolo: ergo &c. III. Ap. opponit corpus animale genitum ex Adam corpori spiritali vivificato per Christum, sed hoc est immortale: ergo & illud est immortale. Sed errat; nam licet corpus Adam *animale fuisse dubium non sit*, ut ait S. P. 13. de C. D. 23., *sed ligno vitæ a mortis necessitate prohibebatur, nequaquam moriturum, nisi delinquendo corruisset.* Ad II. R., destruendum corpus corruptibile, ut resurgat in gloria, quia imaginem terreni hominis propagatione induimus, & corpus *mortuum est propter peccatum*: ergo veluti semen mori debet, ut reviviscat. Quia vero resurget, *ut mori deinceps non possit*, erit spiritale per oppositionem ad corpus Adami, quod mori poterat.

Opp. cum Pelagio. Verba illa Gen. 2., *Quacumque die comederis, morte morieris*, de morte animæ accipienda sunt; nam ea die Adam non obiit, sed vixit an. 930.: ergo &c. II. Neque illud 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur &c.* de morte corporis exponi potest, cum non omnes per Christum vivificentur: atqui morti corporis quisque subjicitur: ergo &c. III. Mortem naturalem fuisse

in

in Adamo, constat ex elementorum pugna, unde ejus corpus conflatum erat: ergo &c. IV. Poterat ejus corpus fulmine, aquis &c. interire: ergo &c.

R. ad I. Sententiam illam ad animam & corpus referri posse; sed ad corpus præcipue spectare dictum est supra. Ad prob. R., mortem statim post culpam cœpisse in homines debacchari, tum ob quotidianæ corruptionis defectum, qui ex Greg. M. *est quædam prolixitas mortis;* tum quia prolata sententia reus, qui in carcerem truditur, *jam in mortuis degit*, ait Chrys. in Gen. Ad II. R. Apost. sensum esse, quod, *sicut nemo corpore animali nisi in Adam moritur, ita nemo corpore spiritali vivificatur, nisi per Christum.* Deinde agit ibi Ap. de corporum resurrectione, quæ opponitur corporis morti, ut patet ex sequentibus, *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum:* atqui omnes, etiam impii, resurgent corporaliter: ergo &c. Ad III. R., lignum vitæ elementorum pugnam potuisse compescere, quod Dei virtus præstitit in corporibus Eliæ & Enoch. Ad IV. R. S. P., quod Adam, & Eva sicut interiori gratia a *perturbationibus animi præservabantur*, ita exteriori protectione *nullis corporum lædebantur incommodis.* Vide Aug. 14. de C. D. 10.

§. II. *De ignorantia.*

Not. Quamvis scientiæ plenitudinem primus homo in sua conditione non habuerit, illuminatus tamen fuit, ut sapienter vivere posset, neque *diabolus eum cœpisset, nisi jam ille sibi placere cœpisset*, ait S. P. 14. de C. D. 13. Errabant ergo Pelagiani, qui ignorantiam naturalem esse dicebant, non pœnam peccati. Sit itaque

Propositio. Ignorantia est pœna peccati.

Prob. ex Aug. 3. de lib. arb. 18., Retr. 1. 9., contra Jul. 6. 16., & alibi. I. Ignorantia malum est, & plurium malorum caussa: ergo est pœna peccati. II. Ignorantia, ut concupiscentia, gratia Christi sa-

natur: ergo *ignorantia*, *&* *infirmitas vitia ſunt*, ait S. P. 2. de Don. Perſ. 17.: ut enim *innoteſcat, quod latebat*, *&* *ſuave fiat*, *quod non delectabat, gratiæ Dei eſt*, *quæ hominum adjuvat voluntates.* Prob. II. ratione. Adam ſimplici nomine animantium naturam expreſſit, ut ex Hebræorum lingua notum eſt: atqui nemo id nunc præſtaret poſt longum ſtudium: ergo ignorantia & difficultas eſt pœna peccati.

Opp. Adam & Eva a ſerpente ſeducti ſunt: ergo, antequam caderent, ignorantia laborarunt. R. diſt. ant. Seducti ſunt, poſtquam divinitatem affectarunt, conc.; ante culpam, neg. Non enim ſeducti eſſent, *niſi jam ineſſet menti amor propriæ poteſtatis*, *&* *quædam de ſe ſuperba præſumptio*, ait S. P. 11. de Gen. ad l. 14. *Præceſſerat* ergo, ex Aug. 14. de C. D. 13., *illud malum in abdito*, *ut ſequeretur hoc in aperto.* Cenſet tamen S. P. A., Adamum non fuiſſe deceptum a ſerpente, ſed peccaſſe ſociali neceſſitudine, ut Aaron & Salomon; nam 1. ad Tim. 2. habetur, *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta fuit.* Non negat tamen Aug., Adamum etiam erroris laqueo implicatum fuiſſe; ait enim: *Et eum fefellit, quomodo fuerat judicandum.*

§. III. *De concupiſcentia.*

Not. I. Concupiſcentiæ nomen apud profanos, ſacroſque ſcriptores eſt bonarum æque, ac malarum rerum appetitus; habetur enim Pſ. 83. *Concupiſcit anima mea in atria Domini*, & Jabobi 1. *Concupiſcentia parit peccatum.* Nunc vero de ea agimus, qua *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, quæque per Aug. omnes complectitur cupiditates, iram, avaritiam &c. Peculiariter tamen libidinem illam ſignificat, *qua obſcenæ corporis partes excitantur.*

Not. II. Concupiſcentiam *viventis*, *&* *ſentientis animæ* eſſe, non tamen ipſum animæ ſenſum. *Non enim*

enim sensus est morbus, ait S. P. contra Jul. 14., *sed ille sensus est, quo nos morbum habere sentimus.* In quolibet animi sensu distinguenda est sentiendi vivacitas, utilitas, necessitas, & libido, ut ostendit S. P. contra Julianum, qui hæc confundebat. Quod probat ex illo Virgilii: *Postquam exempta fames, & amor compressus edendi:* ubi fames, hoc est cibi necessitas, ab edendi amore, idest ventris ingluvie, distinguitur. Ex quibus constat, concupiscentiam non esse appetitum sensitivum, aut rationalem dumtaxat, sed inordinatum, sive impetum animi, aut sensus ad turpia & immoderata trahentem. *Motibus enim suis, quos habet anima secundum spiritum, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum carnem, & ideo dicitur. Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*, ait S. P. 6. contra Jul. 14.

Not. III. Motum istum non esse concupiscentiam, sed ejus actum, qui ex prava illa affectione exoritur, quæ idcirco *morbida qualitas* a Gregorio Arim. dicta est, quia vim habet morbi inferendi, ut morbidum pecus dicitur, quod corrumpit ovile, quo etiam nomine appellat S. P., 11. de Gen. ad l. 32., *concupiscentiam, morbidam & mortiferam qualitatem, seu malæ qualitatis affectionem.* Hæc autem non est mala substantia, neque a malo principio producta, ut Manichæi opinabantur. Malum enim nonnisi deficientia a bono est: includit tamen aliquid positivum, idest impetum animi aut sensus, & aliquid privativum, nempe esse motum non rectum, & moderatum: hinc patet, cur titillet & inclinet ad malum, licet non sit qualitas positiva; quia ut moveat & afficiat, habet a vivacitate, & natura sensus, vel animi; ut afficiat inhoneste, habet a vitio, & privatione ordinis. Sicut cursus hominis est a vi nativa animalis, claudicatio a defectu membrorum. Quare, si homo non esset infirmus, & caro spiritui obsequeretur, nulla inesset homini effrænis li-

bido, quam concupiscentiam dicimus. Vid. August. 14. de C. D. 24.

Propositio. Concupiscentia est naturæ vulnus, & pœna peccati.

De fide est, ex Tridentino Sess. 5. can. 5., & prob. I. scripturis. Jo. Ep. 1. c. 2. *Concupiscentia carnis &c. non est ex Patre, sed ex mundo est.* Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Gal. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum &c.* Jac. 1. *Concupiscentia parit peccatum.* Ex quibus sic arguit S. P. contra Pelag., qui concupiscentiam ut bonam laudabant, quamvis luxuriam damnarent, quæ ab ipsa concupiscentia exoritur: *Ab hac concupiscentia*, ait S. P. 17. contra Jul. 13., *diligenda prohibemur, quando a luxuria prohibemur: atqui hæc, quam diligere prohibemur, non est a Patre: ergo hæc concupiscentia, quam laudas, non est a Patre.* II. *Duo bona, quæ a Patre sunt, inter se pugnare non possunt, pugnant autem inter se continentia, & concupiscentia:* ergo concupiscentia mala est, cum pugnet cum castitate, quæ ex sacris litteris bona est. Ita S. P. ibid. III. Concupiscentia ex scripturis ad malum inclinat: ergo est natura sua malum & pœna. *Quis enim est ita insanus, & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam, etiamsi peccata concipere, & parere non sinatur?* Ita S. P. l. 6.

Ob. I. Concupiscentia ad prolis generationem requiritur, eaque etiam in brutis absque culpa reperitur: ergo mala non est. II. In statu innocentiæ fuisset propagatio: ergo & concupiscentia. III. Nuptiæ damnandæ non sunt: ergo nec concupiscentia. IV. Est naturalis appetitus concupiscentia: ergo in eo damnandus, ut in cibo & potu, solus excessus. V. Etiam pœna bona est: ergo & concupiscentia, quæ est pœna. VI. Concupivit Eva vetitum fructum: ergo fuit ante culpam concupiscentia.

R. ad

R. ad I. neg. conſ. In brutis enim libido mala non eſt, *quia non repugnat rationi, qua carent.* Addit S. D., *animam* habere *aſininam*, qui libidinem *negat in homine pœnam eſſe*, cum ſit natura pecoris. Ad II. neg. conſ. Tunc enim aut nulla fuiſſet libido, aut ita ſubdita voluntati, ut abſque noxia cupiditate homo uteretur genitalibus membris, ut modo movet pro lubitu manus & pedes. Ad III. neg. conſ., & retorqueo argumentum. Nuptiæ enim, fatente Juliano, ſunt concupiſcentiæ remedium; ſequitur ergo illam eſſe *languorem, & morbum*, ait S. P. 3. contra Julianum 15. Ad IV. diſt. ant. Eſt appetitus ordinatus, neg.; inordinatus, & proinde malus, conc. Ad V. neg. conſ. Mors enim, & cæcitas reſpectu Dei punientis bona ſunt, at reſpectu hominis peccatoris ſunt mala pœnæ, non culpæ. Ad VI. neg. conſ. Præceſſit enim in Eva mala voluntas, qua diabolo credidit, ut dictum eſt.

§. IV. *De pudore nuditatis.*

Not. Joannes Phereponus impudenter negavit, e pudore nuditatis evinci libidinem malam eſſe, quod etiam exemplo gentium probare nititur, quæ in Africa nudæ incedunt. Sit itaque

Propositio. Pudor nuditatis libidinem & concupiſcentiam malam eſſe invicte demonſtrat.

Prob. Scripturis. Nam Gen. 2. habetur de Adam & Eva ante lapſum: *Erat autem uterque nudus, & non erubeſcebant.* Poſt lapſum vero habetur c. 3. *Cum cognoviſſent ſe eſſe nudos, fecerunt ſibi perizomata. Non quod eis ſua nuditas eſſet incognita*, ait S. P. 14. de C. D. 17., *ſed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat.* Hinc S. P. ex pudore nuditatis, atque ex eo quod actus voluptuoſi palam non fiant, evincit, libidinem malam eſſe ibidem, & l. 2. de Nupt. 4. contra Julianum 4. & l. 5. 2., ubi Julianum redarguit, quod *perizomata* veſtimenta ſignificare

nificare affirmaverit, cum ex Græco, & Hebræo constet, illa esse subligacula quædam, aut lumbaria, ut docent interpretes.

Ob. I. Phereponus in c. 13. l. 13. de C. D. Aut motus nullus in Eva fuit, aut non apparens: ergo &c. II. Gentes in Africa, & America nudæ incedunt: ergo eas non pudet. III. Si quis pudor in Adamo, aut Eva fuit, id contigit propter liberorum respectum, ne aut genitalia membra contrectarent, aut iis citius abuterentur: ergo &c. IV. Conjugati palam abstinent: & nuditati consulunt, ne leges conjugiorum violentur.

R. Ad I. S. P. l. 5. contra Julianum 2. *Adam*, inquit, *& mulier ejus, qui nudi erant ante peccatum, & non confundebantur, mox ut peccarunt, quas partes corporis amicierunt, perizomatum nomine expressum est.* Verba igitur Gen. de nuditate corporis accipienda sunt, & de velamine pudendorum, quorum motu sentitur perversa libido: atque hæc est omnium fere interpretum expositio, qui non adversantur, qui docent, Evam & Adam oculos mentis aperuisse ad discernendum inter bonum, & malum, quia cum novissent, se nudatos gratia illa, qua prius vestiebantur, *extitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde esset indecens nuditas, & fecit attentos, reddiditque confusos.* Ad II. R. Gentes nonnullas ex morum feritate & barbarie omnem, nedum pudorem, sed etiam humanitatem exuisse, quo fit, ut carnes humanas vorent, natos ac parentes immaniter cædant &c., quæ si laudanda sint, erit etiam libido laudanda. Ad III., & IV. neg. ant. Nam protoparentes fecerunt sibi perizomata, cum nec filii essent, qui contrectarent pudenda, nec alienæ mulieres, quibus Adam committeretur. Non alia ergo de caussa *opus conjugatorum subtrahitur etiam oculis filiorum, nisi quia non possunt esse in commixtione sine puden-*

pudenda libidine. Idem dicendum de adoleſcentibus, & puellis, quæ nuda membra contegunt.

Quæres, quid fuerint tunicæ pelliceæ, quas Deus fecit primis parentibus? R. I. Origenes, aliique, has tunicas figurate accipiendas pro ipſo mortali corpore ob prævaricationem præteritam interitu conficiendo; non enim decebat, Deum lanium fieri, mactare animalia, & pellium ſutorem eſſe, præſertim cum bina cujuſque ſpeciei animalia condiderit ad propagationem. Hanc Origenis ſententiam probat etiam S. P. 2. de Gen. contra Manichæos.

R. II. Alii, & melius: Deum veras Adamo & Evæ ex pellibus conſutas feciſſe tunicas; nam in Hebræo habetur כתנות עור *Catnod-hor*, veſtimenta ex pelle beſtiis detracta. Non enim ſine cauſſa a literali ſenſu recedendum eſt: nec obſtat S. P. interpretatio, quippe 11. de Gen. ad lit. 39. ait, *hoc ſignificationis gratia factum eſt, ſed tamen factum.* Ad rationem reſpondent veteres Rabbini, fuiſſe animalium ſpolia: alii pilos & lanam: alii productas ex nihilo: alii denique miniſterio angelorum aſſutas. Nos vero putamus, aut plura quam bina in ſingulas ſpecies animalia fuiſſe producta, aut ex iis aliqua fœminas gravidare potuiſſe, antequam mactarentur.

APPENDIX AD CAPUT PRÆCEDENS.

Mortem, ignorantiam, concupiſcentiam &c. non eſſe naturam inſtituti hominis, ſed peccati ſtipendia, ſuperiori cap. monſtratum eſt. Hinc oritur quæſtio inter Theologos, an ſaltem poſſibilis ſit ſtatus *puræ naturæ,* in quo præter naturales proprietates, nec gratia ulla, nec vitium eſſet naturæ ſuperadditum, ea tamen haberet naturales defectus, qui ex animæ, aut corporis conſtitutione proficiſcuntur, & fami, ſiti, morti, aliiſque languoribus, ex elementorum

pugna

pugna orituris, eſſet obnoxia? Affirmant plures Thomiſtæ, nec non Tournelius &c. Negant Noriſius, Bellelli, aliique noſtrates, quos laudat cl. Auctor Diſſ. 2. Syſt. Vind. Sit itaque

Prop. I. Sententia, quæ impugnat ſtatum puræ naturæ, Auguſtini principiis ſubnixa eſt.

Prob. I. ex appetitu ingenito videndi Deum, quem in qualibet creatura rationali agnoſcit S. P. Auguſt. l. 1. Conf. 7. ſcribens, *Inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Unde ſic arguitur: in ſtatu puræ naturæ non poſſet anima aſſequi viſionem Dei, cujus imago eſt, adeoque pœna maxima afficeretur: ſed ſub Deo juſto pœna ſine culpa eſſe nequit: ergo &c. Hinc S. D. Pelagianos refellens, qui ajebant, parvulos non renatos ſine ulla gratia, aut vitio progenitos excludi a regno cælorum, ait: *Quæro, qua cauſſa innocens imago Dei vitæ privatione punietur, ſi nullum peccatum ex humana propagatione contraxit?* Sed in hypotheſi ſtatus puræ naturæ homo creatus ad imaginem Dei nulla culpa excluderetur a regno Dei, ſicque Auguſtini argumenta contra Pelagianos omnino evaneſcerent: ergo &c. R. Tournelius, S. D. ibi Pelagianos impetere ſuppoſita hominis elevatione ad finem ſupernaturalem: ſed plane decipitur. I. enim nullibi meminit S. D. hujuſcemodi hypotheſis. II. Nimis imperitum ſe ſe prodidiſſet in hac controverſia, id ſupponendo, in quo totus difficultatis cardo verſabatur. III. Auguſtini argumentum petitur ex ipſa natura imaginis, quæ creaturæ rationali in quavis hypotheſi ineſſe debuit: ergo &c.

R. II. alii, creaturam rationalem fide & gratia deſtitutam, non appetere intuitivam Dei viſionem, ſed beatitudinem in communi; licet ergo Dei eſſet imago, pœnam magnam non pateretur ex ea privatione, quia Dei viſionem non appeteret appetitu naturali, elicito, & efficaci, ſed tantum inefficaci, qui fertur aliquando in bonum indebitum,

tum, & impoſſibile, ut ſemper vivere in hoc mortali corpore &c. Verum ex hac reſponſione potius confirmatur noſtra ſententia; docet enim S. P. ib., omnes naturaliter appetere beatitudinem, ſed abſque fide, quæ nobis viſionem Dei pollicetur, non poſſe in eam ferri hominis appetitum, qui naturali inſtinctu trahitur ad beatitudinem in communi: ergo, cum Pelagiani faterentur, nobis vitam æternam promitti, recte S. D. ab excluſione Dei imaginis a vita æterna probat in parvulis originale peccatum. Adeoque amor creaturæ rationalis fertur in Dei viſionem hujus revelatione ſuppoſita. Hinc l. 13. Conf. c. 9. ait, nos deſiderio accendi, *quoniam jucundati ſumus in his, quæ dicta ſunt nobis: In domum Domini ibimus.*

Prob. II. ex rebelli concupiſcentia, quam S. D. l. 11. de Gen. ad lit. *morbidam, & mortiferam qualitatem appellat,* eamque per ſe malam eſſe, tum ex vehementi pugna, qua rationem aggreditur, tum ex pudore, quo ejus cauſſa ſuffundimur, ex Auguſtino ſupra moſtratum eſt: atqui hujus concupiſcentiæ Deus auctor eſſe non poteſt; alias cuncta, quæ fecerat, non eſſent valde bona; neque Manichæi revinci poſſent, qui ex ea adſtruebant ſempiternum mali principium: nec potior eſt ratio, cur Deus hominem producere nequeat cum pravo vitiorum habitu, poſſit autem cum libidine omnium ſcelerum ſeminario: ergo &c.

R. Tournelius. I. Concupiſcentiam malam eſſe per accidens, ex hominis infirmitate; ut enim a Deo eſt, ſolum appetitum & propenſionem importat ad bonum ſenſibile. II. Eam eſſe malum phyſicum, non morale; non enim nocet, niſi ei præbeamus aſſenſum. III. Eam ſupereſſe etiam in renatis, in quibus ex Tridentino nihil remanet damnationis: ergo &c.

Sed hæc mera ſunt effugia. Vel enim appetitus ille rationi ſubjicitur, vel non: ſi primum, non erit concupiſcentia; hæc enim ex Apoſtolo repu-

gnat

gnat legi mentis; si secundum, en rebellio, en pugna, en vitium. *Malum est enim, ut inferiora superioribus reluctentur; id enim est contra rationem*, ut observat Bellarminus l. 6. de Amiss. gr. 14. Deinde, ut inferior pars rationi subjiciatur, gratia Dei opus est: ergo &c. Alteram responsionem refellit S. D. l. 6. contra Jul. 16., ubi ait: *Hac ergo concupiscentia carnis nunquam concupiscitur hominis ullum bonum, si voluntas carnis non est hominis bonum, ac per hoc mala est concupiscentia, nisi ab illicita voluptate frænetur.* Tertia responsio non est ad rem; in renatis enim nihil remanet damnationis, quia propter concupiscentiam nemo damnatur, nisi ejus motibus præbeat assensum, imo meretur, si eos auxilio gratiæ refrænet. Unde Trid. Syn., teste Pallavicino, Tappero&c., solum damnavit hæreticos docentes, concupiscentiam esse vere & proprie peccatum, non languorem a peccato contractum: ergo concupiscentia in se & absolute mala est, non tamen proprie peccatum, ut censuit Bajus, cujus prop. 71. ea de re merito proscripta est. Hinc Estius fatetur, in puris naturalibus nullam fore concupiscentiam, nisi forte ad nutum rationis, quæque voluntatem nec præcederet, nec excederet, ut ait S. P. l. 4. contra Jul. 2., non vehementem illam, quam nunc experimur, & est pœna peccati.

Prob. III. ex morte, aliisque ærumnis, quibus afficimur. Has enim pœnas esse peccati, ex Aug. evincitur. Nam lib. contra Jul. c. ultim. ait: *Quid restat, nisi ut caussa istorum malorum sit aut iniquitas, aut impotentia Dei, aut pœna peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat, quod grave jugum super filios Adam non fuisset, nisi delicti meritum præcessisset.* Et l. 1. Op. imp. *Nullo modo sub cura omnipotentis & justi* (Dei) *tam magna miseria naturæ irrogaretur humanæ, si in hanc infelicitatem peccati merito pelleretur:* sed in hypothesi puræ naturæ creatura rationalis

lis absque ulla culpa morte, aliisque calamitatibus afficeretur: ergo &c.

R. Tournelius: in hac hypothesi miserias illas fore naturæ primordia, non pœnam peccati. Sed fallitur; nam S. D. lib. 16. Op. imp. n. 39. expresse ait, Adamum non moriturum, nisi peccasset; sic enim scribit: *Numquid moriturus fuerat Adam, etiamsi non peccasset, quia in corpore animali erat factus? Prorsus erras. JUSTUM ERAT, ut imago Dei nullo fuscata, & obsoleta peccato tali inséreretur corpori, quamvis de terrena materia creato, ut ei de ligno vitæ subministrata vivendi stabilitas permaneret.* Ex quibus constat, non solum *ex præsenti rerum ordine*, *sed etiam ex hypothesi possibili*, nempe, *si Adam non peccasset*, non fuisse moriturum. Non quod *immortalitas primi hominis naturalis* fuerit, atque *ex naturæ principiis*, *nec gratiæ beneficium*, ut Bajus commentus est; sed quia creans Deus hominem spiritalem simul & corporeum, congruum erat, ut divina providentia ei supra exigentiam corporeæ naturæ tribueret immortalitatem, atque incorruptionem, ne spiritalis anima a corpore soluta inani hujus desiderio angeretur; nam a corpore divulsa est in statu quodam violento, & propriæ naturæ contrario: ergo &c.

Prop. II. Sententia, quæ impugnat statum puræ naturæ, cum proscriptis Bajanis articulis nihil affinitatis habet.

Not. Totam doctrinam circa naturalem primi hominis conditionem, erroresque omnes, qui inde fluunt, hac unica propositione includi: *Impossibilis est status puræ naturæ*, eamque in Bajo, & Quesnellio proscriptam esse, nimis confidenter, ne dicam audacter, pronunciat anonymus auctor *Bajanismi redivivi* n. 9. a. 3., qua in re quantum a veritate aberraverit, pluribus ostendit cl. Auctor in suo System. Vind. diss. 2. c. 1. Quamvis enim, admisso erroneo damnatoque Baji principio, non negemus, inde

inde sequi *impossibilem esse statum puræ naturæ*, non tamen inde conficitur, cum Bajo sentire eos, qui non erroneis, sed catholicis, probatisque ex Augustino principiis statum illum impugnant: quemadmodum, nonnisi injuria, cum Pelagio sentire quis pronunciaret Molinianos Theologos, qui non proscriptis Pelagianorum principiis, sed aliis ab Ecclesia non improbatis gratiam ab intrinseco efficacem, quam rejiciebat etiam Pelagius, impugnarent. His prænotatis

Prob. I. Theologi Augustinenses, qui statum impugnant puræ naturæ, quique affirmant, non potuisse a Deo condi *naturam integram omni supernaturali auxilio expoliatam*, non id repetunt cum Bajo ex parte ipsius naturæ, quasi gratia foret ejus pars, aut proprietas; vel eadem gratia a conditione naturæ, tamquam ab efficiente principio manaret; vel denique gratia spectaret ad naturæ constitutionem, & esset naturæ proportionata, ut Bajus somniavit; sed, ut creatura rationalis ad imaginem Dei condita, & supernæ beatitudinis capax, ad hanc, quam promereri, & comparare non poterat naturæ & arbitrii viribus, posset supernaturalibus gratiarum auxiliis naturæ ipsi superadditis, Deo juvante, pervenire: sed hæc sententia toto cælo distat a proscripto Bajano dogmate, ut per se notum est: ergo &c.

Confirmatur ex collatione utriusque sententiæ. Bajus enim asseruit, dona primo homini collata fuisse ordinis naturalis, nos autem supernaturalia fuisse censemus. Bajus negavit, justitiam originalem Adami, ejusque exaltationem, sanctificationem, immortalitatem &c. fuisse dona naturæ superaddita, sed hæc omnia humanæ conditioni debita fuisse docuit, naturæ partes, ex ea promanantia, eique proportionata: cum ex adverso Augustinenses propugnent, eandem *integritatem*, *sanctitatem immortalitatem &c.* fuisse Dei largitate naturæ superaddita, hujusque ordinem,

nem, partes, principia intrinseca, constitutionemque superasse. Verbo dicam: Bajus de natura integra pronunciavit, quod Pelagius de natura post lapsum, denegans supernaturalium auxiliorum necessitatem. Nos autem, ex quo gratia indiguerit primus homo, potiori jure dicimus, necessariam esse post lapsum. Vid. Diss. 2. System. Vind. Cap. 1. §. 5.

Prop. III. Momenta, quibus Augustinenses statum impugnant puræ naturæ, ab illustrioribus Theologis, aut propugnantur, aut a proscripto Bajano errore declarantur immunia.

Prob. I. Momentum I. petitur ex ingenito appetitu videndi Deum: sed hunc appetitum ingenitum propugnarunt ex vetustioribus Scholasticis Scotus, Durandus, Major, Paludanus, Richardus de Mediavilla &c. Post damnationem articulorum Baji, illum tuentur universi Scotistæ cum Mastrio, & Macedo ostendentes, ex illo appetitu non sequi, ipsam visionem, *quoad substantiam, esse naturalem*, ut Bajus commentus est. Ex Thomistis illum propugnant Soto, Ferrariensis, Nyphus, Corradus &c. Ex inclyta S. J. Molina, Suarez, Bellarminus, Recupitus, & P. Segneri. Ex Augustinensibus, post Norisium, & Bellellium, ad unum omnes: ergo &c. Vide Syst. Vindic. Diss. 2. c. 1.

Prob. II. Alterum momentum petitur ex rebelli concupiscentia, quam *per se malam esse, & vitium humanæ naturæ ex primo peccato derivatum, nec illam esse passionem naturalem hominis*, sed, licet peccatum non sit, *esse tamen habitum vitiosum ad malum inclinantem*, pluribus demonstravit Norisius c. 3. Vind. §. 2. auctoritate Fulgentii, Prosperi, Pomerii: eamque sententiam a pluribus Scholasticorum fuisse propugnatam, & præsertim ab Aureolo, Ariminensi, a Macedo, & ab ipsis S. J. Theologis præclarissimis Bellarmino, Elizalda, de Esparza, Bigotio &c. asseruit. Et in Parallelo, atque ad Germanitatem 4., & 5. ex sententia Macedi ostendit, concupiscen-

piſcentiam *nec indifferentem* eſſe poſſe, cum ex ſe ſe ad peccandum inclinet. In eandem Noriſii ſententiam pedibus ivere alii Auguſtinenſes Theologi La-Foſſe, Clenaertius, Schveitzerus, Caſalius, Piette, qui etiam obſervat, eidem adhæſiſſe præſtantiſſimos Trid. Syn. Theologos Ruardum Tapperum, & Jodocum Raveſtein. Ex Gallis Theologis nobiſcum ſentiunt Contenſonius, du Hamel, l' Herminier, & ipſe Petavius. Nec aliud docuit S. Thomas, Soto, aliique Thomiſtæ. Et licet ex iis Gonetus affirmet, potuiſſe hominem a Deo condi cum effræni concupiſcentia, & cum moriendi neceſſitate, ingenue tamen fatetur, non demonſtrari ſententiam ſuam ex damnatione Bajanorum articulorum. Idem cenſuit Eſtius, & Macedo, qui ea de re plura producit ex Vaſqueſio, Turriano, Meratio, Hauzerio &c.: ergo &c. Vide ut ſupra.

III. Momentum petitur ex morte, aliiſque ærumnis, quibus affligimur; has enim pœnas eſſe peccati, non ſolum Noriſius, aliique Noſtrates communiter docent, ſed ex ipſa etiam inclyta S. J. Vir. cl. Joannes Garnerius diſſ. 5. de Libellis fidei editis a Pelagianis ſententiam oppoſitam Cæleſtio adſcribit, & Pelagianis; obſervat enim, Rufinum Pelagianum *mediam quandam inire viam inter Auguſtinum opinantem, primos parentes ab initio donandos immortalitate, qua ſpoliandi forent, ſi peccarent; & Cæleſtium exiſtimantem, eos, ſive peccaſſent, ſive non peccaſſent, morituros: ſentit enim, mortales factos, ſed ſi non peccaſſent, in ſedem immortalitatis transferendos. Quæ ſententia placuit multis Patribus, & arrepta eſt a Pelagianorum nonnullis, contra quos Aug. diſputat, nec immerito, cum inde ſequatur, mortem non eſſe peccati pœnam.* Et Sirmondus profert ea de re verba Theophyli Alex. l. 2. ad Autol. *Nec natura mortalis factus eſt, nec immortalis; immortalem quippe ſi feciſſet, Deum feciſſet, ſi mortalem, mortis ejus auctor videretur.* Neque aliud ſentit S. Thomas l. 4. contra Gent. c. 79., &

& 81. Idipſum nos quoque docuimus cap. ſuperiori §. I.: ergo &c. Vid. Syſt. Vind. loc. cit.

Ob. I. Propoſitiones 26., 55., 78., & 79., aliaſque in Bajo, aut Queſnellio proſcriptas. R. Auguſtinianam ſententiam, quæ ſtatum impugnat *puræ naturæ*, catholicis Aug.,& cl. Theologorum, non proſcriptis Baji principiis ſubnixam, nihil omnino cum Bajano dogmate affinitatis habere, ut Prob. II., & III. ſupra moſtratum eſt.

Ob II. S. P. A. l. 1. Retr. 9. ait: *Quamvis ignorantia, & difficultas eſſent homini primordia naturalia, non culpandus, ſed laudandus eſſet Deus:* ergo &c. R. neg. conſ. Ibi enim S. D. Manichæos ad hominem, & ex eorum principiis refellit. Admittebant enim ſupremam cauſſam mali effectricem, quod ex concupiſcentia, ignorantia, & difficultate ſuadere volebant, cum tamen eas, non peccati pœnas, ſed naturæ primordia eſſe dicerent, ſine quibus creari non poſſet homo ex mente conſtans & corpore: optime ergo in ea Manichæorum hypotheſi arguit S. D., hæc omnia non Deo malo, ſed bono eſſe tribuenda, qui ea de re non culpandus eſſet, ſed laudandus: cum ea, in Manichæorum ſententia, non vitia eſſent, ſed naturæ primordia, quæ nec crimini verterentur hominibus, nec eis gratia deeſſet, qua facile vinci poſſent. Non arguit itaque S. D. in hypotheſi *puræ naturæ*, in qua gratia non habet locum, ſed in alia longe diverſa, in qua una cum difficultate & ignorantia gratia ad eam vincendam neceſſaria ſupponitur.

Inſt. Macedo. Aug. l. 3. de lib. Arb. c. 20. ait: *Si anima altera eſſe cœpit ante peccatum, qualis poſt vitam culpabilem facta eſt, non parvum bonum habet, unde creatori ſuo gratias agat. Non enim mediocria bona ſunt, non ſolum quod anima eſt, ſed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante creatore ſeipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes capere virtutes, per quas & a difficultate cruciante & ab ignorantia cæcante liberetur:* ergo datur concupiſcentia, quæ non eſt pœnalis,

nalis, nec ad peccatum inclinat.

R. neg. conſ. Loquitur enim ibi S. D. *de difficultate cruciante &c.*, de ea nempe ignorantia ac libidine, qua *altera* anima efficeretur poſt vitam culpabilem: atqui S. D. utraſque eſſe ſuapte natura vitioſas affirmat ſuperiori cap. 18. dicens: *Sunt revera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehoneſtat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro veris, non poſſe a libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœnæ damnati*: ergo &c. In falſa autem Manichæorum hypotheſi cum hæc pœna non eſſent, ſed naturæ primordia, adhuc laudandus eſſet Deus; quia poteſtatem haberet homo, ut adjuvante creatore omnes virtutes acquireret, & ex ipſa naturali ignorantia, & difficultate adjutorio gratiæ proficeret.

Inſt. II. S. P. ib. ait: *Non parum eſt accepiſſe naturale judicium, quo ſapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc, non naſcendo, ſed ſtudendo perveniat*: ergo per ea verba *adjuvante creatore*, S. D. non agnoſcit gratiam ordinis ſupernaturalis.

R. neg. conſ. Cum enim S. D. ex hac *ignorantia cæcante &c.* gratiæ efficacis neceſſitatem adverſus Pelagianos ubique repetat, nuſquam aſſerere potuit, eas abſq. ſupernaturali gratia vinci poſſe. Non meminit autem gratiæ ſupernaturalis, eo quod ibi non de gratia contra Pelagianos, ſed de natura mali contra Manichæos diſceptabat. Quare opponentibus Pelagianis, quod in lib. de lib. Arb. concupiſcentiam, & ignorantiam naturæ inditas propugnaſſet, reſpondit l. de Don. Perſ. 11., ac 12., ſe ibi diſputaſſe contra Manichæos, *qui non recipiunt ſcripturas V. Teſt., in quibus peccatum originale narratur.* Cæterum revera ignorantiam, & difficultatem pertinere ad miſeriam juſtæ damnationis, *nec ab iſto malo quemquam liberari, niſi Dei gratia*: ergo in ſtatu puræ naturæ, in quo eſſet hæc

hæc eadem ignorantia &c., non posset homo per solum rationis lumen proficere, aut *hanc ignorantiam & difficultatem* evincere: cum constet ex Augustino, nec Adam nulla carnis pugna tentatum potuisse sine gratia in accepta perseverare justitia. Idem docet S. Th. in Comp. Theol. cap. 186.

Ob. III. S. P. l. 3. de Arb. 23. ait, *Non esse metuendum, ne vita esse potuerit media inter recte factum & peccatum, & sententia judicis media esse non possit &c.*: ergo &c. II. Et in Ps. 70. ait, *Quis diceret, quid fecisti? si damnaret justum?* ergo &c. III. Item. l. 12. de C. D. 9., 8. Conf. 3., & alibi docet, immortalitatem, & alia dona Adæ collata ex gratia fuisse, & sine illis Adamum condi potuisse: ergo &c.

R. ad I. neg. conf. Nam in eo statu creatura rationalis vel Deum auctorem naturæ diligeret, vel non: si hoc, supplicio digna esset: si illud, præmio; non esset ergo in statu puræ naturæ media illa vita, de qua in argumento. Refellit itaque S. D. Manichæos ex falsa eorum hypothesi; cum enim opponerent Manichæi, nullum fore in extremo judicio parvulis locum, neque inter justos, cum nil recte gesserint, neque inter iniquos, cum nil peccaverint, sic eos ad hominem perstringit S. D. Potest per vos vita esse media inter recte factum, & peccatum; cur ergo non poterit media esse sententia judicis? Sed de hoc argumento agemus lib. seq., ubi de pœnis Parv.

Ad II. R. I. ibidem legendum esse *injustum*, ut ex msf. optimæ notæ PP. Maurini adnotarunt. Reapse n. 15. in consimili sententia pro *injustum* legitur *iniquos*. R. II. dist. ant. Si damnaret supposita Adæ culpa, ob quam aliquibus justis denegatur donum finalis perseverantiæ tanquam indebitum beneficium, conc.; non supposita culpa, subd. Spectata absoluta Dei potentia, per quam creatura etiam innocens a Deo pendet, qui est Dominus vitæ, & necis, conc.; de potentia ordinata, prout est summe bonus, justus, & sibi, non creaturæ debet, ut eam a morte, & mise-

miseriis eripiat, neg. Vid. not. cap. 7. lib. 2. pag. 82. Ad III. neg. conf. Constat enim ex Prop. II., in Augustiniana sententia immortalitatem,&alia dona Adæ collata, non fuisse naturæ proprietates, sed ex Dei largitate naturæ superaddita, quamvis ex *decentia* quadam, ut censet Norisius, sive, ut aliis placet, ex *rectissima providentia* erga hominem ad Dei imaginem factum, aliquo modo debita dici possint.

Ob. IV. Naturæ rationalis integritas, & elevatio ad Dei visionem sunt ordinis supernaturalis: ergo sunt prorsus indebita. II. Creatura, utpote serva, jus non habet ad hæreditatem sine adoptione: sed hæc est ex gratia: ergo &c. III. Nequit creatura rationalis suis viribus Dei visionem assequi: ergo Deus non est ejus finis naturalis. R. ad I. dist. ant. In statu naturæ lapsæ, conc.; naturæ puræ, subd. Ex titulo justitiæ, conc.; ex quadam decentia, aut ex titulo providentiæ, neg. Licet enim gratia Adæ, & angelis collata non esset naturæ proprietas, sed indebitum beneficium, aliquo tamen decentiæ titulo fuisse debitam, ne creatura averteretur a Deo, ex Aug. de Corr. & gr. c. 11. cuique compertum est; si enim adjutorium illud iis defuisset, *non utique sua culpa cecidissent.* Quod ex ipsa adversariorum sententia confirmatur, qui docent, peccatum non fore imputandum, si urgente præcepto desit cuiq;gratia sufficiens, quam tamen nemini debitam esse fatentur. Ad II. dist. maj. Non habet jus proximum, quod in hoc statu confertur meritis Redemptoris per gratiam sanctificantem, qua divinæ naturæ consortes effecti, efficimur per adoptionem *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, conc.; non habet jus remotum, quo creatura ad imaginem Dei condita, nulloque peccato inquinata, non ex rigore justitiæ, sed ex quadam decentia, aut ex providentiæ titulo, videtur quodammodo exigere a Dei largitate, ut cumuletur supernaturalibus gratiæ donis, sine quibus stare omnino in accepta integritate non posset, ut de

Ada-

Adamo integro docet S. P. in lib. de Corr. & gr., neg. Solutio patet ex ſupradictis.

Dices: Humanitas Chriſti neque remotum jus habuit ad hypoſtaticam unionem, & ſervi a dominis ſuis adoptantur ad hæreditatem, ad quam nullum omnino habent jus: ergo a pari. R. neg. conſ. Nam humanitas Chriſti potuiſſet ſua felicitate potiri, etiamſi a Verbo non eſſet aſſumpta, nec naturali inſtinctu hypoſtaticam unionem appetiit: ſervi autem tam uni, quam alteri domino poſſunt ex æquo ſervitutem præſtare; creatura autem uni Deo ſubjecta eſt, & ſine illius hæreditate eſt miſerrima. Ad III. neg. conſ. Non enim ſemper eſt inter media & finem proportio; nam infirmus expetit ſanitatem, quam nequit aliquando obtinere etiam adhibitis medicamentis, & anima ſejuncta a corpore expetit vehementiſſime illi rurſus uniri, ut docent Ambroſius, Bernardus, & Auguſtinus, licet id naturaliter, & abſque divinæ omnipotentiæ miraculo obtineri non poſſit. Imo hæc eſt hominis ſingularis perfectio, ut naturaliter tendat ad finem, quem nonniſi ſupernaturali adjutorio poteſt comparare. Vide Prob. I. Prop. I.

CAPUT III.

De Adami reſipiſcentia, ac ſalute.

NOT. Adami ſalutem in dubium revocavit omnium primus Tatianus circa an. Chriſti 172., ut ſcribit Irenæus l. 1. c. 38. II. Encratitæ, ita dicti a continentia, quod nuptiis adverſarentur. III. Rupertus Abbas de Adæ ſalute dubius viſus eſt: eum tamen aliqui excuſant, quod non ſuam expoſuerit, ſed aliorum ſententiam, vel quia non ſatis ei conſtaret de auctoritate libri Sapientiæ, de qua olim eſt dubitatum.

Propositio. Adam per pœnitentiam ſalutem eſt conſecutus.

Prob. I. Sap. 10. *Hæc illum, qui primus formatus eſt a Deo pater orbis terrarum, cuſtodivit, & eduxit illum a delicto ſuo.*

Prob. II. Traditione ſanctorum Patrum. Irenæus l. 3. 34. plura contra Tatianum producit. Sæculo III. hunc errorem damnarunt Tertull. l. 2. contra Marc. 25., & Origenes hom. 35. in Matth. Sæc. IV. Euſebius H. E. l. 4. 29., Athanaſius, Hilarius, Nazianzenus, & Auguſtinus, qui in ep. ad Evodium 99. ait: *Et de illo quidem primo homine, quod eum ibidem ſolverit, Eccleſia fere tota conſentit.* Profert ſubinde locum Sapientiæ I., de quo ſupra. Alia teſtimonia collegerunt Bellarminus, Pererius, Alexander, aliique. Adde in Litaniis Eccleſiæ S. Mariæ Majoris legi: *Sancte Adam, ora pro nobis:* ergo &c.

Prob. III. rationibus Irenæi. I. Tatiani ſententia nova eſt, & primis parentibus injurioſa: ergo falſa. II. Deus non maledixit Adamo, & Evæ, ſicut ſerpenti, immo ſalutis ſpem dedit promiſſione Salvatoris, per quem mulier Eccleſiæ ac Deiparæ typus debebat ſerpentis caput conterere. III. Quia diabolus gloriari potuiſſet, ſe a Chriſto non fuiſſe perfecte devictum, ſi primi parentes non fuiſſent ab ejus jugo liberati. IV. Adam & Eva Chriſti & Eccleſiæ typum gerebant. V. Ab iis Abel ſacrificiorum rationem, Deique cultum edoctus fuit. VI. Adamum & Evam una cum Chriſto a mortuis ſurrexiſſe, Patres aliqui tradidere.

Prob. IV. ex traditione de ſepultura ejuſdem Adæ eo ipſo in loco, ubi crucifixus eſt Dominus. Cujus rei teſtes laudari poſſunt Cyprianus (*a*), Origenes (*b*), Epiphanius (*c*), Chryſoſtomus (*d*), aliique memorati a Bellarmino, Serrio, Toleto &c. qui tradunt, Chriſtum mortuum ſuper Adæ ſepulcrum, ut is ſalvaretur divini ſanguinis aſperſione.

Dices: A S. Hieronymo in 27. Matth. hæc traditio vocatur: *Favorabilis interpretatio, nec tamen vera:* ergo ex ea ſalus Adæ non probatur.

R., ſalva debita Hieronymo reverentia, aliis Patribus

(a) *De Reſurr. Chriſti.* (b) *Hom.* 35. *in Matth.* (c) *L.* 1. *adv. Hær.* (d) *Hom.* 84. *in Jo.*

tribus ſupra laudatis nos in hac parte ſubſcribere: præſertim cum ipſe Hieronymus in ep. ad Marcellam hæc de Jeroſolyma ſcribat. *In hac urbe, immo in hoc loco, & habitaſſe dicitur, & mortuus eſſe Adam: unde & locus, in quo crucifixus eſt Dominus, Calvaria appellatur; quod ibi ſit antiqui hominis calvaria condita, ut ſecundi Adam, ideſt Chriſti, ſanguis de cruce ſtillans primi Adam peccata dilueret.*

Ob. Salus Adæ non probatur ex ſacris litteris: ergo &c. Prob. ant. I. Enim Sapientiæ liber, ut ait Rupertus, non eſt in canone, & jure rejicitur, quia quando, vel ubi Adam pœnituerit, non oſtendit: ergo &c. II. Plures codices habent, *Et eduxit illum de limo terræ*, non *a delicto ſuo*. III. Quod ibi dicitur, *Et dedit illi virtutem continendi omnia*, nonniſi Chriſto aptari poteſt. IV. Ap. I. Cor. 15. novum Adam opponit veteri: ſed in illo eſt omnis ſalus: ergo in hoc omnis damnatio. V. Hebr. 11. Eccleſiæ origo non ab Adam, ſed ab Abel repetitur: ergo ex ſcripturis Adæ ſalus non evincitur. II. Nec prob. traditione. I. enim Rupertus de Adæ ſalute dubitat. II. Bernardus in lib. de modo beate vivendi ait, *Adam in infernum cecidit, quia inobediens fuit*. III. Gelaſius librum de *Pœnitentiæ Adæ* apocryphis accenſet. Prob. III. ratione. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, quanto minus homini, quem conditione inferiorem paribus beneficiis ornaverat?

R. neg. ant. Ad I. prob. neg. ant. Fallitur enim Rupertus, qui hunc librum e canone ſcripturarum expungit: cœpiſſe vero pœnitentiam Adæ, ex quo ſub Dominica ſententia cervicem inflexit, & rudibus brutorum pellibus indutus vitam egit miſerrimam, pie, & probabiliter credimus. Ad II. R. in Græcis, Romaniſque codicibus, & etiam ex Patribus conſtare, retinendam eſſe Vulgatæ lectionem, quæ habet *a delicto* ſuo, ut patet ex ſupra citata ep. Auguſtini ad Evodium. Ad II. neg. ant. Illa enim verba nonniſi rerum terrenarum innuunt dominium Adamo, & Evæ traditum a Deo, cum

eis dictum est: *Dominamini piscibus maris, & bestiis terræ;* nam in græco habetur κρατῆσαι πάντων, *omnibus dominari*. Ad IV. dist. Maj. Opponit quoad gratiam, & peccatum, ut Christus gratiæ, Adam peccati sit auctor, conc.; quoad salutem, & perditionem, ut ille sit omnium salus, iste cum aliis damnatus, nego. Ad V. dist. ant. Ecclesiæ origo, hoc est fidelium, qui fidei caussa passit sunt, ab Abele repetitur, conc.; absolute, neg. ant. Nam in ep. ad Hebr. fideles præcipue laudantur, qui martyrium subiere, aut futurorum promissionem singulari mysterio accepere, quorum utique primus est Abel.

Ad II. neg. ant. Ad I. prob. vide R. ad I. Ad II. prob. R., librum de modo bene vivendi non esse Bernardi, ut ostendit Bellarminus ex stylo, & inscriptione ad sororem virginem: deinde ea verba de solo reatu, & merito damnationis exponi possunt. Ad III. R. Quod Gelasius librum, non pœnitentiam Adæ damnat, sicuti, cum librum de infantia, & de nativitate Salvatoris apocryphis accenset, librorum auctoritati derogat, non substantiæ rerum gestarum.

Ad III. prob. R. Deum homini, non angelis pepercisse, sive quod ille fuerit imbecilliocis naturæ, ut ait Gregorius l. 4. Mor. 9., & Damascenus. l. 2. 3., vel quia beneficiorum suorum dominus angelos justo judicio, hominem misericordiæ decreverat reservare, pro quo maximo benefacto, aliisque innumeris, quibus nos quotidie cumulare non cessat, inter quæ illud non leve esse ducimus, quod pristinæ valetudini restituti, hoc primum volumen ad optimum finem eo juvante perduximus, *Deo gratias agere debemus semper*, 2. Thess. 1.

F I N I S.

IN-

INDEX
PRIMI VOLUMINIS.

Li-

Cap.

II. Cu-

Disser-

Cap.